BRESLAUER PHILOLOGISCHE ABHANDLUNGEN

HERAUSGEGEBEN

VON

RICHARD FÖRSTER

PROFESSOR DER CLASSISCHEN ALTERTUMSWISSENSCHAFT AN DER UNIVERSITÄT BRESLAU

NEUNTER BAND

ERSTES HEFT

DE SEPTEM SAPIENTIUM FABULIS QUAESTIONES SELECTAE

ACCEDIT EPIMETRUM DE MAEANDRIO SIVE LEANDRO RERUM SCRIPTORE

SCRIPSIT

JOSEPHATUS MIKOŁAJCZAK

BRESLAU
VERLAG VON M. & H. MARCUS
1902

BRESLAUER
PHILOLOGISCHE ABHANDLUNGEN

HERAUSGEGEBEN

VON

RICHARD FOERSTER

NEUNTER BAND

BRESLAU
VERLAG VON M. & H. MARCUS
1909

Inhalt

BRESLAUER PHILOLOGISCHE ABHANDLUNGEN

HERAUSGEGEBEN

VON

RICHARD FÖRSTER

PROFESSOR DER CLASSISCHEN ALTERTUMSWISSENSCHAFT AN DER UNIVERSITÄT BRESLAU

NEUNTER BAND

ERSTES HEFT

DE SEPTEM SAPIENTIUM FABULIS QUAESTIONES SELECTAE

ACCEDIT EPIMETRUM DE MAEANDRIO SIVE LEANDRO RERUM SCRIPTORE

SCRIPSIT

JOSEPHATUS MIKOŁAJCZAK

BRESLAU

VERLAG VON M. & H. MARCUS

1902

DE SEPTEM SAPIENTIUM FABULIS
QUAESTIONES SELECTAE

ACCEDIT EPIMETRUM DE MAEANDRIO SIVE LEANDRO RERUM SCRIPTORE

SCRIPSIT

JOSEPHATUS MIKOŁAJCZAK

VRATISLAVIAE
M. & H. MARCUS
1902

CONSPECTUS LIBELLI.

Novam de septem sapientibus disputationem haud scio an quispiam inutilem atque supervacaneam arbitretur. Nam F. Bohren, *De septem sapientibus, diss. Bonn. 1867* quaecunque vel ab antiquis scriptoribus de septem sapientibus memoriae tradita vel a recentioribus prolata sunt, disposuit et plurimis quaestionibus huc pertinentibus viam felicissime munivit. Neque qui novissimus fabellas de septem sapientibus traditas non tam in conspectu posuit quam historiam earum indagare suscepit, Harro Wulf, *De fabellis cum collegii septem sapientium memoria coniunctis quaestiones criticae, Halis Sax. 1896 (diss. philol. Hal. XIII pars III p. 163—216)* quae sibi proposuit, male absolvisse dictus est a Leopoldo Cohn[1]) et ab Haeberlino[2]). Sed hunc *quae et apud quos fuerint narrandi primordia, qua ratione usi auctores sequentes materiam fabellarum traditam excoluerint et quasi in rivulos deduxerint, quomodo vasta et satis multifaria fabularum moles in unum corpus coaluerit* firmis fundamentis nisum iustaque ratione usum exposuisse nego cum Gustavo Tuerk[3]). Praeterea sententiae a viris doctis hic illic in medium prolatae, praecipue de origine fabellarum quae sunt de septem sapientibus, nondum satis examinatae sunt. Inter illos est Carolus Joël, qui his diebus in secundo volumine operis *Der echte und der Xenophontische Sokrates, Berlin 1901 p. 759 sqq.* huic

[1]) Wochenschr. f. klass. Phil. 1897 n. 52 p. 1417 sq

[2]) Bursians Jahresb. 1900, III p. 268.

[3]) Berl. Philol. Wochenschr. 1898 n. 4 p. 104 sq.

quaestioni haud parvo spatio concesso primordia fabellarum de septem sapientibus traditarum enucleasse remque ad exitum perduxisse sibi visus est.

Itaque rem ex integro disquirendam suscepi, sed ita, ut quae recte constituta invenissem, denuo in disceptationem vocare omitterem, veluti de dictis septem sapientium, de quibus egregie egit Brunco[1]. Atque hoc quidem ordine disserere mihi proposui, ut agerem primum de septem sapientium catalogo, quo tempore constitutus esset; secundo loco de eorum hebdomade, quare haec ipsa ficta esset; deinde de septem sapientibus cum Apolline Delphico coniunctis; tum de eorum conventibus et conviviis; postremo de praemio iis dato.

[1]) Acta Sem. Philol. Erlang. III (1884) p. 299—397. Cf. etiam Stanjek, Quaestionum de sententiarum septem sapientium collectionibus, diss. Vratisl. 1891.

Caput I.

Quo tempore septem sapientium catalogus constitutus sit.

Academia Platonica a. p. Chr. n. 529 a Iustiniano sublata cum antiquitatis firmissima auctoritas fracta esset, Atheniensium supremi philosophi qui forte septem numero erant, platanorum e lucis egressi in remotam magorum terram Persidem decesserunt. Sed cum non ita multo post domum sedesque suas desiderarent, Chosroes, rex Persarum, effecit singulari condicione pacis a. 533 cum Iustiniano factae, ut incolumes in patriam redirent[1]). Quo facto successor infensorum in Athenienses hostium insignem assecutus est gloriam. Iamque dudum Athenarum academia fabula facta exstiterunt qui narrarent Leontii filiam quae postea Theodosii II uxor Eudocia nominabatur, septem Athenienses philosophos Constantinopolim comitatos esse atque imperatorem Theodosium adisse. Nomina eorum partim Graeca partim Latina sunt: Cranus, Carus, Pelops, Nerva, Silvanus Apelles, Curvus. Quos Theodosius in hippodromum secum duxit, ubi unius alteriusve statuae arcanis interpretationibus acumen ingenii exhibuerunt.[2]) Ita demoriente Graecorum philosophia septem sapientes lucent tamquam ultimi solis Graecorum radii.

---

[1]) Agath. hist. II 30 sq. ed. Bonn. p. 131.

[2]) Georg. Codin. de signis ed. Bonn. p. 56. Gregorovius, Athenais p. 65. 121.

Sed etiam in philosophiae ineuntis limine septem stant sapientes atque scite veteres scriptores hoc aevum significaverunt, cum primum eorum, cuius ἀκμή septem quoque sapientium aetatem constituit, Thaletem Milesium nominarent, conditorem primae naturam investigantis sectae philosophicae (Diog. Laert. I 22 (Thales) πρῶτος σοφὸς ὠνομάσθη ἄρχοντος Ἀθήνησι Δαμασίου, καθ' ὃν καὶ οἱ ἑπτὰ σοφοὶ ἐκλήθησαν, ὥς φησι Δημήτριος ὁ Φαληρεὺς ἐν τῇ τῶν ἀρχόντων ἀναγραφῇ) (=FHG II 362). Sed qua de causa ipso Damasia archonte Thaletem ceterosque sapientes appellatos esse Demetrius dicat, disceptatur. Secundum Aristotelis Ἀθην. πολιτ. XIII 2 Damasias archontis munere functus est a. 583/2 magistratumque continuabat anno sequenti 582/1 i. e. olymp. 49,3, quo anno ἀγὼν στεφανίτης institutus est. Neque eam ob causam Demetrium Phalereum aetatem septem sapientium simul cum Damasia archonte constituisse veri dissimile est, quod eorum tempora cum primo Pythico ἀγῶνι στεφανίτῃ concinere voluit.[1]) Apud Eusebium autem est: Vers. Arm. Abr. 1439 = olymp. 50,3 = 578/7 : *Septem sapientes nominati sunt*. Hic errore e varia Pythiorum numeratione orto factum esse, ut una olympias suo loco moveretur, probavit Busoltus, parumque recte mihi iudicare videtur U. de Wilamowitz, Aristot. und Athen I p. 11 sq.: „Auf das Jahr des Damasias (welches, bleibt unbekannt) hat Demetrios von Phaleron die 7 Weisen und demnach auch den Thales angesetzt. Weshalb er, der erste bekannte Sammler der Sprüche der 7 Weisen, so verfahren ist, bleibt eine offene Frage: dass er die Sieben nach Thales datiert habe, darf man daraus nicht ableiten, dass Diogenes seine Datierung im Leben des Thales anführt. Denn Diogenes beginnt die Geschichte der 7 Weisen mit Thales, unter dem also das allgemeine Datum stehen musste. Für Thales persönlich war allerdings die von ihm vorhergesagte Sonnenfinsternis von 586 die bequemste Epoche, und dass man sich ihrer bedient hat, folgt aus Eusebius, dessen wie gewöhnlich verwirrte Überlieferung sich auf dieses Jahr (Olymp. 48,3), zum mindesten für seine Quelle, zurückführen lässt. Aber um so

[1]) Od. Mueller in Boettigeri Amalthea I p. 126 adn. 19. Busolt, Griech. Gesch.[2] I p. 697 adn. 1. II p. 301 adn. 3. Diels, Poet. Philos. frg. p. 3 adn. 6.

sicherer zeigt Eusebius, dass diese Epoche nicht mit der Stiftung der Pythien d. h. mit dem Jahre des Damasias zusammenfallen kann, da diese Notiz, wie sich gebührt, 3–4 (das richtige ist 4) Jahre später eingetragen ist."[1])

Septem sapientes una aetate vixisse passim legitur; ut apud Andronem qui in opere Τρίπους inscripto apud Clementem Alexandrinum Strom. I 21 p. 143, 39 Sylb. = Mueller FHG II p. 347 dicit: συνεχρόνισαν δὲ οἱ συγκαταλεγέντες σοφοὶ τῷ Θαλεῖ, et apud Ciceronem de orat. III 34, 137: *Septem fuisse dicuntur uno tempore, qui sapientes et haberentur et vocarentur.*

Notionem sapientis vocabulis σοφός atque σοφιστής antiquis temporibus indicatam esse satis superque constat. Ut nonnulla afferam, Diog. Laert. Prooem. 12 οἱ δὲ σοφοί, inquit, καὶ σοφισταὶ ἐκαλοῦντο καὶ οὐ μόνον, ἀλλὰ καὶ ποιηταὶ σοφισταί. Herodot. I 29 ἀπικνέονται ἐς Σάρδις ἀκμαζούσας πλούτῳ ἄλλοι τε οἱ πάντες ἐκ τῆς Ἑλλάδος σοφισταί, οἳ τοῦτον τὸν χρόνον ἐτύγχανον ἐόντες. IV 95 Ἑλλήνων οὐ τῷ ἀσθενεστάτῳ σοφιστῇ Πυθαγόρῃ. Quin etiam septem sapientes σοφιστάς nominatos hic illic legimus, ut apud Aristotelem in Etymologico Magno p. 722, 16 Sylb. s. v. σοφιστής = Arist. frg. 5 Rose (1886) ὁ δὲ Ἀριστοτέλης σοφιστὰς λέγει τοὺς ἑπτὰ σοφούς. Plutarch. de ε delph. 3 λέγουσι γὰρ ἐκείνους τοὺς σοφοὺς (sc. septem sapientes) ὑπ' ἐνίων δὲ σοφιστὰς προσαγορευθέντας. Aristid. or 46 II p. 407 Dind. οὐχ Ἡρόδοτος Σόλωνα σοφιστὴν κέκληκεν, οὐ Πυθαγόραν πάλιν, οὐκ Ἀνδροτίων (Ἄνδρων corr. Siebelis; cf. FHG II p. 347 frg. 4) τοὺς ἑπτὰ σοφιστὰς προσείρηκε λέγων δὴ τοὺς σοφούς. Sed Socratica aetate notio harum vocum commutata est; etenim σοφιστής odiosam significationem magistri stipendio docentis accepit, et σοφία ad rerum cognitionem redacta atque a Socraticis generi humano abiudicata est. Philosophi tantum illi vocari volebant, cum sibi sapientiae studiosi potius quam compotes viderentur[2]), id quod postea cum Platonica

---

[1]) Cf. etiam Diels, Rhein. Mus. XXXI (1876) p. 17. Stettiner. Ad Solonis aetatem quaest. critic, diss. Regim. 1885 p. 52.

[2]) Ed. Meyer, Philol. XXXXVIII (1889) p 268. Forschung. z. alt. Gesch. I p. 127.

philosophia ab Heraclide Pontico ad Pythagoram transferebatur.[1]) Quo factum est, ut cum Thales tum Bias et Pittacus, viri omnium consensu in vita et usu versati, fierent vitae neglegentes, veri modo videndi cupidi perscrutatores, qui a rebus sensibilibus sese abstraherent (Plat. Hipp. mai. p. 281 C τί ποτε ταἴτιον, ὅτι οἱ παλαιοὶ ἐκεῖνοι, ὧν ὀνόματα μεγάλα λέγεται ἐπὶ σοφίᾳ, Πιττακοῦ τε καὶ Βίαντος καὶ τῶν ἀμφὶ τὸν Μιλήσιον Θαλῆν καὶ ἔτι τῶν ὕστερον μέχρι Ἀναξαγόρου, ὡς ἢ πάντες ἢ οἱ πολλοὶ αὐτῶν φαίνονται ἀπεχόμενοι τῶν πολιτικῶν πράξεων). Alii sapientes eos fuisse prorsus negaverunt, veluti Cicero de amic. 2,7: *Nam qui septem appellantur, eos qui ista subtilius quaerunt, in numero sapientium non habent*, eosque viros tantum rei publicae gerendae gnaros putarunt. (Diog. Laert. I 40 ὁ δὲ Δικαίαρχος οὔτε σοφοὺς οὔτε φιλοσόφους φησὶν αὐτοὺς γεγονέναι, συνετοὺς δέ τινας καὶ νομοθετικούς.[2]) Aristotel. (hanc enim lectionem optimus codex Gottingensis praebet pro Ἀριστοκλῆς) in dialogo περὶ φιλοσοφίας apud Ioannem Philoponum in Isagoge Nicomachi Geraseni (ed. R. Hoche, Wesel 1864 p. 2)[3]) πάλιν ἀπέβλεψαν περὶ τὰ πολιτικὰ πράγματα καὶ ἐξεῦρον νόμους καὶ πάντα τὰ συνιστῶντα τὰς πόλεις· καὶ ταύτην πάλιν τὴν ἐπίνοιαν σοφίαν ἐκάλεσαν· τοιοῦτοι γὰρ ἦσαν οἱ ζ' σοφοὶ πολιτικάς τινας ἀρετὰς εὑρόντες. Cic. de re publ. I (7) 12 *Eos vero septem quos Graeci sapientes nominaverunt, omnes paene video in media re publica esse versatos* Inedit. Vatican.[4]) οὐ γὰρ ἐζήτουν ἐκεῖνοί γε, εἰ πολιτευτέον οὐδὲ πῶς, ἀλλ' ἐπολιτεύοντο αὐτοὶ καλῶς). Thales sane a ceteris in republica versatis saepe secernitur, quippe qui solus rerum naturam perscrutatus sit. (Plutarch. Sol. 3, 5 ὅλως ἔοικεν ἡ Θάλεω μόνου σοφία τότε περαιτέρω τῆς χρείας ἐξικέσθαι τῇ θεωρίᾳ· τοῖς δὲ ἄλλοις ἀπὸ τῆς πολιτικῆς ἀρετῆς τοὔνομα τῆς σοφίας ὑπῆρξε. August. de civit. dei VIII 2 *Ionici vero generis princeps fuit Thales Milesius, unus illorum septem qui sunt appellati sapientes.*

---

[1]) Plat. Apol. 20 D. 23 A. Phaedr. 278 D. de Wilamowitz, Philol. Unters. I p. 214.

[2]) Cf. etiam I. de Arnim, Ineditum Vaticanum, Hermes XXVII (1892) p. 120: Δικαιάρχῳ δὲ οὐδὲ ταῦτα (sc. dicta) σοφῶν εἶναι ἀνδρῶν δοκεῖ et p. 126. Diels, Poet. Philos. frg. p. 10.

[3]) Cf. etiam Bywater, Journ. of Philol. VII (1877) p. 66.

[4]) Cf. I. de Arnim l. l. p. 120.

Sed illi sex vitae genere distinguebantur et quibusdam praeceptis ad bene vivendum accommodatis; iste autem Thales, ut successores etiam propagaret, rerum naturam scrutatus suasque disputationes litteris mandans eminuit maximeque admirabilis exstitit). Quin etiam Damon Cyrenaeus cum alios philosophos accusationibus insectabatur tum septem sapientes (Diog. Laert. I 40 Δάμων ὁ Κυρηναῖος γεγραφὼς περὶ τῶν φιλοσόφων πᾶσιν ἐγκαλεῖ, μάλιστα δὲ τοῖς ἑπτά).

Quibusnam igitur e viris septem sapientium numerus constabat? Plato primus in Protagora dialogo 343A nomina septem sapientium affert, ut breviter et commode dicta neminem nisi virum exquisita subtilique doctrina instructum enuntiare posse exemplis argumentisque comprobet: Τοῦτ' οὖν αὐτὸ καὶ τῶν νῦν εἰσιν οἳ κατανενοήκασι καὶ τῶν πάλαι, ὅτι τὸ λακωνίζειν πολὺ μᾶλλόν ἐστι φιλοσοφεῖν ἢ φιλογυμναστεῖν εἰδότες, ὅτι τοιαῦθ' οἷόν τε εἶναι ῥήματα φθέγγεσθαι τελέως πεπαιδευμένου ἐστὶν ἀνθρώπου. τούτων ἦν καὶ Θαλῆς ὁ Μιλήσιος καὶ Πιττακὸς ὁ Μυτιληναῖος καὶ Βίας ὁ Πριηνεὺς καὶ Σόλων ὁ ἡμέτερος καὶ Κλεόβουλος ὁ Λίνδιος καὶ Μύσων ὁ Χηνεὺς καὶ ἕβδομος ἐν τούτοις ἐλέγετο Λακεδαιμόνιος Χίλων. Οὗτοι πάντες ζηλωταὶ καὶ ἐρασταὶ καὶ μαθηταὶ ἦσαν τῆς Λακεδαιμονίων παιδείας. Καὶ καταμάθοι ἄν τις αὐτῶν τὴν σοφίαν τοιαύτην οὖσαν ῥήματα βραχέα ἀξιομνημόνευτα ἑκάστῳ εἰρημένα. οὗτοι καὶ κοινῇ ξυνελθόντες ἀπαρχὴν τῆς σοφίας ἀνέθεσαν τῷ Ἀπόλλωνι εἰς τὸν νεὼν τὸν ἐν Δελφοῖς γράψαντες ταῦτα. ἃ δὴ πάντες ὑμνοῦσι . . Τοῦ δὴ ἕνεκα ταῦτα λέγω; ὅτι οὗτος ὁ τρόπος ἦν τῶν παλαιῶν τῆς φιλοσοφίας, βραχυλογία τις Λακωνική. Quo loco Plato Thaletem, Pittacum, Biantem, Solonem, Cleobulum, Mysonem, Chilonem ut viros perfecte planeque eruditos enumerat. Non quosvis a se electos illum in sapientium catalogum conscripsisse luculento argumento sunt verba καὶ ἕβδομος ἐν τούτοις ἐλέγετο. Itaque neque numerum neque nomina eorum qui huc congregati nobis sese offerunt, Plato ipse constituit, sed utrumque ei praesto iam fuisse concludamus necesse est.

Iam nos quaestio vocat, unde quod Plato dicit desumptum putemus atque quando omnino septem sapientium catalogus constitutus sit.

Quod Plato singula septem sapientium nomina enumerat

neque in universum de septem sapientibus agit dicens τούτων ἦσαν οἱ ἑπτά, ex hac re conicere licet Platonem noluisse alios intellegi atque quos ipse in animo haberet. Itaque statuendum est iam Platonis aetate non omnium consensu eosdem viros in septem sapientium numero habitos esse, sed plures eorum catalogos exstitisse. Atque re vera demonstrari potest Platonis aetate alium catalogum fuisse, in quo Anacharsis erat.

Diogenes enim Laertius tradit (I 41 Ἔφορος δὲ ἀντὶ Μύσωνος Ἀνάχαρσιν) Ephorum pro Mysone Anacharsin septem sapientibus adscripsisse. Sed ab Ephoro rerum scriptore primo hoc factum esse haud facile putes, etiamsi Wulfius l. l. p. 10 = 172 contendit: *Ephorus, qui nescio qua ratione ductus Anacharsidem septem sapientium collegio ab ipso adscriptum addit.* Immo probari potest Anacharsin iam ante Ephorum inter septem sapientes numeratum esse. Anacharsis enim apud Diodorum IX 26 et in dialogo Lucianeo Ἀνάχαρσις ἢ περὶ γυμνασίων prorsus alius describitur atque quem apud Herodotum (IV 76) cognoscimus, qui Graecarum litterarum cupidus Athenas adit[1]) atque domum reversus Graecorum cultu et humanitate imbutus diem supremum obit. In eis autem quae apud Diodorum et in Luciani dialogo de Anacharside tradita sunt aeque atque in dictis quae sub eius nomine feruntur, certum consilium sensumque inesse qui cum Cynicorum doctrina congruat, egregie demonstravit R. Heinze[2]). Sed ut in Diodori narratione Cynicorum sententia subest, ita Ephorus quoque manifesta eorum doctrinae vestigia prodit[3]). Apud hunc primum et perfectae gentis Scythicae imago adumbratur et Anacharsis in septem sapientium catalogo occurrit. Itaque Anacharsin a Cynicis ipsis numero septem sapientium adscriptum esse verisimile est[4]). Nam Cynici nimiam rerum domesticarum admirationem opinionem praesumptam natura alienam esse iudicaverunt nec barbaros sapientiae virtutisque optimae participes esse non posse censuerunt. Cynicis moris

---

[1]) Cf. etiam Luciani Σκύθης ἢ πρόξενος 1.

[2]) Philol. L (1891) p. 458 sq.

[3]) A. Riese, Idealisierung der Naturvölker des Nordens in der griech. und römisch. Litteratur, Progr. Frankfurt a. M. 1875 p. 21. Joël l. l. p. 761. Duemmler, Kleine Schriften I p. 219.

[4]) Cf. Norden, Neue Jahrb. f. d. klass. Altert. VII (1901) p. 253 adn. 1.

erat, ut gentes quae instituta et ingenium sincere integreque a contagione aliarum servassent, opponerent Graecis cultu quidem elatis, sed vera παιδείᾳ carentibus. Itaque hac quoque re comprobatur et Diodorum ultimam partem libri noni ex Ephoro sumpsisse, id quod aliis argumentis iam evictum erat[1]), et Anacharsin iam a Cynicis in septem sapientium numerum relatum esse, non ab Ephoro demum, qui ex illorum narrationibus Anacharsin suo inseruit catalogo.

Vides igitur Platonis temporibus septem sapientium catalogum exstitisse qui Cynicorum placitis adaptatus Anacharsin sapientem haberet. Atque verisimile est eadem aetate fuisse catalogum in quo Periander, Corinthiorum tyrannus, erat, quoniam utrum Periander septem sapientibus adscribendus esset necne, Aristotelis temporibus certatum esse videtur (Diog. Laert. I 99 Ἀριστοτέλης μὲν τὸν Κορίνθιόν φησιν εἶναι τὸν σοφόν, Πλάτων δὲ οὔ φησι (vide quae in cap. III exponam).

Itaque mea quidem sententia Plato illo Protagorae loco unum de septem sapientium catalogis quos exstitisse demonstravi exhibet, fortasse divulgatissimum ac vetustate probatum. Nam hunc sat multo ante Platonem inventum esse argumento est imperfectum ἐλέγετο. (Cf. p. 12 sq.). An verisimile videtur quinto demum saeculo septem sapientium catalogum constitutum esse neque potius sexto, quod aevo plurimorum qui in septem sapientium numerum relati sunt, proximum erat et quo novella viros iam apud aequales claros clariores reddidit?

Obsolefacta enim epici carminis forma qua heroum fabula utebatur, cum ποιηταῖς successissent λογοποιοί, in heroum fabulae locum subiit soror eius aetate minor quae dicitur novella. Anno a. Chr. n. fere 600 in mentem Graecae nationis paulatim irrepsit profunda religionis concussio cum aliis e rebus tum gravissimis cladibus orta quas Asia omni vita et victu exculta et expolita a Lydis Persisque accepit. Fieri non potuit quin rerum cursum litterae subinde sequerentur. Novellae quoque Musa ἴσκεν ψεύδεα πολλὰ λέγειν ἐτύμοισιν ὅμοια. De singulis probatis viris qui apud aequales inclaruerunt, summo cum studio multa et praeclara, iucunda, delectationi apta perhibentur, quin etiam quam plurima finguntur. Talem

[1]) Heinze l. l. p. 466. Busolt, Griech. Gesch.[2] II p. 60.

in modum e veris falsisque serta vitae clarorum illius aevi virorum nectebantur. Atque orta in Ionia cum cultu humanitateque Ionica in Graeciam migravit novella cui maxime cordi erat de excellentibus viris fabellas fingere fictasque magis magisque augere.[1]) Quare non miraberis novellam amplexam esse tales viros, quales erant Thales, Pittacus, Solon, Bias. Atque iam apud satis antiquos scriptores vestigia invenimus, quibus septem sapientes vivos magna auctoritate et potentia valuisse et mortuos heroes factos in dies celebratos esse eorumque gloriam brevi angustos fines patriae uniuscuiusque transcessisse comprobatur. Ita Mysonis Chenensis iam Hipponax mentionem fecit (Diog. Laert. I 107 = Bergk, Lyr. Gr.[4] frg. 45)

Καὶ Μύσων, ὃν Ὠπόλλων ἀνεῖπεν ἀνδρῶν σωφρονέστατον πάντων.

Eiusdemque versu apud Diogenem Laertium I 84 servato = Bergk, Lyr. Gr.[4] frg. 79 Ἃ καὶ δικάζεσθαι Βίαντος τοῦ Πριηνέως κρεῖσσον edocemur, quam pervulgata fuerit fama iudicii Biantis. Idem non minus laudibus extulit Demodocus Lerius apud Diogenem Laertium I 84 (= Bergk, Lyr. Gr.[4] frg. 6) Ἢν τύχῃς κρίνων, δικάζευ τὴν Πριηνίην δίκην. Heraclitus quoque Biantem laudavit (Diog. Laert. I 88 = Diels, Herakleitos (Berlin 1901) frg. 39 ἐν Πριήνῃ Βίας ἐγένετο ὁ Τευτάμεω, οὗ πλέων λόγος ἢ τῶν ἄλλων (cf. infra p. 11). Etiam de Pittaco Heraclitus verba fecit atque Alcaeum ab eo captum dimissum esse addita sententia συγγνώμη τιμωρίας κρείσσων (Diog. Laert. I 76). Pittaci illud χαλεπὸν ἐσθλὸν ἔμμεναι impugnat Simonides Ceus in Platonis Protagora 343 C. Thaletem astrologum praedicaverunt Heraclitus, Xenophanes, Democritus teste Diogene Laertio I 23. Chiloni μηδὲν ἄγαν primus Critias vindicavit (Schol. Eur. Hippol. 264). Dictum χρήματα χρήματ᾽ ἀνήρ Aristodemo vindicatum Alcaeus novit, (Diog. Laert. I 31 et schol. Pind. Isthm. II 17 = frg. 49 B[4]) (cf. quae in cap. V exponam). Et quantopere duobus saeculis usque ad Herodoti aetatem laudes singulorum auctae quotque de his fabellae sensim fictae sint, vel ex ipso Herodoto

---

[1]) B. Erdmannsdoerfer, Zeitalter d. Novelle in Griechenland, Preuss. Jahrbb. XXV (1870), 121 sq. 283 sq. de Wilamowitz, Hermes XXV (1890) 196 sq. Aristot. und Athen II, 6 sq. Ed. Schwartz, Fünf Vorträge über den griechischen Roman (Berlin 1896) p. 27 sq. Ed. Meyer, Forschung. z. alt. Gesch. II p. 237.

satis liquet qui haud paucas refert Recte iudicat Plutarchus Conviv. VII sap. 7 πολλά γε . . . . πιστεύεται ψευδῶς, καὶ χαίρουσιν οἱ πολλοὶ λόγους ἀνεπιτηδείους περὶ σοφῶν ἀνδρῶν αὐτοί τε πλάττοντες καὶ δεχόμενοι παρ' ἑτέρων ἑτοίμως, et Cicero de finib. II 3, 7 *septem autem* inquit *illi non suo, sed populorum suffragio omnium nominati sunt.* In memoriam revoco Solonis cum Croeso conventum (Her. I 29 sq.). Et Croesus cum naves aedificari iussisset qui insulas incolebant dicionis suae facturus, Biante aut Pittaco auctore consilio destitit atque cum Ionibus pacem fecit (I 27). Thales Croesum in exercitu Halyn flumen traiciendo adiuvisse fertur, id quod Herodotus ipse negat Croesum exercitum pontibus qui in illo flumine fuissent, traiecisse arbitratus (I 75). Novellae assignanda sunt quae de Periandro (I 23 sq.) eiusque filio Lycophrone narrantur (III 50).

Novitne vero Herodotus septem sapientes in catalogum vel societatem coniunctos? Cuius rei testimonio qui afferri solet locus I 29 ἀπικνέονται ἐς Σάρδις ἀκμαζούσας πλούτῳ ἄλλοι τε οἱ πάντες ἐκ τῆς Ἑλλάδος σοφισταί, οἳ τοῦτον τὸν χρόνον ἐτύγχανον ἐόντες, ὡς ἕκαστος αὐτῶν ἀπικνέοιτο, καὶ δὴ καὶ Σόλων ἀνὴρ Ἀθηναῖος ipse opinionem eorum qui Herodoto scientiam catalogi septem sapientium tribuunt, diserte refutat verbis ὡς ἕκαστος αὐτῶν ἀπικνέοιτο. Singulos igitur sapientes Croesum adiisse Herodotus narrat, sed neque catalogum neque collegium septem sapientium hoc aliove loco affert.[1]) Quae res, praesertim cum Herodotus Solonem, Pittacum, Biantem, Thaletem cum Croeso convenientes faciat atque totiens occasionem septem sapientes commemorandi habuerit, memorabilis sane, sed nullo pacto argumento est eum septem sapientes non nosse, ut concluserunt Bohrenius l. l. p. 57 et Wulfius p. 3 = 165. Contra iure dicit Stettiner l. l. p. 10 adn. 1: *Ex Herodoti silentio prorsus nihil consequitur,* minus recte addens: *modo id e vetustioris aetatis memoria pertractavit, quod non antea a rerum scriptoribus enarratum erat.* Nec quicquam obstat, quominus cum Bergkio[2]) ex Heracliti loco supra (p. 10)

[1]) Cf. etiam O. Bernhardt, Die 7 Weisen Griechenlands, Progr. Sorau 1864 p. 7.

[2]) Griech. Litteraturgesch. II 413.

allato colligamus iam Heraclitum de septem sapientibus cogitasse, cum Biantem ceteris septem sapientium opponeret, qui οἱ ἄλλοι intellegendi essent.

Quibus testimoniis fretus eorum sententiae qui iam multo ante Herodoti aetatem de septem sapientibus fabulas enarratas esse coniciunt, accedere non dubito. Atque recte statuere mihi videtur Ed. Meyer[1]) vulgari fama atque opinione et populi ore septem sapientes iam sexto saeculo esse congregatos. Sed reiciendus est O. Crusii 'liber de septem sapientibus popularis', cum eius nec vola nec vestigium dispici queat, nisi similem librum atque 'Die sieben weisen Meister' antiquis iam temporibus fuisse fingere talique modo hunc libellum in antiquitatem transferre volumus. Hac tamen coniectura ut dispelli credam tenebras, a me impetrare non possum, etsi talis liber maxime idoneus est, ex quo quicquid ad certum auctorem revocari nequit, depromi possit. Ut Crusio iudice in hoc libro populari Aesopus versus suos pronuntiavit[2]); ex hoc Herodotus (quem de septem sapientibus nihil proferre vidimus) haud pauca deprompsit, nec non Plutarchus nonnulla ad convivium suum componendum hausit[3]); in una quadam huius libri forma septem sapientes certantes in poesi epigrammatica et melica ficti sunt; ex hoc Lobon[4]) poemata septem sapientium, quae apud Diogenem Laertium tradita sunt, sumpsit, non ipse finxit[5]).

Itaque mea quidem sententia sexto saeculo primus septem sapientium catalogus constitutus est. Num autem idem sit atque is qui a Platone exhibetur, enucleari nequit. Sed, ut supra dixi, veri dissimile non est Platonem suum catalogum aliis opponere et fabulam vetustate probatam amplecti. Neque enim singulos

---

[1]) Philol. XXXXVIII (1889) p. 268. Gesch. d. Alt. II p. 715.

[2]) Philol. LII (1893) p. 204.

[3]) In Pauly-Wissowa II 837 s. v. Arion.

[4]) Hiller, Rhein. Mus. XXXIII (1878) p. 518 sq.

[5]) Philol. LV (1896) p. 3. In Pauly-Wissowa III 383 s. v. Bias. Lobonem sane septem sapientium poemata non finxisse, sed deprompsisse e septem sapientium certamine quodam antiquo, septem sapientium convivio quarti saeculi, recte iudicat U. de Wilamowitz, Textgesch. d. griech. Lyrik., Abhandl. d. Götting. Gesellsch. d. Wissenschaften, Philos.-hist. Klass. N. F. Bd. IV n. 3 p. 40 adn. 3.

septem sapientes enumeraret idque eo modo quo enumeravit, si unus catalogus exstitisset omnium consensu probatus. Atque hoc inde potissimum concludi potest, quod Mysonem praebet quem Hipponax quidem laudavit, posteriores autem plane neglexerunt, cum eius in locum vel Anacharsin vel Periandrum substituerent, non vero hunc in illorum locum, ut nonnulli scriptores affirmant, veluti Clem. Alexandr. Strom. I cap. 14 p. 129, 18 Sylb. Πλάτων δὲ ἀντὶ Περιάνδρου ὡς ἀναξίου σοφίας διὰ τὸ τετυραννηκέναι ἀντικατατάττει Μύσωνα τὸν Χηνέα (vide quae exponam in cap. IV). Sed unde Plato suum catalogum sumpserit, prorsus incertum est.

Quod H. Schott[1]) coniecit canonem septem sapientium demum a sophistis constitutum esse, eis quae exposui refutatum est. Sed in hac eius coniectura illud recte animadversum est sophistas in excolendis septem sapientium fabulis multum valuisse. Qua de re iam mihi pluribus agendum est.

Plato illo Protagorae loco dicit dicta enuntiare non posse nisi viros omni doctrina instructos, quales septem sapientes fuerint. Itaque iam Platonis aetate pervulgata omniumque in ore erant septem sapientibus adscripta concise et breviter dicta, nonnulla saltem ex eis quae postea septem sapientibus tributa sunt, quae cum locis communibus et proverbialiter dictis mixta ita septem sapientibus supposita sunt, ut ad unum alterumve illorum vix ullum dictum certo revocari possit. Sunt tamen omnia eiusdem generis: ad vitam communem, vulgarem hominum consuetudinem spectant, philosophiam quae est de vita et moribus redolentia. Talia dicta et placita consensu hominum sancita aliquid veri quod vetustate probaretur pronuntiabant idoneamque disserendi materiam praebebant sophistis, qui ullam esse agendi normam firmam ac mansuram prorsus negabant et pro summa lege uniuscuiusque arbitrium esse habendum statuebant. Quis miretur sophistas illa dicta praeceptaque amplexos esse ac quatenus quidque inesset veri in his ipsis indagasse, cum

[1]) *De septem orbis spectaculis quaestiones, diss. Monac., Onoldi 1891 p. 16: Septem sapientium quoque canonem, quamvis non ab Alexandrinis, sed, ut videtur, a sophistis constitutum ab illis non neglectum fuisse et Demetrii Phalerei et Hermippi Callimachei de illis opera documento sunt.*

suum esse putarent quicquid hominem omnibus in rebus fortem redderet, virtutem docere? Neque impugnabant primi sophistae rationes quae vigebant et instituta. „Prodikus erscheint, inquit Zeller[1]), als ein Lobredner der alten Sitte und Lebensansicht, als ein Mann aus der Schule der praktischen Weisen und Lehrdichter, eines Hesiod und Solon, eines Simonides und Theognis". Neque eos his de placitis disserere supersedisse disputatio de Pittaci dicto χαλεπὸν ἐσθλὸν ἔμμεναι in Platonis Protagora monstrat, contra quod Simonides ipse pugnasse existimatur.

Sed Protagoram dialogum et interpretationem carminis Simonidei ad sophistas spectare argumentis comprobandum est eo magis, quod diversa opinio iam valere orditur. Locus enim est Protagorae 347 C κτλ. καὶ γὰρ δοκεῖ μοι τὸ περὶ ποιήσεως διαλέγεσθαι ὁμοιότατον εἶναι τοῖς συμποσίοις τοῖς τῶν φαύλων καὶ ἀγοραίων ἀνθρώπων. καὶ γὰρ οὗτοι διὰ τὸ μὴ δύνασθαι ἀλλήλοις δι' αὑτῶν συνεῖναι ἐν τῷ πότῳ μηδὲ διὰ τῆς ἑαυτῶν φωνῆς καὶ τῶν λόγων τῶν ἑαυτῶν ὑπὸ ἀπαιδευσίας, τιμίας ποιοῦσι τὰς αὐλητρίδας, πολλοῦ μισθούμενοι ἀλλοτρίαν φωνὴν τὴν τῶν αὐλῶν καὶ διὰ τῆς ἐκείνων φωνῆς ἀλλήλοις σύνεισιν· ὅπου δὲ καλοὶ κἀγαθοὶ συμπόται καὶ πεπαιδευμένοι εἰσίν. οὐκ ἂν ἴδοις οὔτ' αὐλητρίδας οὔτ' ὀρχηστρίδας οὔτε ψαλτρίας, ἀλλ' αὐτοὺς αὑτοῖς ἱκανοὺς ὄντας συνεῖναι ἄνευ τῶν λήρων τε καὶ παιδιῶν τούτων διὰ τῆς αὑτῶν φωνῆς. λέγοντάς τε καὶ ἀκούοντας ἐν μέρει ἑαυτῶν κοσμίως. κἂν πάνυ πολὺν οἶνον πίωσιν. οὕτω δὲ καὶ αἱ τοιαίδε συνουσίαι — οὐδὲν δέονται ἀλλοτρίας φωνῆς οὐδὲ ποιητῶν — ἀλλὰ τὰς μὲν τοιαύτας συνουσίας ἐῶσι χαίρειν. αὐτοὶ δ' ἑαυτοῖς σύνεισι δι' ἑαυτῶν, ἐν τοῖς ἑαυτῶν λόγοις — τοὺς τοιούτους μοι δοκεῖ χρῆναι μᾶλλον μιμεῖσθαι ...... quo nixus F. Duemmler[2]) dicit: Wenn die Unterhaltung über Dichter mit diesen Trinkgelagen der Ungebildeten verglichen wird, so zielt dies neben Xenophon (sc. eius Convivium) auf Antisthenes, welcher über Homer und über Theognis geschrieben hatte ..... Gegen Antisthenes ist natürlich auch die ganze Fragestellung des Dialogs mit dem scheinbar negativen Resultat gerichtet, und zwar hauptsächlich gegen dessen Herakles, namentlich hat die Interpretation des Simonideischen

[1]) Philos. d. Griech.[5] I 2 p. 1124 sq.

[2]) Akademika p. 50 sq.

Gedichtes den Zweck, den Antisthenischen Satz (Diog. Laert. VI 105) τὴν ἀρετὴν ἀναπόβλητον ὑπάρχειν mit Antisthenischer Interpretationsmethode zu widerlegen" et in adn. 1.[1]) „Als eine launige Parodie auf Antisthenes können wir jetzt mit Sicherheit die Auseinandersetzung des Sokrates über die lakonische Brachylogie der 7 Weisen betrachten p. 342 A bis 343 B, wenn wir ein .... Diktum des Antisthenes danebenhalten: τὴν ἀρετὴν βραχυλόγον εἶναι, τὴν δὲ κακίαν ἀπεραντο-[λόγον]. Diese Einleitung wirkt vor der langen Rede des Sokrates fast störend, wenn sie nicht den Zweck hat auf die Inkonsequenz des Antisthenes hinzuweisen, der gewiss μακρῷ λόγῳ über die Dichter geschrieben hatte".

Quid? Num inde quod Antisthenes de Homero et Theognide scripsit, concludere licet colloquia de poesi a Platone commemorata ad Antisthenem referenda esse? Et de poetis scribere num idem est atque de poesi colloqui? Sed satis dilucide demonstrari potest verba συμπόσια τὰ τῶν φαύλων καὶ ἀγοραίων ἀνθρώπων atque ἄνευ τῶν λήρων κτλ. non magis ad Xenophontis Convivium spectare quam τὸ περὶ ποιήσεως διαλέγεσθαι et totum dialogum ad Antisthenem.

Agedum inspiciamus praefationem interpretationis carminis Simonidei 338 E sq. ἡγοῦμαι, ἔφη (sc. Protagoras), ὦ Σώκρατες, ἐγὼ ἀνδρὶ παιδείας μέγιστον μέρος εἶναι περὶ ἐπῶν δεινὸν εἶναι· ἔστι δὲ τοῦτο τὰ ὑπὸ τῶν ποιητῶν λεγόμενα οἷόν τε εἶναι συνιέναι ἅ τε ὀρθῶς πεποίηται καὶ ἃ μή. καὶ ἐπίστασθαι διελεῖν τε καὶ ἐρωτώμενον λόγον δοῦναι. Num hoc in Antisthenem eiusque asseclas cadere potest? Cynicos quoque poetas perscrutatos esse, ut partim placita sua eorum auctoritate confirmarent partim singulas eorum sententias suum in usum converterent certissimum est; sed poemata illos interpretatos deque his collocutos esse non credideris, si eorum de moribus doctrinam respexeris. Sin autem cognoveris sophistas (Plat. Protag. 316 D) non negare Homerum Orpheumque suos esse, si consideraveris, qualis sophistarum docendi et disserendi ratio fuerit, num infitiaberis illa de poesi colloquia solummodo ad sophistas referenda esse, quippe quorum omnis doctrina in interpretando posita fuerit?

---

[1]) Cf. etiam p. 245.

Atque minime hercle hac Simonidei carminis interpretatione Plato efficere studuit, ut illud Antisthenis dictum a Duemmlero allatum Antisthenica explicandi ratione refutaret. Neque enim de isto dicto disputatur neque Antisthenis disputandi rationem cognovimus. Immo omnis quaestio ἐν τῷ χαλεπὸν ἐσθλὸν εἶναι et χαλεπὸν ἐσθλὸν γενέσθαι versatur, et quis est qui neget solius sophistae esse, quod Protagoras Simonidem ipsum secum pugnantem facit discriminis inter γενέσθαι et εἶναι ratione non habita, quae ut habeatur Socrates demum monet? Unde efficitur, ut neque τὸ περὶ ποιήσεως διαλέγεσθαι neque interpretatio carminis Simonidei ad Antisthenem spectet, sed utrumque ad sophistas referendum sit aeque ac totus dialogus, id quod his quoque comprobari potest. Socrates tanquam nimis obliviosus orat, ut Protagoras brevi atque concisa dicendi ratione utatur neve tantopere in longum orationem protrahat; interrogando et respondendo secum disputet, non ad singulas quaestiones longum sermonem producens orationemque intercipiens, ne alius loquatur, sed ut eius verbositate plurimi qui audiant obliviscantur, qua de re quaestio proposita fuerit (Protag. 334 D. 336 sq.). Uter igitur tali dicendi facultate praeclarus erat, Cynicus an sophista? Respondeat Protagoras ipse p. 335: εἰ οὖν μέλλεις (sc. Protagoras) ἐμοὶ (sc. Socrati) διαλέξεσθαι. τῷ ἑτέρῳ χρῶ τρόπῳ πρός με, τῇ βραχυλογίᾳ. Ὦ Σώκρατες. ἔφη. πολλοῖς ἤδη εἰς ἀγῶνα λόγων ἀφικόμην ἀνθρώποις. καὶ εἰ τοῦτο ἐποίουν, ὃ σὺ κελεύεις, ὡς ὁ ἀντιλέγων ἐκέλευέ με διαλέγεσθαι, οὕτω διελεγόμην, οὐδενὸς ἂν βελτίων ἐφαινόμην οὐδ' ἂν ἐγένετο Πρωταγόρου ὄνομα ἐν τοῖς Ἕλλησιν.

Prae gravissimis his testimoniis Antisthenis nomen in Protagora dialogo indicatum evanescere oportet. Nam ne concisum quidem septem sapientium dicendi genus a Socrate praedicatum cum Duemmlero pro maligna ad Antisthenem referenda irrisione habendum est, qui quamquam ἀρετὴν βραχυλόγον εἶναι contenderit, tamen fusius scripserit. Sed tale dictum Cynicorum proprium non est, atque ex his ipsis quae supra attuli perspicuum est Socratem breviloquentia qua virtus continetur usum esse et postulasse. Sed sit hoc Cynicorum, sine sat perspicua causa colligere non licet Antisthenem copiosius scripsisse. Celebratur breviloquentia septem sapientium mentis acie itaque virtute ornata eaque sophistarum

loquacitati opposita. Neque enim Socrates a Protagora postulare potest, quod ipse irrideat.

Itaque Duemmleri de Protagora dialogo sententiam probare nequeo; multo minus opinionem hac de re a Joëlio l. l. totiens repetitam. Hoc enim iudice non solum Platonis Protagoras, sed etiam Convivia et Platonis et Xenophontis et Callias Aeschinis Antisthenem respiciunt eiusque convivium quoddam, quod hunc in uno de quinque libris Προτρεπτικοῦ περὶ δικαιοσύνης καὶ ἀνδρείας[1]) exhibuisse necesse sit. Quod testari lucide tria quae habemus huius operis frustula in quibus de poculo, cibo porcario, matula agatur, quae vel apud Cynicum convivandi rationem redolere unumquemque concedere oporteat. Ad convivium optime quadrare fragmentum 58, 7 Winck. = 82 Mull. Ἀντισθένης ἐρωτηθείς, τί δή ποτε οὐχ οἱ πλούσιοι πρὸς τοὺς σοφοὺς ἀπίασιν, ἀλλ' ἀνάπαλιν, εἶπεν. ὅτι οἱ σοφοὶ μὲν ἴσασιν, ὧν ἐστιν αὐτοῖς χρεία πρὸς τὸν βίον, οἱ δὲ οὐκ ἴσασιν· ἐπεὶ μᾶλλον σοφίας ἢ χρημάτων ἂν ἐπεμελοῦντο. Neque male cum hoc Antisthenis dicto convenire locum quendam Convivii Xenophontei (IV 62), secundum quem Antisthenes Hippiam et sapientem Prodicum duxerit ad Calliam, quia huic philosophia, illis pecunia opus esse viderit. Quid igitur sequi? Apud Antisthenem sapientes ad divites venisse, quod argumentum de sapientium cum tyrannis et opulentis consuetudine in eius fragmentis saepe repetitum sit Et cum συνουσίᾳ sapientium apud opulentos reges oblata esse et colloquia et convivium. Itaque Antisthenem convivium sapientium apud divitem quendam idque in Protreptico enarrasse, quod Plato et Xenophon et Aeschines respiciant. Divitem apud quem convivium habitum sit, esse Calliam, quippe ad quem Xenophonte teste Antisthenes sapientes eosque sophistas duxerit. Itaque in Calliae domo ab Antisthene convivantes sophistas fictos esse. Atque ut gravissimum argumentum, quod Plato Protagora dialogo ad Antisthenem spectet, Joëlius eum ipsum locum affert quem suum in usum iam Duemmler converterat p. 347 C κτλ. (cf. p. 14). Tum pergit p. 732: „Diese auffallend weit ausgeführte Darlegung sagt für jeden, der Augen hat, dass die Gedichtinterpretation auf ein Symposion gehört, dessen maskierte Kritik

[1]) Mullach FPhG II p. 276.

der Protagoras ist, nämlich auf das Symposion des antisthenischen Protreptikos. Die συνουσία des übermütigen platonischen Dialogs, die als συνέδριον arrangiert wird, enthält satirisch verdeckt das Symposion der Sophisten bei Kallias, die nach Xenophons ausdrücklicher Angabe Antisthenes bei diesem eingeführt hat. Der arme Cyniker! Er meinte sich gerade auf den Umgang mit Menschen und ausdrücklich gerade auf die Geselligkeit beim Symposion zu verstehen, er war so stolz auf seine Bildung und meinte so recht ein Fest der Edlen zu geben, wenn er sie statt der teuer erkauften fremden Stimmen der Flötenspielerinnen lieber mit eigenen Mitteln eine litterarische Unterhaltung pflegen liess. Und nun sagt ihm Plato, dass der Prunk mit Dichtercitaten eben auch nur ein Schmücken mit fremden Federn und eine Unterhaltung für Parvenus sei, und der böse Kritiker schlägt so Antisthenes gerade mit seinen Waffen." Sed iudicio praesumpto ratiocinatio facta Protagorae dialogo tectam subesse significationem Antisthenis convivii non magis est vera quam Antisthenis convivium ipsum, id quod nunc demonstrabimus.

Ut Duemmler Platonis verba συμπόσια τῶν φαύλων καὶ ἀγοραίων ad Xenophontis Convivium et τὸ περὶ ποιήσεως διαλέγεσθαι ad Antisthenis Herculem rettulit, ita Joëlius utrumque ad Antisthenis Convivium. Sed vel hac ex re liquet Joëlium Platonis locum perperam intellexisse.

Ut Platonem Protagora dialogo celato nomine Antisthenis Convivium impugnare falso dici intellegamus, inspiciamus locum ipsum necesse est. Hic de poesi colloquia comparantur cum conviviis eorum qui omnis cultus humanitatisque expertes sunt, quos tibiae delectant aeque atque illos qui de suis ipsorum sententiis colloqui non possunt, poetae oblectant, non se ipsi. Distinguuntur igitur tria genera conventuum, primum quibus qui intersunt de ipsorum sententiis colloquuntur, deinde de aliorum, id est de poesi, tum qui propter ignorantiam ne de poetis quidem disserunt, sed convenientes convivium faciunt in quo tibicinae eos delectant. Itaque nusquam agitur de convivio in quo convivantes de poesi inter se colloquuntur. Joëlius autem omnia suum in usum consuit et contaminavit. Quid ergo hoc de loco statuendum est? Aut Antisthenes convivium non scripsit, sed sophistas tantum

de poesi colloquentes fecit aut convivium scripsit; tum qui eius participes fuerunt, non de poesi colloqui poterant, sed tibicinae prodierunt eosque oblectarunt. [1]) Certissime igitur omnia contra Joëlii opinionem pugnant, qui Antisthenem convivium scripsisse putet, in quo convivantes permultum de poesi disputaverint. Neque enim licet Platonis verba συμπόσια τῶν φαύλων καὶ ἀγοραίων quos propter ignorantiam tibicinae oblectant, ad Cynicos referre; talia convivia ad cotidiana vulgi oblectamenta spectare apparet. Neque quicquam in Platonis verbis est quod nobis ansam det, qua Cynicorum sectam significatam putemus, nedum Antisthenis Convivium. Sophistarum disputandi genus hic Plato perstrinxit, qui sententias e poetis delibatas ac surreptas ad vivum resecant, sed Socraticam disserendi rationem quae uniuscuiusque sententia concise ac breviter disserenda continetur, assequi non possunt.

Quae cum ita sint, Joëlii unum argumentum allatum „für jeden, der Augen hat“ non solum nihil valet, sed falsum est. Qui ceterum sibi non constat, cum modo dicit p. 733: „Wenn er (Antisthenes) sie statt der teuer erkauften fremden Stimmen der Flötenspielerinnen lieber mit eigenen Mitteln eine literarische Unterhaltung pflegen liess“ modo eadem in pagina contendit: „Um zur geistigen Unterhaltung mahnen zu können, muss aber Antisthenes wie Xenophon erst die Flötenspielerin vorgeführt haben.“

Itaque Platonis Protagoras ex ordine argumentorum Antisthenis Convivii removendus est. Reliquis in argumentis Joëlii ratiocinationis imbecillitas etiam magis elucet. Neque enim ignorat Joëlius, cuius in domo Antisthenes convivium factum esse voluerit p. 713: „Wir können sogar den Ort des antisthenischen Symposions angeben: das Haus des Kallias. Dort spielt nicht nur das ihm nachgebildete xenophontische Symposion, sondern auch der auf den Protreptikos

---

[1]) In Platonis Convivio qui Agathonis domum conveniunt huius victoriam celebraturi, sed hesterno mero iam gravati intermissione quadam egent, convivium facere nolunt, sed cuiusque arbitrio permittunt, quantum bibat. Quamobrem dicit Eryximachus 176 E εἰσηγοῦμαι τὴν μὲν ἄρτι εἰσελθοῦσαν αὐλητρίδα χαίρειν ἐᾶν, αὐλοῦσαν ἑαυτῇ ἢ ἂν βούληται ταῖς γυναιξὶ ταῖς ἔνδον, ἡμᾶς δὲ διὰ λόγων ἀλλήλοις συνεῖναι τὸ τήμερον.

hinweisende Protagoras und der Kallias des Aeschines, und die Brücke zwischen den Symposien und der Sophisteneinkehr dieser beiden Dialoge schlägt Xenoph. Symp. IV 62: Du, Antisthenes, hast dem Kallias Hippias zugeführt und den weisen Prodikos, da du sahst, dass jener (der reiche Kallias) Philosophie und dieser Geld brauchte. Und damit man nicht glaube, Xenophon phantasire, liest man bei Antisthenes (frg. 58, 7 W. cf. p. 17) auf die Frage, weshalb nicht die Reichen zu den Weisen kommen, sondern umgekehrt, die Antwort: weil die Weisen wissen, was ihnen zum Leben fehlt, jene aber nicht, da sie sonst mehr nach Weisheit als nach Geld streben würden. Dieser Witz stand also im Protreptikos, und das stimmt ja auch zum Inhalt des λόγος προτρεπτικός: strebt nicht nach Geld, sondern nach Weisheit und Tugend! Die Weisen kamen also bei Antisthenes zu den Reichen." Atqui Xenophontis locus prorsus contrarium docet: οἶδα μέν, ἔφη, σὲ Καλλίαν τουτονὶ προαγωγεύσαντα τῷ σοφῷ Προδίκῳ, ὅτε ἑώρας τοῦτον μὲν φιλοσοφίας ἐρῶντα, ἐκεῖνον δὲ χρημάτων δεόμενον, οἶδα δέ σε Ἱππίᾳ τῷ Ἠλείῳ, παρ' οὗ οὗτος καὶ τὸ μνημονικὸν ἔμαθεν. Itaque non sapientes ad divitem, sed dives ad sapientes venit, convivium igitur Antisthenis fictum in Calliae domo factum esse non potest. Sed licet sapientes ad divitem aut invicem venerint, num ex hac re convivium factum esse nobis concludendum est? Hic enim, id quod diserte dictum est, ut sapientior fiat, it, illi, ut pecuniam sibi parent. Atque dialogicam συνουσίαν apud divitem idem esse atque convivium quis erit qui contendat? Vide Platonis dialogos excepto Convivio, vide Herodoti Solonem apud Croesum, iam tibi persuadebis convivia illos non exhibuisse, sed dialogicam συνουσίαν.

Nunc quaeramus, quosnam Antisthenes in Calliae domo convivantes fecerit. Atque illo Xenophontis loco nixus respondet Joëlius (p. 732) sophistas et addit p. 895: „Endlich glaube ich sagen zu dürfen, dass Antisthenes die Idee des Symposions und des Sophistenkongresses bei Kallias, diese Scenerie seines Protreptikos, die ihm Xenophon im Symposion IV 62 zuschreibt, und die neben Xenophon auch in Platos Protagoras und Aeschines' Kallias niederschlägt, aus der Komödie selbst entnommen hat: nämlich aus Eupolis'

Κόλακες, wo wir den schwelgenden Mäcen Kallias, Protagoras als Symposiasten, auch andere Sophisten als Parasiten, den erotischen Alkibiades — kurz die ganze im Protagoras nachgebildete Situation des Protreptikos haben." Necopinato vero p. 759 legimus: „Und wenn Antisthenes daneben als Meister der Brachylogie die 7 Weisen feiert, so werden sie wohl auch als solche sich beim heiteren Mahle gezeigt haben: dazu stimmen wieder die Spuren, die auf ein Symposion der sieben Weisen im antisthenischen Protreptikos wiesen . . . . . Und thatsächlich blickt ja sowohl Xenophon (Symp. I 4. IV 62) wie Plato im Protagoras auf ein antisthenisches Symposion der (sc. 7) Weisen bei Kallias. Wie kommt nun Antisthenes auf dies fruchtbare scenische Motiv, das bei drei anderen Sokratikern niederschlägt? Es erklärt sich am besten aus dem Vorbild des Gastmahls der Weisen bei Crösus resp. Periander, das sich als altkynisch nachweisen und selbst wieder aus gegebenen Elementen erklären lässt." Nonne vides, quantopere Joëlius ipse secum pugnet? Quae modo dixit, oblitus est. An Antisthenes in Protreptico duo convivia exhibuit, cum Joëlius convivii modo sophistarum modo septem sapientium ab Antisthene enarrati mentionem faciat?

Cum Antisthenem sub Socratis persona Protagora dialogo septem sapientes breviloquentiae peritissimos celebrare, id quod Plato celato nomine impugnet, falsum sit, quod demonstrasse me confido, etiam Antisthenis convivium septem sapientium quippe quod hac sola e re conclusum sit, falsum est. Neque ullius quidem momenti sunt quae Joëlius ad opinionem suam confirmandam protulit. Dicta enim septem sapientium quae in potando, tacendo, dicendo etc. versantur, Joëlio iudice optime ad convivium quadrant, et convivio tantum explicari potest quod quae de septem sapientibus nobis tradita sunt, plerumque dialogica forma sint. Num hoc convivii argumentum est? Eodem enim modo omnia fere dicta et proverbia, non solum septem sapientium ad convivium revocare potes. Συμπόσιον χωρὶς ὁμιλίας ἡδονὴν οὐκ ἔχει, recte dicit Antisthenes (frg. 81 Mull.), quod placitum in convivio quodam fuisse minime necesse est, sed ὁμιλία χωρὶς συμποσίου non minus recte se habet, id quod totiens comprobatum videmus.

Num igitur licet colligere quicquid dialogica forma traditum sit, ad convivium redire?

Ac Joëlio iudice convivio septem sapientium etiam varias de septem sapientibus fabularum formas optime intellegi, imprimis qua ratione Anacharsis in septem sapientibus numeretur, quomodo Periander quamquam tyrannus est neque Cynicorum ex sententia sapiens esse potest, tamen unus e septem sapientibus sit. Ipsius spinosam et vix credibilem explicationem proponam (p. 762): „es ist doch möglich, ja nach den Dreilagern des griechischen Symposions wahrscheinlich, dass die Zahl der Teilnehmer mit dem Gastgeber nicht gerade 8 betrug. Die späteren Berichterstatter aber nannten statt der Weisen die Tischgenossen, und so geriet Anacharsis unter die 7 Weisen. Die weiteren Namenschwankungen erklären sich dann dadurch, dass es der Tischgenossen und Hauptredner noch mehr waren oder dass Nachahmer mit den Personen des Gastmahls variierten, oder auch dass andere, im Originalgespräch nur citierte Autoritäten von den Späteren als Weise mitgezählt werden. . . . Dass Plato nicht erfindet, sondern auf Fremdes anspielt, zeigt auch das Mitschleppen unbenützter, unbegründeter Motive z. B. das schon den Alten aufgefallene Einsetzen des Myson für Periander; zwei Gründe lassen sich dafür denken, und beide weisen auf den Cyniker. Periander kann als Tyrann nach kynischer Auffassung nicht Weiser sein nnd muss deshalb durch Myson ersetzt werden. Aber es giebt eine bessere Auskunft für die Ausscheidung Perianders, dem auch der Cyniker nicht so leicht das festsitzende Prädikat rauben konnte. Bei Dio Chrysost. XXXII (est autem XXXVII, Κορινθιακός) 4 flieht Solon die Tyrannis des Peisistratos, aber nicht die des Periander. Hier lesen wir auch das kynische Dilemma, dass Periander τύραννος καὶ σοφός ist, und hier auch die kynische Lösung: Periander hat nicht die Demokratie vergewaltigt, sondern die Herrschaft von seinem Vater geerbt, den zwar die Hellenen τύραννος nannten, die Götter aber βασιλεύς . . . . Dass aber auch der gereinigte Periander bei Antisthenes-Plato nicht unter den Sieben gezählt wird, erklärt sich nun am einfachsten wieder durch die Annahme eines Gastmahls, zu dem die 7 Weisen kommen, unter denen

dann natürlich der Gastgeber nicht mit gezählt wird, der ja nach einer verbreiteten Tradition Periander war."

Cuinam Joëlius opinionum commenta sua quibus fabulas interpretari vult, probaturum se esse sperat? Omitto notionem fabularum de septem sapientibus Joëlium fugisse. Quid eum responsurum esse credimus interrogatum, cur Plato in Periandri locum Mysonem substituerit, qui iam Platonis aetate ignotus erat, cum praesto essent clariora sapientium nomina? Plato certissime Mysonem pro Periandro catalogo suo non inseruit, sed quod ipse Mysonem, alii inde ab Aristotele Mysone neglecto Periandrum in septem sapientium numero habent, eam ob causam aetate posteriores putabant Mysonem a Platone catalogo insertum esse (cf. cap. IV). Neque magis Joëlius illo Dionis Chrysostomi loco allato evincere potuit, quomodo Periander tyrannus in septem sapientibus numerari potuerit. Nam diserte illic dicitur Periandrum quamquam a dis regem, tamen a Graecis semper tyrannum vocatum esse, neque quicquam deorum iudicium valet, nam septem illi non deorum, *sed populorum suffragio omnium nominati sunt* (Cic. de finib. II 3, 7). Vides igitur Periandrum e Cynicorum sententia sapientem nunquam esse potuisse, quod ipsum Joëlius sua ratione nobis probare voluit. Sed quod maius est, alteram difficultatem tollere conatus Joëlius altera implicatur. Solon igitur non Periandri, sed Pisistrati dominationem fugit. Atqui Pisistratus quoque in septem sapientibus habetur (Diog. Laert I 13. 122). Tum quod Solon eius tyrannidem evitat, apparet Pisistratum a Cynicis inter septem sapientes referri non licere. Quomodo igitur Pisistratus in septem sapientium ordinem venit? Quid Joëlius responsurus sit, haud ignoramus, qui quam explicandi rationem sequi soleat, iam probe sciamus. 'Convivio quodam', inquiet.

At ut ne varia quidem septem sapientium nomina convivio Antisthenico explicari possunt, ita multo minus alia inde lucem accipient, veluti patera quae in nonnullis fabellarum formis pro tripode sapientissimo praemium datur. Nam pateram non in convivio, sed praemium epigrammatis Homerus accipit, quod Midae regi composuit (Certam. Hesiod. et Hom. p. 247, 261 Rz.). Atque Croesus magnam copiam aurearum paterarum Apollini θύσας κατέκαιε (Herod. I 50). Quare per-

suasum tibi esse puto pateram non solum ad convivium quadrare. Deinde quale convivium septem sapientium apud Croesum aut Periandrum, quod Joëlius „altkynisch" appellat, Antistheni exemplar fuerit, intellegere prorsus nequeo, praesertim cum ipse dicat p. 760: „Vor dem 4. Jahrhundert haben wir keine Spur der Tradition des Weisengastmahls Wäre es der Fall, so wäre damit die Sokratik um den Ruhm gebracht, den philosophischen Dialog begründet zu haben". Nec magis intellego, cum iam a Joëlio audiverim convivium in Calliae domo factum esse, ea quae sequuntur (p. 763): „Aber sollte das antisthenische Gastmahl nicht bei Krösus stattfinden? Doch ich meine, gerade das ist antisthenisch: das wohl nur in der Erinnerung stehende Schwelgermahl beim typischen Protzen, beim falschen βασιλεύς gegenüberzustellen der eben stattfindenden einfachen, geistig vornehmen Bewirtung bei dem weisen Periander, der βασιλεύς nicht heisst, aber ist. In diesem Lichte erscheint ja der Gastgeber Periander auch bei Plutarch. . ."

Actum est de Joëlii Convivio Antisthenico, quod tam enixe, sed frustra e locis undique congestis conglutinare studuit. Nam ne tria quidem quae habemus Protreptici frustula in hoc fictum convivium releganda esse Joëlio concedes. Nonne mirum foret e quinque illius operis libris potissimum huius convivii fragmenta nobis servata esse?[1]) Et si verum esset Antisthenem tale convivium scripsisse, quod tot celeberrimi scriptores respexissent, cui tantam vim et auctoritatem Joëlius tribuit, num putas nihil nobis hac de re traditum fuisse?

Vereor, ne nimis longus hac in re fuerim, sed gravissima quaestio eo magis pluribus mihi pertractanda erat, quod ceteroquin Joëlii coniecturas neglegam.[2])

[1]) De Petronii 'Cena Trimalchionis' aliter iudicandum est; nam haec ut tota Petronianae saturae inserta est, ex Antisthenis Convivio singula fragmenta servata essent.

[2]) Ut intellegas, quanti pretii aliis quoque in quaestionibus Joëlii coniecturae sint, vide A. Doering, Wochenschr. f. klass. Philol. 1901 n. 23 p. 617 sq. et O. Apelt, Berlin. Philol. Wochenschr. 1901 n. 28 p. 856 sq.

Sed revertamur, unde defleximus. In **Platonis Protagora** dialogo qui ad sophistas spectat, de loco communi disputatur, quod quin sophistae totiens vel semper fecerint haud dubito.[1])

Recte iudicat Plutarchus Alexand. 1 οὔτε ταῖς ἐπιφανεστάταις πράξεσι πάντως ἔνεστι δήλωσις ἀρετῆς ἢ κακίας, ἀλλὰ πρᾶγμα βραχὺ πολλάκις καὶ ῥῆμα καὶ παιδιά τις ἔμφασιν ἤθους ἐποίησε. Talia placita pertractanda imprimis sophistae colligebant, atque nonnunquam cum dictis nomina eorum qui haec pronuntiaverant, offerebantur. Et illis temporibus multa proverbialiter dicta aut auctore priva in nomina clarorum virorum qui τελέως πεπαιδευμένοι putabantur et dicta aut pronuntiaverant aut pronuntiasse existimabantur, congesta sunt, neque quin posterioribus temporibus etiam plura transferrentur fieri potuit. Sed dicta tamquam doxographicam partem quaerentes ne auctores quidem eorum tamquam biographicam sophistae neglexerunt. Neque enim septem sapientes ii erant qui nihil facerent nisi dicta pronuntiarent. aut philosophi quales Plato in Theaeteto 173 sq. descripsit, sed ut omni doctrina instructi ita in rebus et vita versati, quamobrem absoluti et perfecti sapientes sophistis erant, qui doctrinam pro nihilo putabant, nisi ad usum adiungeretur.[2]) Itaque sophistas in septem sapientium fabellis excolendis multum valuisse ex omni illorum doctrina concludere possumus, quamquam certiora testimonia desunt Ca-

[1]) Cf. etiam Maass, Hermes XXII (1887) p. 585. Novák, Jahrb. f. Philol. Supplbd. XIII (1884) p. 468.

[2]) Cf. Bergk, Griech. Litteratg. II, 412: „Charaktervolle Männer, welche damals als Gesetzgeber, Regenten oder sonst im öffentlichen Leben thätig waren, hatten diese Aufgabe deutlich begriffen und suchten nun, indem sie sehr wohl erkannten, dass selbst die beste Gesetzgebung unzulänglich sei, durch eine gesunde Moral auf das Volk einzuwirken. Dazu erschienen ihnen kurze Denksprüche als das geeignetste Mittel, wie ja seit Alters diese Spruchweisheit bei den Hellenen hochgeschätzt wurde. Es sind praktische Lebensregeln, die einen klar verständigen Geist atmen und von scharfer Beobachtung zeugen; in bündigster Form zusammengefasst haften diese Sittensprüche leicht im Gedächtnis, sie wurden daher bald Eigentum der ganzen Nation und erhielten das Andenken jener verdienten Männer bei der Nachwelt. Mit Recht wurden jene vor allen anderen Weise genannt".

talogus septem sapientium eis acceptus erat, quo placita sua discipulis illustrare possent.

Dicta septem sapientibus tributa omnino philosophicis sectis uberrimus fons erant, e quo unaquaeque interpretationes et explicationes haurire potuit, atque re vera varie haec dicta explicari poterant, quamobrem fieri non potuit quin nonnulla etiam prava consilia putarentur (Aristot. Rhetor. III 12 sq.). Atque Cynicos et Pyrrhoneos et Stoicos haec placita amplexos esse nobis etiam sine Diogenis Laertii testimonio concludendum esset, qui dicit IX 71 ἔπειτα καὶ τῶν ἑπτὰ σοφῶν σκεπτικὰ εἶναι οἷον τὸ 'μηδὲν ἄγαν' καὶ 'ἐγγύα, πάρα δ' ἄτα'. Cf. Aristoteles apud Plutarchum adv. Colot. 20 = Arist. frg. 1 Rose (1886) καὶ τῶν ἐν Δελφοῖς γραμμάτων θειότατον ἐδόκει τὸ 'γνῶθι σαυτόν', ὃ δὴ καὶ Σωκράτει ἀπορίας καὶ ζητήσεως ταύτης ἀρχὴν ἐνέδωκεν. Plutarch. de ε delph. 2 ὅρα δὲ καὶ ταυτὶ τὰ προγράμματα, τὸ 'γνῶθι σαυτὸν' καὶ τὸ 'μηδὲν ἄγαν', ὅσας ζητήσεις κεκίνηκε φιλοσόφοις καὶ ὅσον λόγων πλῆθος ἀφ' ἑκάστου καθάπερ ἀπὸ σπέρματος ἀναπέφυκεν. Atque in eis quae Diodorus IX 9 (10 in edit. Vogel.) narrat, tales interpretationes dictorum septem sapientium latere vel potius esse quis neget? Et hac quoque re confirmatur, quod de fontibus quibus in libro nono usus est, constat, Diodorum in prima parte libri noni auctorem maxime ex Hermippo pendentem secutum esse.[1])

[1]) Cf. de Wilamowitz, Hermes XXV (1890) p. 196 sq. Aristot. und Athen I p. 266 adn. 13: „So einfach liegt also das Quellenverhältnis nicht, dass Plutarch, Diogenes und Diodor, alle drei direkt auf Hermippos zurückgingen. Diesen selbst hat nur Plutarch gehabt, Diogenes repräsentiert den Strom der Philosophenbiographie, wie er etwa zu Plutarchs Zeit sich darstellte; Diodor hat, vielleicht nicht unmittelbar, aus demselben Strome 150 Jahre früher geschöpft. Aber dieser Strom ist derselbe, die Tradition von den 7 Weisen, keineswegs die von Solon allein; Ephoros als Quelle Diodors ist für jeden, der die Parallelüberlieferung kennt, undenkbar".

Caput II.

Hebdomas sapientium quare ficta sit.

Quot autem sapientes collati sunt? Septem. Atque nomina eorum percensentibus qui in hoc sapientium ordine a Platone habentur, interrogandum est, cur hi septem potissimum electi sint.

Doctos aevi quod dicitur Alexandrini tales canones in deliciis habuisse satis constat. Qui, ut nonnulla afferam, congesserunt septem mundi miracula, septem urbes, quae Homerum civem sibi vindicabant, nec non pleiades illas quae vocantur, alteram tragicorum poetarum, alteram comicorum itemque novem lyricorum.[1]) Hos autem novem lyricos antiqui philologi non optimos elegerunt, sed numerum eorum constituerunt, cum horum carmina ederent atque cum fide conscripta servarent. Lyricorum carmina colligentes novem tantum invenerunt, cuius rei clarissimum documentum est, quod decimus lyricus poeta nominari nequit. Accessit sane postea Corinna, sed semper domestica poetria mansit.[2])

In septem vero sapientibus res prorsus aliter se habet. Si praeceptorum ad vitam communem modo spectantium ratio habenda erat, nomina multorum virorum praesto erant qui ut auctores sapientes sanciri possent, quin etiam unum alterumve qui re vera inter septem sapientes refertur, in horum numero non exspectes. Sed sapientes erant qui res et doctrina et usu cognitas haberent, viri rei publicae gerendae haud imperiti neque minus consilii pleni et sapientiae compotes. Hac igitur e sententia sapientium hebdomas constituta est. Sed

---

[1]) Schott l. l. p. 15. O. Kroehnert. Canonesne poetarum. scriptorum, artificum per antiquitatem fuerunt? Diss. Regim. 1897 In canone decem oratorum res admodum dubia est; si eum non constituit Caecilius Caleactensis. tamen auctoritate sua, ut valeret. effecit. Cf. Heydenreich. De Quintiliani institut. orat. libro X. de Dionys. Halicarn. de imit. libro II. de canone, qui dicitur, Alexandrino quaest., diss. Erlang. 1900. Kroehnert, Wochenschr. f. klass. Philol. 1901 n. 16 p. 429.

[2]) De Wilamowitz. Bakchylides (Berlin 1898) p. 9. Textgesch. d. griech. Lyrik. p. 5. 10 sq.

quo ignotiora horum septem sapientium nomina posterioribus temporibus fiebant, quo clariora haec illave gens habebat, quo magis sapientis notio variata est, eo magis e pristino catalogo alia removebantur, alia subibant. Quamquam vero nomina tantopere variata sunt, ut septem sapientium numerus ad viginti duos auctus sit, tamen unum semper servatum est, eorum hebdomas. [1])

Quantam vim numeri in populari religione habeant, haud ignoramus, imprimis 3, 7, 9, 27. [2]) Iam apud Indos et nationes Semiticas hanc rem confirmatam videmus. Apud Arabes hebdomadem haud parvi momenti fuisse testimonio sunt quae Herodotus III 8 narrat. Arabes enim sic fidem dant et accipiunt. Si qui quid inter se pangere volunt, alius lapide acuto interiorem manum utriusque illorum prope pollicem incidit et sanguine septem lapides oblinit. τοῦτο δὲ ποιέων ἐπικαλέει τόν τε Διόνυσον καὶ τὴν Οὐρανίην. Idem Herodotus I 86 refert Cyrum iussisse Croesum compedibus vinctum in rogo Lydorum pueris bis septenis circumdari, quos aut alicui deo primitias offerret aut ut votum aliquod solveret. In occidente inde ex pervulgata Semiticarum gentium hebdomade a septem planetis ducta hebdomas in usum venit. Quem numerum in Iudaeorum historia fabulari multum valuisse neminem latet; de septem fratribus qui cum matre animo constanti supplicium subierunt, Maccab. II 7 nobis traditur; et quantam vim Iudaeorum fabulae in christianas habuerint, demonstravit L. Ginzberg. [3])

Etiam apud Graecos hebdomas multum valuit (Phil. de opific. mundi I 90 p. 31 ed. Cohn τὴν δ' ἑβδομάδος φύσιν οὐκ οἶδ' εἴ τις ἱκανῶς ἂν ὑμνῆσαι δύναιτο παντὸς οὖσαν λόγου κρείττονα.

[1]) Ut autem Caesar septem Romanorum regum statuis suam addidit octavam, ut Sappho decima Musa nominata est, ita per iocum stultus quidam ad septem sapientes octavus additur Κόροιβος (Callim. frg. 307 Schn. ἑπτὰ σοφοὶ χαίροιτε· τὸν ὄγδοον ὥστε Κόροιβον οὐ συναριθμέομεν) aut Stertinius (Hor. sat. II 3, 296).

[2]) Cf. Dieterich, Abraxas p. 47. 105. Usener, Sintfluthsag. p. 242. Diels, Sibyllin. Blätt. p. 40 sq.

[3]) Die Haggada bei den Kirchenvätern und in der apokalyptischen Litteratur. (Monatsschr. f. Gesch. u. Wissenschaft d. Judent. 1898/99.) Cf. etiam Landau, Zeitmärchen und Märchenzeit (Beil. z. Allg. Zeit. 1900 n. 127.)

I 99 p. 33 τοσοῦτο δ' ἐν ἑβδομάδι πέφυκεν εἶναι τὸ ἱεροπρεπές. ὥστ' ἐξαίρετον ἔχει λόγον παρὰ τοὺς ἐν δεκάδι πάντας ἀριθμούς). praecipue in Apollinis cultu. [1]) Hebdomas Apollinis sacra erat (Plutarch. de ἐ delph. 17 ἡ γὰρ ἱερὰ τοῦ Ἀπόλλωνος ἑβδομὰς ἀναλώσει τὴν ἡμέραν πρότερον ἢ λόγῳ τὰς δυνάμεις αὐτῆς ἁπάσας ἐπεξελθεῖν. Quaest. conv. IX 3, 1, 4 ἡ γὰρ ἐννεὰς δήπου ταῖς Μούσαις, ἡ δὲ ἑβδομὰς τῷ Μουσηγέτῃ προσκεκλήρωται. Hesiod. Op. 770

ἑβδόμη ἱερὸν ἦμαρ.
τῇ γὰρ Ἀπόλλωνα χρυσάορα γείνατο Λητώ.

Et scholiasta (Poet. Graec. min. ed. Gaisf. II (Lipsiae 1823) p. 419, 10 adnotat τὴν δὲ ἑβδόμην καὶ ὡς Ἀπόλλωνος γενέθλιον ὑμνῶν, διὸ καὶ Ἀθηναῖοι ταύτην ὡς Ἀπολλωνιακὴν τιμῶσι δαφνηφοροῦντες καὶ τὸ κανοῦν ἐπιστέφοντες καὶ ὑμνοῦντες τὸν θεόν. [2]) Lyd. de mens. II p. 33, 8 W. = Orph. fragm. 148 Abel οἵ γε μὴν Πυθαγόρειοι τῷ ἡγεμόνι τοῦ παντὸς τὴν ἑβδόμην ἀνατίθενται, τουτέστι τῷ ἑνί, καὶ μάρτυς Ὀρφεὺς λέγων οὕτως· ἑβδόμη, ἣν ἐφίλησεν ἄναξ ἑκάεργος Ἀπόλλων. Ἀπόλλωνα δὲ μυστικῶς τὸν ἕνα λέγεσθαι προειρήκαμεν[3]). Phil. de opific. mundi I 100 p. 34 ed. L. Cohn μόνος δ' ὡς ἔφην ὁ ἑπτὰ οὔτε γεννᾶν πέφυκεν οὔτε γεννᾶσθαι. δι' ἣν αἰτίαν οἱ μὲν ἄλλοι φιλόσοφοι τὸν ἀριθμὸν τοῦτον ἐξομοιοῦσι τῇ ἀμήτορι Νίκῃ καὶ Παρθένῳ, ἣν ἐκ τῆς τοῦ Διὸς κεφαλῆς ἀναφανῆναι λόγος ἔχει, οἱ δὲ Πυθαγόρειοι τῷ ἡγεμόνι τῶν συμπάντων. Censorin. de die nat. 14, 13 (Hultsch): *plerique duos istos numeros subtiliter discreverunt dicentes septenarium ad corpus, novenarium ad animum pertinere; hunc medicinae corporis et Apollini adtributum, illum Musis.* Neque desunt inde orta cognomina Apollinis ἑβδόμειος, ἑβδομαγενής, ἑβδομαγέτης (Procl. in Tim. III 200 C. p. 479 Schn. καὶ τῷ Ἀπόλλωνι τὴν ἑπτάδα ἀνεῖσαν, ὡς συνέχοντι πάσας τὰς συμφωνίας . . . . διὸ καὶ ἑβδομαγέταν ἐκάλουν τὸν θεόν, καὶ τὴν ἑβδόμην ἱερὰν ἔλεγον τοῦ θεοῦ. [4]) C. I. Gr. I n. 463 ἱερὸν Ἀπόλλωνος ἑβδομείου . . . . .) Apollinis dies natalis putatur apud

[1]) Cf. Kroll, Antiker Aberglaube, 278. Heft d. Samml. Virchow-Holtzendorf, Hamburg 1897 p. 37 sq. Roscher, Philol. LX (1901) p. näher 91 adn. 17. p. 101 adn. 35 b. p. 360 sq. Hermes XXXVI (1901) p. 488.

[2]) Cf. A. Mommsen, Delphika p. 282 sq. 284.

[3]) Cf. Lobeck, Aglaopham. 428.

[4]) Cf. Lobeck l. l. 434 a.

Delphos septimus mensis Βυσίου (Plutarch. quaest. gr. 9 ἐν τῷ μηνὶ γὰρ τούτῳ χρηστήριον ἐγίγνετο καὶ ἑβδόμην ταύτην νομίζουσι τοῦ θεοῦ γενέθλιον καὶ πολύφθοον ὀνομάζουσιν); apud Atticos et Delios septimus Θαργηλιῶνος: (Diog. Laert. III 2 καὶ γίνεται Πλάτων, ὥς φησιν Ἀπολλόδωρος ἐν χρονικοῖς, Θαργηλιῶνος ἑβδόμῃ· καθ' ἣν Δήλιοι τὸν Ἀπόλλωνα γενέσθαι φασί. Confer etiam Schol. Laur. in Aeschyl. Sept. 783 Kirchh. Plutarch. quaest. conv. VIII 1, 2, 1 Ἀπόλλωνος γὰρ ἀμφοτέρους ἑορτῇ γενέσθαι· τὸν μὲν (sc. Platonem) γὰρ Θαργηλίοις Ἀθήνησι, τὸν δὲ (sc. Carneadem) Κάρνεια Κυρηναίων ἀγόντων), apud Cyrenaicos septimus Καρνείου (Plutarch. l. l.); apud Antiochenos septimus Ἀρτεμισίου (Liban. or. I p. 236 R. [1]) Atque Apollinis die natali Pythia primum fata esse fertur (Schol. Pind. Pyth. p. 297 Boeckh. A. Mommsen, Delphika p. 282. Plutarch. quaest. gr. 9). [Dionys. Halicarn.] Art. rhetor. V p. 243 ed. Reiske. [2]) Hebdomadem Pythagorei bonam valetudinem, tempus, solem, Minervam intellexerunt (Alexand. ad Aristot. Metaph. I 5 985^{b} 26) non aliter atque opinionem et tellurem dyadem esse censuerunt. Philolaus autem rationi hebdomadem adiudicavit (Theolog. Arithm. ed. Ast, Lipsiae 1817 p. 55) [3]). Confer etiam Proclum in Plat. Tim. III 168 C καὶ γὰρ ἡ μονὰς καὶ ἑπτὰς ἀριθμοὶ νοεροί τινες· ἡ μέν γε μονὰς αὐτόθεν νοῦς, ἡ δὲ ἑπτὰς τὸ κατὰ νοῦν φῶς. καὶ διὰ τοῦτο καὶ ὁ περικόσμιος νοῦς μοναδικός τε καὶ ἑβδομαδικός ἐστιν. Pythagorei ut multa e vetere populari religione deprompserunt, ita hebdomadem indidem sumpserunt, quamquam hanc in multa non popularia transtulerunt, e. g. cum chordarum lyrae septenarium numerum constituerent. [4]) In Hippocratis scripta ab Alexandrinis receptus est libellus 'περὶ ἑβδομάδων', qui iam non graece, sed arabice exstat et in quem Galenus commentarium composuit. Cuius libelli principium est formam mundi eiusque partium sic ornatam esse, ut omnia hebdomadem exprimant [5]): esse igitur septem spatia vitae, sep-

---

[1]) Cf. Roscher, Philol. LX (1901) p. 362 adn. 5.

[2]) Cf. etiam Dittenberger, Syll. Inscr. Graec. n. 552, 7 II p. 242.

[3]) Boeckh, Philolaus p. 157. Zeller, Philos. d. Griech.^{5} I p. 390.

[4]) Cf Kroll l. l.

[5]) Cf. Phil. de opific. mundi I 98 p. 33 ed. Cohn ἐξ οὗ δῆλόν ἐστιν, ὅτι ἡ τῆς ἑβδομάδος οὐσία . . . ἀρχὴ καὶ συνελόντι φράσαι ἀσωμάτων ὁμοῦ καὶ

tem annualia tempora etc. [1]) Nonne ad Varronis quoque Hebdomades, quarum in libro primo de vi hebdomadis actum erat, [2]) sacer hic numerus magni fuit momenti? Neque huc non referendae sunt septem Lesbides quae sidera factae a Conone Alexandrino astrologo in unum sidus 'Berenicae caesariem' coniunctae sunt. [3]) Apollonius Tyaneus septem discipulos habet quibus semper familiariter utitur (Philostrat. vit. Apollon. I 18). Neque licet praeterire τοὺς ἑπτὰ ἐπὶ Θήβας quibus Thebae cognomen ἑπτάπυλος debent [4]), quos una cum septem chordis lyrae et septem pleiadibus Aristoteles affert, ut Pythagoreos refutet, Metaphys. N 6 1093 a 13 sq.: ἀλλὰ διὰ τί αἴτια ταῦτα; ἑπτὰ μὲν φωνήεντα, ἑπτὰ δὲ χορδαὶ ἡ ἁρμονίαι, ἑπτὰ δὲ αἱ πλειάδες, ἐν ἑπτὰ δὲ ὀδόντας βάλλει . . . ἑπτὰ δὲ οἱ ἐπὶ Θήβας. ἆρ' οὖν ὅτι τοιοσδὶ ὁ ἀριθμὸς πέφυκεν, διὰ τοῦτο ἢ ἐκεῖνοι ἐγένοντο ἑπτὰ ἢ ἡ πλειὰς ἑπτὰ ἀστέρων ἐστίν; ἢ οἱ μὲν διὰ τὰς πύλας ἢ ἄλλην τινὰ αἰτίαν . . . . Iam Pherecydes et Hellanicus in huius urbis septem portas inquisiverunt et ex hoc tempore multi usque ad Nonnum Dionys. V 70 sq. nomina septem portarum interpretari conati sunt: e Niobae filiis has nominatas esse, hebdomadem lectam esse secundum septem chordas lyrae, utpote quam primus lyricen Amphion a Mercurio acceperit, aut secundum septem planetas, id quod septem chordis lyrae recentius est, quia harmonia sphaerarum harmoniam lyrae imitatur. Atque etsi septem Argivorum duces quorum ad impetum arcendum Thebae septem portas habere dicuntur, poetae ingenio debentur, tamen haud parvi momenti est, quod posteriores nomina quidem ducum variare et alia substituere non veriti sunt, sed hebdomadem eorum nunquam labefactarunt. Similem in modum alia quoque res

σωμάτων. Favonius Eulogius 'disputatio de somnio Scipionis' (ed. Holder, 1901) p. 7, 28: *hebdomas . . . multum in rerum natura dominatur.* Anatolius περὶ δεκάδος καὶ τῶν ἐντὸς αὐτῆς ἀριθμῶν ed. Heiberg (Mémoire lu au congrès d'Histoire des Sciences Paris 1900) Macon 1901 p. 13.

[1]) Harder, Rhein. Mus. XXXXVIII (1893), 433 sq. Ilberg in Griechische Studien, H. Lipsius dargebr. Leipzig 1894 p. 22. sq.

[2]) Ritschl, Opusc. III p 452. Wachsmuth, Einleitung in d. Stud. d. alt. Gesch. (1895) p. 210 adn. 1.

[3]) Tuempel, Philol. XXXXVIII (1889), 99. 129 sq. et in Roscheri lex. myth. s. v. Lesbierinnen.

[4]) Cf. de Wilamowitz, Hermes XXVI (1891) p. 191 sq.

quae certe firma stabat, tractata est, dico duodecim qui vocantur deorum systema. Numerus duodecim amplificatus et abbreviatus denique fere ut vocabulum technicum usurpatus est nullo reputante certum in hoc vocabulo inesse numerum qui plerumque non iam conveniret. [1])

Quomodo igitur hebdomadem sapientium interpretabimur? Hirzel, der Dialog II p. 133, quem Wulfius l. l. p. 8 et 9 = 170, 171 sequitur, haec dicit: „Ein festes Mass musste natürlich dem Anwachsen dieser Weisenschar gesetzt werden; ein solches war aber auch längst gegeben in der Siebenzahl der Heliossöhne, die in der Vorstellung eines alten Mythos ebenfalls als die Weisesten ihrer Zeit hafteten (Pind. Olymp. VII 71 ἔνθα Ῥόδῳ ποτὲ μιχθεὶς τέκεν (Sol) ἑπτὰ σοφώτατα νοήματ' ἐπὶ προτέρων ἀνδρῶν παραδεξαμένους παῖδας). Nichts anderes als die neuen Heliossöhne einer jüngeren Zeit sind die sogenannten Sieben Weisen“. At illo tempore quo septem sapientes mea quidem sententia collati sunt, certissime fabula a Pindaro [2]) exhibita septem sapientium Solis filiorum neque ansam catalogi septem sapientium constituendi dare poterat neque hac opus erat. Ut hi in re publica versati viri laconicis dictis sapientes quoque sese praestiterunt et iam inter aequales magna auctoritate valuerunt, sic eo magis, postquam mortem obierunt, celebrati in sapientium catalogum consociati sunt. Quod eorum hebdomas constituta est aeque atque Soli hebdomas sapientium filiorum addicta est, luculento argumento est, quantum inveterata popularis religio valuerit. Hebdomas igitur sapientium non ab hebdomade Solis filiorum ducta est neque invicem, sed utraque uno e fonte prodiit.

[1]) Lehrs. Popul. Aufs. p. 235 sq.

[2]) Cf. etiam Diod. V 56 Ἥλιον δὲ κατὰ μὲν τὸν μῦθον ἐρασθέντα τῆς Ῥόδου τήν τε νῆσον ἀπ' αὐτῆς ὀνομάσαι . . . καὶ γενέσθαι τοὺς κληθέντας ἀπ' αὐτοῦ Ἡλιάδας, ἑπτὰ τὸν ἀριθμόν. . . .

Caput III.

De septem sapientibus cum Apolline Delphico coniunctis.

Etiamsi illi septem non propter dicta sola sapientes iudicati sunt, tamen his solis cum Apolline coniuncti sunt. Nam si illi sapientes sunt, Apollinis videlicet sapientiae praecones sunt[1]), quam imprimis dicta templo Delphico insculpta produnt. Quae placita iam multo ante septem sapientium aetatem[2]) illic incisa fuisse Aristoteles testis est; Porphyr. apud Stob. flor. 21, 26 = Aristot. frg. 3 R εἴτε καὶ πρὸ Χίλωνος ἦν (sc. τὸ γνῶθι σαυτόν) ἔτι ἀνάγραπτον ἐν τῷ ἱδρυθέντι νεῷ μετὰ τὸν πτέρινόν τε καὶ χαλκοῦν, καθάπερ Ἀριστοτέλης ἐν τοῖς περὶ φιλοσοφίας εἴρηκεν. Atque cum templum a. 548 combustum esset, ab Amphictyonibus restituto eadem inscripta sunt, non Ilias neque Odyssea aut Pindari παιάν, ut Plutarchus de garr. 17 diserte dicit, quod τῆς λέξεως τὸ εὔογκον καὶ τὸ λιτὸν ἐν βραχεῖ σφυρήλατον νοῦν περιεχούσης admirationi esse nunquam desiit[3]). Apollo enim vindex credebatur esse morum virtutisque

---

[1]) Cf. de Wilamowitz, Griech. Trag. II p. 133

[2]) In Thera insula in lapide qui muri fuisse videtur, bonis quarti fere a. Chr. n. saeculi litteris incisae quattuor sententiae inventae sunt, quas publici iuris fecit Hiller de Gaertringen, C. I. Ins. III 1020

Ἐγγ[ύα. πάρα δὲ ἄτα].
Σ[πουδαῖα μελέτα (?)].
Μηδὲν ἄγαν.
Γνῶθ[ι] σεαυτόν.

Confer etiam Perdrizet, Revue des études grecques XII (1899) p. 41.

[3]) Goettling, Ber. d. sächs. Gesellsch. d. Wissenschaft. I (1846/7) p. 311 sq. = Gesamm. Abhandl. (Halle 1851) I p. 221 sq. F. Schultz, Philol. XXIV (1866) p. 194 sq. Brunco l. l. p. 383. Roscher, Philol. LIX (1900) p. 21 sq. O. Lagercrantz, Hermes XXXVI (1901) p. 411 sq. Roscher, ibid. p. 470 sq.

quae et consilia et facta dirigebant, cuius rei quin sacerdotes rationem haberent fieri non potuit, et his auctoribus illa placita e vita ducta et ad usum spectantia in quibus tantum veri inerat, omnibus perspicua tamquam praecepta templi in fronte inscripta sunt (Pausan. X 24, 1 ἐν δὲ τῷ προνάῳ τῷ ἐν Δελφοῖς γεγραμμένα ἐστὶν ὠφελήματα ἀνθρώποις ἐς βίον). Eiusdem vero generis sunt septem sapientibus assignata dicta, ὧν πολὺς νοῦς ἐν ὀλίγῃ λέξει συνέσταλται. καὶ δεῖ τὰ τοιαῦτα μάλιστα τοῖς ἀδολέσχοις προβάλλειν, ὅσην χάριν ἔχει καὶ δύναμιν (Plutarch. de garr. 17). Ἴσως μὲν καὶ ὠφέλιμα τοῖς πειθομένοις, ἔχοντα δέ τι ἐν τῷ βραχεῖ τῆς ἀποδόσεως ἡδὺ καὶ προσκλητικόν[1]) (Inedit. Vatic. ed. de Arnim, Herm. XXVII (1892) p. 120). Atque οὗτος ὁ τρόπος, inquit Plato Protag. 343 C, ἦν τῶν παλαιῶν τῆς φιλοσοφίας, βραχυλογία τις Λακωνική. Quid igitur facilius fieri poterat quam ut Delphica praecepta cum dictis septem sapientium contaminarentur eorumque origo ita explicaretur, ut Plato factum esse tradit: convenisse septem sapientes Delphos et dicta tamquam primitias sapientiae Apollini dedicasse eiusque templo inscripsisse (Protag. 343 B οὗτοι καὶ κοινῇ ξυνελθόντες ἀπαρχὴν τῆς σοφίας ἀνέθεσαν τῷ Ἀπόλλωνι εἰς τὸν νεὼν τὸν ἐν Δελφοῖς γράψαντες ταῦτα, ἃ δὴ πάντες ὑμνοῦσι 'γνῶθι σαυτόν' καὶ τὸ 'μηδὲν ἄγαν'). Confer etiam Charmid. 164 D sq. Pausan. X 24, 1[2]).

---

[1]) Recte adnotavit Kaibel p. 124: *παρακλητικόν scheint das richtige zu sein.*

[2]) In Aegypti loco quodam, qui Deir el-Bahri nominatur, in ostraco saeculi a. Chr. n. tertii Ἀμενώτου ὑποθῆκαι inventae sunt, quae placita quamquam maximam partem eadem atque septem sapientium dicta sunt, tamen Amenophi, Thebanorum Sancto, adiudicata sunt. Cf. Wilcken, Aegyptiaca, Festschr. f. Ebers, Leipz. 1897, p. 142 sq. Griech. Papyri, Berlin 1897, p. 34. Kroll, Neue Jahrbb. f. d. klass. Altert. 1901 p. 573.

Caput IV.

De septem sapientium conventibus conviviisque.

Platonis illo quem modo attuli loco (Protag. 343) primum mentio fit conventus septem sapientium. Quam fabulae formam Platonem excogitasse haud verisimile est, quoniam ab illo primo septem sapientes in catalogum coniunctos non esse intelleximus. Collegium pariter atque catalogum septem sapientium Plato e fonte nescio quo sed uno habet. Graeci iam vetustissimis temporibus cogitatione sibi depingere coeperunt viris animi inclinatione cognatis magnum inter se usum fuisse. Atque summo cum studio huiusmodi fabellae exornantur; alter magister, alter discipulus fuisse fertur, aut amicitia aut inimicitiae inter tales viros finguntur, ut omni modo aequales putari possint. Neglexerunt enim plerumque Graeci certum annorum computum atque homines aeque ac res longis intervallis discretos consociaverunt.[1]) Neque iniuria dicit Bernhardtius l. l. p. 9: „Mit Vorliebe bringt die Sage berühmte Männer zusammen, um sie mit ihren Waffen, sei es körperlichen sei es geistigen, sich messen zu lassen. Es genügt bei den Griechen an Homeros und Hesiodos, bei den Deutschen an Siegfried und Dietrich erinnert zu haben. Für den Griechen aber musste es einen besonderen Reiz haben, Männer aus den verschiedensten Stämmen, in praktischer Weisheit bewährt, sich im Kampfe zu denken, im Wettkampfe, der so sehr in der Nationalsitte begründet war, dass selbst Weiber sich nicht scheuten, ihn öffentlich um den Preis der Schönheit und häuslichen Tugenden zu unternehmen.“[2]) Ita e. g. Leschen et cum Arctino (Clem. Alexandr. Strom. I 21 p. 144,9 Sylb. διημιλλῆσθαι δὲ τὸν Λέσχην Ἀρκτίνῳ καὶ νενικηκέναι et cum Hesiodo[3]) certantem fecerunt Sed praeclarissimi adversarii Homerus Hesiodusque erant, qui quin aequales fuissent antiquis temporibus nunquam dubium erat.

[1]) Cf. Roeper, Philol. III (1848) p. 38. Diels, Rhein. Mus. XXXI (1876) p. 14.

[2]) Cf. etiam Rohde, Griech. Roman² p. 332.

[3]) Robert, Bild u. Lied p. 226.

Atque quamquam haec opinio profligata est, tamen eius fundamentum omni iudicio Aristarchi gravius praesto erat, fama certaminis ab Homero Hesiodoque habiti. Ἀγὼν Ἡσιόδου καὶ Ὁμήρου quem nunc in manibus habemus, Hadriani quidem demum aetate compositus est, sed hanc fabulam iam multo ante ab Isocratis aemulo Alcidamante excultam et huic quoque materiam iam oblatam esse satis constat.[1]) Quam fabulam etiam in papyro quadam saeculi a. Chr. n. tertii in Aegypti vico qui El-Fajûm dicitur effossa paululum commutatam legimus.[2]) Ubi autem atque quando haec fabula primo excogitata sit, nondum liquet. Crusium eam in suum quem dicit 'Volksbuch' relegare[3]) non miramur. Ed. Meyer[4]) sexto saeculo eam excogitatam esse censet, aeque atque U. de Wilamowitz[5]): „Er reicht, inquit, in seinen ältesten Teilen bis in die Zeit zurück, wo das alte Epos sich zersetzte, wohl das 6. Jahrhundert." Certum autem est Homerum Hesiodumque et Chalcidem in urbem Euboicam et Delum convenientes atque versus suos recitantes fictos esse (Hesiod. frg. 244 Rz., Crusius, Philol. LIV (1895) p. 717), neque memorabile non est Hesiodum ex hoc certamine superiorem discessisse i. e. gnomicam poesin. Homerus ab eis qui aderant et audiebant, laudatur quidem, sed iudicio regis Panidis manus dat. Hoc maximi momenti esse ad cognoscendum, quo tempore haec fabula orta sit, apparet. Nam tum demum excogitari potuit, cum Hesiodi carminum gravitas Homero non minus aut plus valuit. Et quando potius hoc fieri poterat quam cum Homero poetae qui unicus celebrabatur, alter haud minoris pretii opponi poterat, id est saeculo si non septimo, attamen sexto? Neque facere possum quin contra Crusium moneam ipsum fabellae exitum librum popularem refellere, quoniam in tali quin Homerus palmam laturus fuerit non dubito, praesertim cum manifestum sit, quantopere eius versus in

---

[1]) Rohde, Rhein. Mus. XXXVI (1881) p. 418 sq. = Kleine Schriften I p. 41.

[2]) Mahaffy, On the Flinders Petrie papyri. Royal Irish Acad. Cunningham Memoirs 1891 No. 25.

[3]) Philol. LIV (1895) p. 710 sq.

[4]) Hermes XXVII (1892) p. 377.

[5]) Reden und Vortraege p. 228 adn. 2.

certamine quoque potissimum populum capiant. Sed per Panidem arbitrum Hesiodus palmam fert. Ὁ δὲ βασιλεὺς τὸν Ἡσίοδον ἐστεφάνωσεν εἰπὼν δίκαιον εἶναι τὸν ἐπὶ γεωργίαν καὶ εἰρήνην προκαλούμενον νικᾶν, οὐ τὸν πολέμους καὶ σφαγὰς διεξιόντα. Quam palmam an non pravo arbitri iudicio, ut Kirchhoffius [1]) contendit, Hesiodus debeat, haud scio. Immo hac re luculenter demonstratur populo trita vestigia prementi recens aliquid quamquam bonum non probari, doctum autem haud ignorare, utrum praestet, etsi posteriores eius iudicium improbaverunt. Sed pro suo tempore recte Panides iudicavit; nisi Hesiodi carmina tum magni aut Homero pluris aestimata essent, nunquam Hesiodus Homeri victor talisque fabulae exitus fingi potuit. Atque huius certaminis narratio e poetae cuiusdam ingenio ficta est, cuius nomen oblivione obrutum esse maxime dolendum est.

Ita septem quoque sapientium conventus fictus est. Plutarch. Sol. 4 γενέσθαι δὲ μετ' ἀλλήλων ἔν τε Δελφοῖς ὁμοῦ λέγονται καὶ πάλιν ἐν Κορίνθῳ Περιάνδρου σύλλογόν τινα κοινὸν αὐτῶν καὶ συμπόσιον κατασκευάσαντος. Diog. Laert. I 40 Ἀρχέτιμος δὲ ὁ Συρακούσιος (FHG IV 318) ὁμιλίαν αὐτῶν ἀναγέγραφε παρὰ Κυψέλῳ, ᾗ καὶ αὐτός φησι περιτυχεῖν, Ἔφορος δὲ παρὰ Κροίσῳ πλὴν Θαλοῦ. φασὶ δέ τινες καὶ ἐν Πανιωνίῳ καὶ ἐν Κορίνθῳ καὶ ἐν Δελφοῖς συνελθεῖν αὐτούς. Ad verba Diogenis Laertii Ἔφορος δὲ παρὰ Κροίσῳ πλὴν Θαλοῦ supplendum esse ὁμιλίαν αὐτῶν ἀναγέγραφε apparet, quamquam Roeper [2]) dubitat et Bohrenius l. l. p. 57 dicit: *Quid ad verba* Ἔφορος — Θαλοῦ *supplendum sit, difficile dictu erit.*

Archetimus igitur Syracusanus narravit conventum septem sapientium apud Cypselum habitum esse, sed quoniam hic auctor nobis prorsus ignotus est (vide infra p. 42 sq.), primum de Ephoro disseremus, qui septem sapientes apud Croesum convenientes, fortasse etiam convivantes fecit (Diod. IX 26,2: οὓς (sc. septem sapientes) ἐπὶ τὰς ἑστιάσεις καὶ τὸ συνέδριον εἶχεν (sc. Croesus) ἐν μεγίστῃ τιμῇ), apud illum igitur principem qui Graecis carus acceptusque fuit, qui ut dives et liberalis et humanitatis studiosus summo cum studio fabulis exornabatur. Qui cum suae

[1]) Sitzungsber. d. Berlin. Akad. 1892 p. 865 sq.

[2]) Philol. III (1848) p. 39.

aetatis sapientibus commercium habuerit necesse est non secus atque Callias cum sophistis, et eius nomen sua sponte se obtulit, si temperantiae et cultui Graecorum luxuria et ruditas barbarorum opponendae erant. Talibus in narrationibus componendis temporum rationes persaepe neglectas esse non miraberis [1]), neque iam quisquam colloquium illud celeberrimum quod Solon cum Croeso Sardibus habuerit, re vera habitum esse putat. Principes vero et divites viros doctos ad se vocare par fuit, sed litterarum studiosi non solum apud divitem quendam conveniebant, sed tamquam unius sectae asseclae sese congregabant et docebant et discebant, et quantopere sectae in litteris antiquis valuerint, demonstraverunt Usener [2]) et Dielsius [3]). Pythagoreorum societate permotus Plato Academiam condidit [4]), et Theophrasti Φυσικῶν δόξαι docent iam Aristotelis temporibus rationem sectarum vigentem in antiquitatem translatam esse. Philosophicae sectae instar etiam septem sapientes congregati ficti sunt aut soli aut una cum divite quodam sive Cypselo sive Periandro sive Croeso [5]).

Fecitne primus Ephorus septem sapientes apud Croesum convenientes? Ut vidimus (p. 8) eum non primum Anacharsin septem sapientibus adscripsisse, ita non minus recte iudicabimus eum non primum septem sapientes apud Croesum induxisse, sed etiam hoc ei iam in illo nescio quo Cynicorum scripto quo est usus, oblatum fuisse. Herodoti autem vim in fabellae forma de conventu excogitata vides, qui Solonem Croesum adisse (I 29), Pittacum Biantemque cum Lydorum rege consuetudinem habuisse (I 27) narrat.

Quosnam igitur Croesi convivas Ephorus ὁμιλίαν ἑπτὰ σοφῶν παρὰ Κροίσῳ ἀναγράφων exhibuit? Diog. Laert. I 40

[1]) Cf. Schubert, Geschichte der Könige von Lydien, Breslau 1884 p. 69.

[2]) Organisation der wissenschaftlichen Arbeit, Bilder aus der Geschichte der Wissenschaft, Preuss. Jahrb. LIII (1884) p. 1 sqq.

[3]) Über die ältesten Philosophenschulen der Griechen, in Philosoph. Aufs. Ed. Zeller gewidm., Leipz. 1887, p. 239 sq.

[4]) De Wilamowitz, Antigon. v. Caryst. p. 280.

[5]) Cf. Lehrs, De Aristarchi studiis Homericis³ (1882) p. 209: *Hinc fluxit persuasio septem sapientes non convenisse tantum, sed convivantes confabulatos esse.*

tradit Thaletem convivis Croesi ab Ephoro non adscriptum esse. Nisi casu hoc Diogenis testimonium πλὴν Θαλοῦ haberemus, primo loco Thaletem poneremus. Nam hic primus inter Graecos sapientes est. (Cf. Cic. Acad. prior. II 37, 118: *princeps Thales, unus e septem, cui sex reliquos concessisse primas ferunt.* Apul. Flor. 18 *Thales Milesius ex septem illis sapientiae memoratis viris facile praecipuus.* Clem. Alexandr. Strom. I cap. 21 p. 143, 37 Sylb. Theodoret. Graec. aff. cur. II 9 p. 61 Gaisf. Plutarch. conviv. VII sap. cap. 7.) (Quod Diodorus IX 26 Anacharsin nominat πρεσβύτατον τῶν σοφιστῶν, nullius est momenti). Thaletis aetas septem quoque sapientium aetatem constituit (Diog. Laert. I 22), atque Thales unus ex iis est qui omnium consensu omnibus temporibus in septem sapientes relati sunt (Diog. Laert. I 41 Δικαίαρχος δὲ τέσσαρας ὡμολογημένους ἡμῖν παραδίδωσι, Θαλῆν, Βίαντα, Πιττακόν, Σόλωνα). Qui hoc Diogenis testimonium arripiunt ad septem sapientes efficiendos quos hic ille scriptor habuerit, inde quod Thales apud Ephorum in Croesi convivis non est, intellegere possunt, quam recte concludant. Tales computationes omittendas censeo; nam si non falsae, attamen hac in quaestione valde dubiae atque maximam partem nullius sunt pretii. Ita e. g. Bohrenius l. l. p. 32 nihilominus Thaletem inter septem sapientes refert, quos Ephorus habuerit. Atque multi eorum qui in septem sapientium numerum hic illic relati sunt, ut Orpheus, Linus, Acusilaus, Epicharmus, Lasus, Anaxagoras, Pisistratus, Pamphilus, his in ratiocinationibus negleguntur. Equidem puto tali modo scriptoribus obtrudi quae non narraverunt. Neque enim ullus quamquam de septem sapientibus disseruit, nomina omnium attulit neque convenientium neque convivantium neque de praemio certantium; eis subsidio ὁ ἄλλος arcessitur, cui quid nominis inderent, ipsi nesciebant. Itaque quaestionem, quos sapientes Ephorus Croesi convivas induxerit, solvere non possum.

Ut autem Ephorus Thaletem inter Croesi convivas non refert, ita ne Diodorus quidem. Qua re confirmari quae dixi (p. 9) Diodorum ultimam partem libri noni ex Ephoro sumpsisse, vides.

Cur autem Ephorus Thaletem Croesi convivam non afferat, Stettiner l. l. p. 5, quod causam huius rei invenerit, laudem

sibi vindicandam esse censet, quia Diog. Laert. I 25 dicat: (Thales) Κροίσου γοῦν πέμψαντος πρὸς Μιλησίους ἐπὶ συμμαχίᾳ ἐκώλυσεν. '*Apparet enim hunc locum Ephori fragmentis adiudicandum esse.*' Atqui apud Herodotum I 75 Thales in Croesi castris moratur eumque adiuvat exercitum Halyn flumen traicientem. Thales igitur illius consilii quod Diogene teste Milesiis dedisse fertur, auctor exstitisse non potest, quod tum haud scio an in Lydorum regis castris esse ausus non sit aut si in regis castris erat, tum tale consilium regi obstans dare non potuit. Hoc igitur non magis valet quam illud, aeque ac Diodorus IX 28 idem Aesopum dicentem facit, quod XV 7, 1 Platonis amicos, et Pittaco IX 12, 3 idem tribuit quod XXI 9 Demetrio regi. Itaque ne Thales quidem cur inter Croesi convivas non sit, explorare mihi contigit.

Ut autem Ephorus vel potius auctor eius septem sapientium conventum apud Croesum habitum esse refert, ita Plato Protag. 343 C et Plutarch. de ε delph. 3 Delphis. Quodsi Theophrastus narrat septem sapientes convivia facere (Athen. XI p. 463 c = Theophr. frg. 120 W. ἐποιοῦντο δὲ καὶ οἱ ἑπτὰ καλούμενοι σοφοὶ συμποτικὰς ὁμιλίας. 'παραμυθεῖται γὰρ ὁ οἶνος καὶ τὴν τοῦ γήρως δυσθυμίαν' φησὶ Θεόφραστος ἐν τῷ περὶ μέθης), hanc rem neque primus neque solus finxit, atque haec fabellae forma postea rursus atque identidem usurpabatur. Hanc Didymum quoque suum in usum convertisse e Stephano Byzantio intellegitur s. v. Ἧτις, qui decimo in libro Συμποσιακῶν de septem sapientibus egit[1]. Atque huc spectare videntur quae Clemens Alexandrinus Strom. I cap. 14 p. 129, 31 sq. Sylb. affert, qui bis tantum Didymum laudat, sed omnia ex eo sumpsit[2]. Hoc enim Didymi opusculum aut eius epitoma ab Alexione confecta[3] posterioribus uberrimus fons fuit, e. g. Ioanni Stobaeo. E Didymo etiam Plutarchus haud pauca ad convivium septem sapientium componendum deprompsit.

A Plutarcho primo convivium septem sapientium apud Periandrum fictum esse vix credibile est atque e verbis Dio-

[1]) Cf. Schmidt, Didym. p. 371 sq.

[2]) Cf. Schmidt l. l. p. 372. Diels, Doxogr. Graec. p. 79. De Wilamowitz, Comment. gramm. II (1880/81) p. 6.

[3]) Etymol. Gudian. 124, 2 = Schmidt l. l. p. 378.

genis Laertii I 40 φασὶ δέ τινες καὶ ἐν Πανιωνίῳ καὶ ἐν Κορίνθῳ καὶ ἐν Δελφοῖς συνελθεῖν αὐτούς[1]) conicio non unicum scriptorem aliquem septem sapientes vel Panionium vel Corinthum vel Delphos convenientes fecisse, sed plures. In historiola de Arione narrata (Herod. I 23) Periander magna auctoritate viri cultus humanitatisque studiosi fruitur; qui talem poetam tecto recepit, principes quoque sapientium ad se vocavit. Atque suo iure una cum his est, ipse quoque ordini eorum assignatur, et Herodoto III 53 et Platone Rep. I 336 A testibus placita ei adscripta sunt, nec non Demetrius Phalereus apud Stobaeum III 172 p. 123 H. ei dicta vindicavit. Sed neque Plato neque Ephorus Periandrum sapientem agnoverunt, Aristoteles demum eum sapientem affert (Diog. Laert. I 99 Ἀριστοτέλης μὲν τὸν Κορίνθιόν φησιν εἶναι τὸν σοφόν, Πλάτων δὲ οὔ φησι). Haec autem verba, praecipue τὸν Κορίνθιον, docent iam Aristotelis temporibus certatum esse, utrum Periander Corinthius in septem sapientibus numerandus esset necne[2]) (cf. p. 9). Quod igitur Plato Periandrum in septem sapientium ordinem non refert, Aristoteles autem quem posteriores hac in re fere secuti sunt, eum his adscripsit, posteriores hanc rem ita converterunt, ut statuerent a Platone Mysonem pro Periandro septem sapientibus insertum esse (cf. p. 13. 23). Atque statim huius rei causa inventa est, scilicet quod Periander crudelis tyrannus fuisset. Sed cum semel Periander Aristotelis auctoritate in septem sapientium numero esset neque hoc loco removeri posset, posteriores hanc discrepantiam sic tollere conati sunt, ut statuerent sapientem non Corinthiorum tyrannum fuisse, sed alium, tyranni fratris filium Ambraciotam (Diog. Laert. I 41 Πλάτων δ' ἐν Πρωταγόρᾳ Μύσωνα ἀντὶ Περιάνδρου. Clem. Alex. Strom. I cap. 14 p. 129, 18 Sylb. Πλάτων δὲ ἀντὶ Περιάνδρου ὡς ἀναξίου σοφίας διὰ τὸ τετυραννηκέναι ἀντικατατάττει Μύσωνα τὸν Χηνέα. Nicol. Damasc. frg. 59 (FHG III 393) φασὶ δέ τινες αὐτὸν (sc. Periandrum) καὶ τῶν ἑπτὰ σοφῶν γεγονέναι· τὸ δὲ οὐκ ἦν. Diod. IX 5, 6 ὃν (sc. Mysonem) ἀντεισῆξαν εἰς τοὺς ἑπτὰ σοφοὺς ἐκκρίναντες τὸν Περίανδρον τὸν Κορίνθιον διὰ τὸ τύραννον γεγονέναι πικρόν. Plutarch. de ε delph. 3 οὐδὲν αὐτοῖς

[1]) Cf. Roscher, Hermes XXXVI (1901) p. 485 adn. 1.

[2]) Busolt, Griech. Gesch.[2] I 645 adn. 4.

— sc. Periandro et Cleobulo, quem utrumque ut tyrannum e septem sapientium numero remotum esse maxime memorabile est, cum id ageretur, ut E Delphicum explicaretur pentas a septem sapientibus templo Delphico dedicata, aeque atque Pausanias I 23, 1 et Periandrum et Cleobulum e septem sapientibus nominatim affert, quippe quos in his numerari non exspectes — ἀρετῆς μετὸν οὐδὲ σοφίας, ἀλλὰ δυνάμει καὶ φίλοις καὶ χάρισι καταβιαζόμενοι τὴν δόξαν ἐνέβαλον εἰς τοὔνομα τῶν σοφῶν καί τινας γνώμας καὶ λόγους ἐξέπεμπον καὶ διέσπειρον εἰς τὴν Ἑλλάδα τοῖς ὑπ' ἐκείνων λεγομένοις ὁμοίους. Diog. Laert. I 98 Σωτίων δὲ καὶ Ἡρακλείδης καὶ Παμφίλη ἐν τῷ πέμπτῳ τῶν ὑπομνημάτων δύο φασὶ Περιάνδρους γεγονέναι, τὸν μὲν τύραννον, τὸν δὲ σοφὸν καὶ Ἀμβρακιώτην. τοῦτο καὶ Νεάνθης φησὶν ὁ Κυζικηνὸς ἀνεψιούς τε εἶναι ἀλλήλοις.[1])

Nunc demum venio ad Archetimum Syracusanum, qui apud Cypselum septem sapientes induxit. Aetas eius admodum incerta est.[2]) Roeper[3]) infirmo nisus argumento suspicatus est eum haud ita multum a Diogenis Laertii aevo distare, qui eius opus ad septem sapientes spectans ipse usurpaverit, non e fonte suo cognoverit. Mea quidem sententia ad eius aetatem definiendam illud gravissimi momenti est, quod septem sapientes apud Cypselum convenientes facit.

Quoniam nusquam Cypselum cum septem sapientibus coniunctum invenimus, probabile mihi esse videtur Archetimum primum hanc societatem finxisse. Atque fortasse causam huius rei inveniemus. Periander obtinuit quidem inter septem sapientes certum locum per Aristotelem, sed illum suo iure in his numerandum esse semper negatum est, quod crudelis tyrannus sapientia indignus esse putabatur. Atque fama Periandri tyranni omnibus temporibus plus valebat quam Periandri sapientis. Itaque apud talem tyrannum septem sapientes fuisse non potuerunt. Corinthi autem certissime fuerunt, hoc memoria animisque infixum erat; nomen modo eius quo-

[1]) Maass. De biographis Graecis quaest. select., Philolog. Untersuch. III p. 107 et p. 57 aperte errat, cum dicit '*Neanthes et Sotio ita litem dirimebant, ut tyrannidem tribuerent Ambraciotae cuidam cognomini, sapientiam Corinthio*'.

[2]) Ed. Schwartz in Pauly-Wissowa II 460.

[3]) Philol. III (1848) p. 39.

cum fuerant, commutandum erat, neque hoc difficile erat. Non una cum Periandro, sed cum eius patre Cypselo fuerunt, qui iam inde ex Ephori aetate non tyrannus, sed benevolus Corinthiorum rex erat.[1])

Itaque conventus aut convivium septem sapientium apud Cypselum ut contrarium conventui aut convivio apud Periandrum fictum est. Convivium vero septem sapientium apud Periandrum a Plutarcho scriptum nobis servatum est, sed verisimile est Plutarchum neque primum neque unicum talem fabulae formam finxisse, sed fontes eius ad ‚Alexandrinos' redire. Atque quoniam huic Plutarcheae narrationi oppositum scriptum fuisse censere non possumus, statuendum est tale exstitisse oppositum convivio cuidam septem sapientium apud Periandrum habito, quod Plutarcheo prius fuerit. Quamobrem Archetimum ‚Alexandrina' aetate fuisse et convivio septem sapientium apud Periandrum habito aliud opposuisse conicio, sive libellum de septem sapientibus composuit sive partem eius huic quaestioni tribuit. Periandrum septem sapientibus adscribendum esse vel ea re negavit, quod septem illos apud Cypselum convenientes fecit; nam intellegitur ita Periandrum inter septem sapientes referendum non esse.

Quantopere hae de septem sapientium conventibus narrationes in omnium ore fuerint, inde apparet quod artis quoque monumentis septem sapientium collegium repraesentatum est. Ad Alexandrinam quam vocant aetatem redit celeberrimum illud exemplar duorum aetati Romanae tribuendorum operum musivorum quae habemus. Alterum iam dudum notum Sarsinae effossum nunc Romae in villa Albani-Torlonia est[2]), alterum anno 1897 in oppido quod Torre Annunziata dicitur repertum est[3]). Atque etiam gemma quaedam huc pertinet[4]). His in tribus operibus septem figurae effictae sunt quae varie explicatae sunt, veluti sine

[1]) Cf. Ed. Meyer, Gesch. d. Alt. II 620.

[2]) Winckelmann, Monum. ant. ined. t. 185. II p. 242. Helbig, Führer durch Rom [2] II n. 901 p. 82 sq.

[3]) Sogliano, Not. d. Scavi 1897 p. 337 sq. Monum. ant. d Linc. VIII (1898) t. 12 p. 390 sq.

[4]) Furtwaengler, Ant. Gemm. I t. XXXV 35.

iusta causa Plato cum sex ceteris philosophis in Academia[1]) aut principes philosophorum Graecorum: Zeno, Aristoteles, Pythagoras, Epicurus, Plato, Socrates, Theophrastus[2]). Qui in hoc monumento expressi essent, recte vidit Furtwaengler.[3]) Neque enim quemquam fugere potest numerum eorum qui hic efficti sunt, nullo pacto forti fortunae deberi. Et errant qui his in operibus musivis Athenarum Academiam et Acropolin et certos philosophos agnoscere velint. „In diese roh ausgeführten, allgemeinen Köpfe wirkliche Porträts hineinzusehen, scheint mir eine Phantasie[4]). Mir scheint es bei weitem am wahrscheinlichsten, dass nichts anderes gemeint ist als ein Verein von sieben berühmten weisen Männern, d. h. eben der ideelle Verein der sieben Weisen. Die sieben Weisen der Vorzeit als Prototypen der Philosophie sind hier dargestellt. Es muss in hellenistischer Zeit eine beliebte Komposition dieser Art gegeben haben, welche die sieben Weisen als die Urbilder aller Philosophen und Gelehrten versammelt zeigte."

Conviviorum formam, in quibus convivae plus philosophabantur quam epulabantur, maxime tralaticiam fuisse vel inde apparet, quod in Aristeae ad Philocratem epistula, qua fides sanctarum litterarum probanda erat, maximum spatium Iudaeorum sapientiae concessum est, quam in convivio a rege adhibiti proferunt. Atque suo iure dicit U. de Wilamowitz[5]): „Wer verkennte hier die Verwandtschaft mit dem Gastmahle der 7 Weisen bei König Crösus oder Periandros?"[6]).

Ex schedis Heirici Auxerrensis, discipuli praeclari abbatis Lupi Ferrariensis, collectionem apopthegmatum ha-

---

[1]) Petersen, Mitteil. des Röm. Instit. XII (1897) p. 328 sq. Sogliano l. l. Diels, Wochenschr. f. klass. Philol. 1898 p. 553 et Archäolog. Anzeig. 1898 p. 120. 175. Graeven, Neue Jahrb. f. klass. Altert. I (1898) p 336 sq.

[2]) Chiapelli et Stein, Archiv f. Gesch. d. Philos. XI (1898) p. 171 sq.

[3]) l. l. III p. 166 et Berl. Phil. Wochenschr. 1900 n. 9 p. 274.

[4]) Cf etiam U. de Wilamowitz, Liter. Centralbl. 1899 n. 3 p. 92.

[5]) Deutsche Litteratztg. 1900 n. 51/52 p. 3322.

[6]) Confer etiam Wendland in Kautzsch, Apokryph. u. Pseudoepigr. d alt. Testam. (Tübing. 1900) II p. 2: „Wie die litterarische Ausbildung der alten Novelle diese Art der Unterhaltung auf die zu einem Symposion vereinigten 7 Weisen übertrug, so versucht es Aristeas, den König mit den jüdischen Weisen umgehen zu lassen.

beimus quae inscripta est '*Hae sunt sententiae sapientium qui fuerunt in conuiuio uno cum Metullo*'. E nominibus autem quae singula dicta prae se ferunt, patet *Metullum* ex *M. Tullio* ortum esse, neque aliter recentiores hanc rem intellexerunt qui eam ob causam haec dicta e Ciceronis libello 'de re publica' deprompta esse putabant, sed postea pro 'Metull[i]us' sumebant 'Metellus'. Illa sunt dicta septem sapientium Latinum in sermonem conversa. Sed Ciceronis dialogi et parum dilucida memoria litterarum quae ad convivia pertinent, eum qui illa exscripsit commoverunt, ut hunc titulum placitis imponeret[1]).

Romani omnino has de septem sapientibus fabellas amplexi sunt Varronem in Imaginibus et septem sapientes et septem orbis spectacula habuisse certum est, sed e Varrone Hyginum fab. 221—3[2]) huc pertinentia sumpsisse, quod M. Schmidt et H. Schott[3]) contenderunt, neque hic Hygini locus, ubi et septem sapientes et septem miracula mundi et numerus novem lyricorum electus i. e. septem lyrici exstant, comprobat neque Graeca huius libri origo[4]). Neque Ausonii '*Ludus septem sapientium*' hic praetermittendus est, cuius veram adumbravit imaginem Hosius, Mosella p. 11: „Eine geradezu komische Rolle giebt er den 7 Weisen. Wie auf der Bühne ziehen sie einzeln einher; ein jeder sagt sein Sprüchlein, das ihn berühmt gemacht hat, griechisch und lateinisch auf, knüpft daran eine erklärende Ermahnung für das Publikum und verschwindet, nachdem er zum Beifallklatschen aufgefordert hat". Ex Ausonio hausit Sidonius Apollinaris quicquid hac de quaestione profert II 156 sq., XV 43 sq., XXIII 101[5]).

Sub Ausonii nomine etiam versus septeni unicuique sapientium assignati feruntur[6]).

Quantopere posterioribus quoque temporibus ratio principum sapientiae virtutisque coniungendorum accepta

[1]) Traube, Rhein. Mus. XXXXVII (1892) p. 558 sq.

[2]) ed. Schmidt p. 130.

[3]) Schmidt, Rhein Mus. XX (1865) p. 298. (Cf. Herm. de Rohden, De mundi miraculis, diss. Bonn. 1875 p. 8 et 13; Friedlaender, Martialis p. 141 adn. I.) Schott l. l. p. 20.

[4]) De-Wilamowitz, Textgesch. d. griech. Lyrik. p. 6 adn. 2.

[5]) Manitius, Jahrb. f. Philol. CXXXVII (1888), 79 sq.

[6]) Cf. etiam Baehrens, Poet. Lat. Min. III 159.

fuerit, documento est libellus qui dicitur popularis 'Die 7 weisen Meister', qui per multa saecula in oriente et occidente summo cum studio lectitabatur.

Caput V.

De praemio septem sapientibus dato.

Inter hos viros sapientia praeter ceteros excellentes quis principatum obtineret, quaerere Graecis placuisse atque hac re diiudicanda eos magnopere delectatos esse non mirum est. Nec desunt permultae narrationes huius fabulae formae, secundum quam illi septem de palma sapientiae certaverunt. Etsi unus scriptor hanc fabulam diserte nobis tradidit, tamen eandem omnibus de praemio sapientissimo oblato narrationibus subesse intellegemus. Atque ut certo concludere possimus, necesse est ea quae de hoc septem sapientium certamine tradita sunt, sub uno conspectu ponere, non ut Wulfius l. l. p. 12 = 174 sq. qui fabellas nullo ordine congessit et aliam omisit, aliam nullius pretii protulit, sed eo quidem ordine quo deinceps excogitatae esse videntur.

I. Diog. Laert. I 30 Ἄνδρων δ' ἐν τῷ Τρίποδι Ἀργείους ἆθλον ἀρετῆς τῷ σοφωτάτῳ τῶν Ἑλλήνων τρίποδα θεῖναι· κριθῆναι δὲ Ἀριστόδημον Σπαρτιάτην, ὃν παραχωρῆσαι Χίλωνι.

II. 1. Diodor. IX 3 a. περὶ τοῦ χρυσοῦ τρίποδος ἀμφισβητήσεως οὔσης ἡ Πυθία ἔχρησεν οὕτως·

ἔκγονε Μιλήτου, τρίποδος πέρι Φοῖβον ἐρωτᾷς;
τίς[1] σοφίᾳ πρῶτος πάντων, τούτου τρίποδ' αὐδῶ.

b. οἱ δέ φασιν ἄλλως, ὅτι πολέμου γενομένου τοῖς Ἴωσι πρὸς ἀλλήλους καὶ τοῦ τρίποδος παρὰ σαγηνέων ἀνενεχθέντος ἐπερωτῆσαι τὸν θεὸν περὶ τῆς καταλύσεως τοῦ πολέμου· ἡ δὲ ἔφη·

οὔποτε μὴ λήξῃ πόλεμος Μερόπων καὶ Ἰώνων,
πρὶν τρίποδα χρύσειον, ὃν Ἥφαιστος κάμε τεύχων,
ἐκ μέσσου πέμψητε καὶ ἐς δόμον ἀνδρὸς ἵκηται,
ὃς σοφίᾳ τά τ' ἐόντα τά τ' ἐσσόμενα προδέδορκεν.

[1]) Cf. Diels, Hermes XXIV (1889) p. 306.

c. οἱ Μιλήσιοι ἀκολουθῆσαι βουλόμενοι τῷ χρησμῷ Θάλητι τῷ Μιλησίῳ τῶν ἑπτὰ σοφῶν[1]) τὸ ἀριστεῖον ἐβούλοντο δοῦναι. τὸν δ' εἰπεῖν, ὡς οὐκ ἔστι πάντων σοφώτατος, συμβουλεύειν δὲ πρὸς ἕτερον πέμπειν σοφώτερον. τούτῳ δὲ τῷ τρόπῳ καὶ τῶν ἄλλων τῶν ἑπτὰ σοφῶν ἀποποιησαμένων τὸν τρίποδα Σόλωνι δίδοσθαι δοκοῦντι πάντας ἀνθρώπους ὑπερβεβλῆσθαι σοφίᾳ τε καὶ συνέσει. τὸν δὲ συμβουλεῦσαι τοῦτον ἀναθεῖναι Ἀπόλλωνι. τοῦτον γὰρ εἶναι σοφώτερον πάντων.

2. Diog. Laert. I 27 τὰ δὲ περὶ τὸν τρίποδα φανερά, τὸν εὑρεθέντα ὑπὸ τῶν ἁλιέων καὶ διαπεμφθέντα τοῖς σοφοῖς ὑπὸ τοῦ δήμου τῶν Μιλησίων. (28) φασὶ γὰρ Ἰωνικούς τινας νεανίσκους βόλον ἀγοράσαι παρὰ Μιλησίων ἁλιέων. ἀνασπασθέντος δὲ τοῦ τρίποδος ἀμφισβήτησις ἦν, ἕως οἱ Μιλήσιοι ἔπεμψαν εἰς Δελφούς· καὶ ὁ θεὸς ἔχρησεν οὕτως· ἔκγονε κτλ. διδόασιν οὖν Θαλῇ, ὁ δὲ ἄλλῳ καὶ ἄλλος ἄλλῳ ἕως Σόλωνος. ὁ δὲ ἔφη σοφίᾳ πρῶτον εἶναι τὸν θεὸν καὶ ἀπέστειλεν εἰς Δελφούς.

3. Diog. Laert. I 31 Ἔνιοι δέ φασιν ὑπὸ Περιάνδρου Θρασυβούλῳ τῷ Μιλησίων τυράννῳ πλοῖον ἔμφορτον ἀποσταλῆναι, τοῦ δὲ περὶ τὴν Κῴαν θάλασσαν ναυαγήσαντος ὕστερον εὑρεθῆναι πρός τινων ἁλιέων τὸν τρίποδα.

4. Diog. Laert. I 32 Ἄλλοι φασὶν ἡφαιστότευκτον εἶναι αὐτὸν καὶ δοθῆναι πρὸς τοῦ θεοῦ Πέλοπι γαμοῦντι· αὖθίς τε εἰς Μενέλαον ἐλθεῖν καὶ σὺν τῇ Ἑλένῃ ἁρπασθέντα ὑπὸ Ἀλεξάνδρου ῥιφῆναι εἰς τὴν Κῴαν θάλασσαν πρὸς τῆς Λακαίνης εἰπούσης, ὅτι περιμάχητος ἔσται. χρόνῳ δὲ Λεβεδίων τινῶν αὐτόθι γρῖφον ὠνησαμένων καταληφθῆναι καὶ τὸν τρίποδα, μαχομένων δὲ πρὸς τοὺς ἁλιέας γενέσθαι τὴν ἄνοδον ἕως τῆς Κῶ· καὶ ὡς οὐδὲν ἤνυτον, τοῖς Μιλησίοις μητροπόλει οὖσι μηνύουσιν. οἱ δ' ἐπειδὴ διαπρεσβευόμενοι ἠλογοῦντο, πρὸς τοὺς Κῴους πολεμοῦσι. καὶ πολλῶν ἑκατέρωθεν πιπτόντων ἐκπίπτει χρησμὸς δοῦναι τῷ σοφωτάτῳ, καὶ ἀμφότεροι συνήνεσαν Θαλῇ. (33) ὁ δὲ μετὰ τὴν περίοδον τῷ Διδυμεῖ τίθησιν Ἀπόλλωνι. Κῴοις μὲν οὖν τοῦτον ἐχρήσθη τὸν τρόπον·

Οὐ πρότερον λήξει νεῖκος Μερόπων καὶ Ἰώνων,
πρὶν τρίποδα χρύσειον, ὃν Ἥφαιστος βάλε πόντῳ,
ἐκ πόλιος πέμψητε καὶ ἐς δόμον ἀνδρὸς ἵκηται,
ὃς σοφίᾳ[2]) τά τ' ἐόντα τά τ' ἐσσόμενα πρό τ' ἐόντα,

Μιλησίοις δέ· ἔκγονε κτλ.

[1]) Del. falso Vogel.
[2]) Cf. Diels, Poet. Philos. Frg. p. 7 adn. 18.

5. Plutarch. Sol. 4 Ἔτι δὲ μᾶλλον εἰς ἀξίωμα καὶ δόξαν αὐτοὺς κατέστησεν ἡ τοῦ τρίποδος περίοδος καὶ διὰ πάντων ἀνακύκλησις καὶ ἀνθύπειξις μετ' εὐμενείας φιλοτίμου γινομένη· Κῴων γάρ, ὥς φασι, καταγόντων σαγήνην καὶ ξένων ἐκ Μιλήτου πριαμένων τὸν βόλον οὔπω φανερὸν ὄντα, χρυσοῦς ἐφάνη τρίπους ἑλκόμενος, ὃν λέγουσιν Ἑλένην πλέουσαν ἐκ Τροίας αὐτόθι καθεῖναι χρησμοῦ τινος ἀναμνησθεῖσαν παλαιοῦ. γενομένης δὲ τοῖς ξένοις πρῶτον ἀντιλογίας πρὸς τοὺς ἁλιέας περὶ τοῦ τρίποδος, εἶτα τῶν πόλεων ἀναδεξαμένων τὴν διαφορὰν ἄχρι πολέμου προελθοῦσαν, ἀνεῖλεν ἀμφοτέροις ἡ Πυθία τῷ σοφωτάτῳ τὸν τρίποδα ἀποδοῦναι. καὶ πρῶτον μὲν ἀπεστάλη πρὸς Θαλῆν εἰς Μίλητον ἑκουσίων Κῴων ἑνὶ δωρουμένων ἐκείνῳ, περὶ οὗ πρὸς ἅπαντας ὁμοῦ Μιλησίους ἐπολέμησαν. Θάλεω δὲ Βίαντα σοφώτερον ἀποφαίνοντος αὐτοῦ πρὸς ἐκεῖνον ἧκεν. ὑπ' ἐκείνου δ' αὖθις ἀπεστάλη πρὸς ἄλλον ὡς σοφώτερον. εἶτα περιιὼν καὶ ἀναπεμπόμενος οὕτως ἐπὶ Θαλῆν τὸ δεύτερον ἀφίκετο, καὶ τέλος εἰς Θήβας ἐκ Μιλήτου κομισθεὶς τῷ Ἰσμηνίῳ Ἀπόλλωνι καθιερώθη. Θεόφραστος δέ φησι πρῶτον μὲν εἰς Πριήνην Βίαντι τὸν τρίποδα πεμφθῆναι, δεύτερον δ' ἐπὶ Μίλητον Θαλῇ Βίαντος ἀποπέμψαντος. οὕτω δὲ διὰ πάντων πάλιν εἰς Βίαντα περιελθεῖν, τέλος δὲ εἰς Δελφοὺς ἀποσταλῆναι.

6. Schol. Aristoph. Plut. 9[1]) Τρίποδι χρῆται ὁ Ἀπόλλων μαντευόμενος διὰ τοὺς τρεῖς καιροὺς τῶν πραγμάτων. Ὅμηρος, ὃς ᾔδη τά τ' ἐόντα τά τ' ἐσσόμενα πρό τ' ἐόντα. τινές φασιν οὕτω κτήσασθαι τὸν Ἀπόλλωνα τὸν τρίποδα. ἁλιεῖς ἐν Μιλήτῳ τινὲς μισθῷ βόλον ἔρριπτον, ἵνα τὸ ἀναφερόμενον εἴη τοῦ ἀγοράσαντος τὸν βόλον. συμβέβηκε γοῦν ἀντὶ ἰχθύων τρίποδα χρυσοῦν περιλαβεῖν αὐτοὺς τῷ δικτύῳ. ἐφιλονείκουν οὖν περὶ αὐτοῦ, οἱ μὲν ἁλιεῖς, ὡς ἰχθῦς πεπράκασιν, οὐ τρίποδα, οἱ δὲ ἀγοράσαντες ἔλεγον, ὡς πᾶν τὸ ἀνιὸν καὶ πᾶν ὅτι τύχοι ὠνήσαντο· οὕτως οὖν αὐτῶν φιλονεικούντων ἔδοξεν ἐρωτῆσαι τὸν Ἀπόλλωνα· ὁ δὲ ἀνεῖλεν αὐτοῖς ταῦτα· ἔκγονε κτλ. προσήγαγον οὖν αὐτὸν τοῖς ἑπτὰ σοφοῖς· ἕκαστος δὲ τούτων παρῃτεῖτο σοφὸς εἶναι, διόπερ ἐγνώκασιν ὡς σοφωτέρῳ πάντων ἀναθεῖναι αὐτὸν τῷ Ἀπόλλωνι· ὅθεν φασὶν ἐσχηκέναι αὐτὸν τὸν τρίποδα. Cod. Parisinus 2827 addit quae in Ravennate et Veneto desunt neque ullius fere pretii sunt[2]): Οὕτω φασὶν

[1]) Cf. Zacher, Handschrift. u. Klass. der Aristophanesschol., Jahrbb. f. Philol. Supplbd. XVI (1888) p. 627. Philol. Supplbd. VII (1899) p. 503 sq.

[2]) Cf. etiam appendicem editionis Hemsterhusianae Aristophanis Pluti p. 489.

ἐσχηκέναι τὸν Ἀπόλλωνα τὸν τρίποδα. ἁλιεῖς μισθῷ δίκτυον ἐν τῇ θαλάττῃ ἔρριπτον, ἵνα τὸ ἀγρευθὲν εἴη τοῦ τὸν μισθὸν διδόντος αὐτοῖς. συμβεβήκει γοῦν ἀντὶ ἰχθύων τρίποδα χρυσοῦν περιλαβεῖν αὐτοὺς τῷ δικτύῳ. φιλονεικούντων οὖν τῶν τε ἁλιέων καὶ τοῦ μισθώσαντος καὶ τῶν μὲν λεγόντων, ὡς οὐ τρίποδα πεπράκασιν, ἀλλ' ἰχθῦς, τοῦ δέ, ὡς πᾶν ὅτι τύχοι, ἔχρησεν οὖν ὁ Ἀπόλλων τῷ σοφῷ τοῦτον ἀνενεγκεῖν. ἀγαγόντες οὖν τοῦτον ἐπὶ τοὺς ἑπτὰ φιλοσόφους, ἐπεὶ ἀπηρνεῖτο εἷς ἕκαστος μὴ εἶναι σοφός, ἀνέθηκαν τῷ Ἀπόλλωνι εἰκότως· μάντις μὲν ὢν τοὺς τρεῖς χρόνους εἶδε, τά τ' ἐόντα τά τ' ἐσσόμενα πρό τ' ἐόντα.

7. Schol. Aristoph. Equit. 1016 (editionis Aldinae; cf. Zacher l. l. p. 557. 709. 718. 724. Philol. Suppl. VII (1899) p. 455.) Περὶ δὲ τοῦ ἐν Δελφοῖς τρίποδος εἰς ἀναπλήρωσιν τῶν ἐν τοῖς εἰς τὸν Πλοῦτον λεχθέντων οὐ χεῖρον καὶ τὰ παρὰ Πλουτάρχῳ ἱστορηθέντα παραλλήλων Σόλωνι κἀνταῦθα παραθέσθαι. Τοὺς μὲν γὰρ ἁλιεῖς Κῴους, τοὺς δὲ τὸν βόλον πριαμένους ἐκ Μιλήτου ξένους ὑπάρξαι φησίν. τὸν δ' ἀναφανέντα χρυσοῦν τρίπουν Ἑλένην πλέουσαν ἐκ Τροίας αὐτόθι καταθεῖναι χρησμοῦ τινος ἀναμνησθεῖσαν παλαιοῦ. γενομένης δὲ τοῖς ξένοις ἄχρι πολέμου διαφορᾶς τὴν Πυθίαν ἀνελεῖν τῷ σοφωτάτῳ τὸν τρίπουν ἀποδοῦναι. ὅθεν πρῶτον μὲν πρὸς Θάλητα ἀπεστάλθαι, εἶτα πρὸς Βίαντα τοῦ Θάλεω σοφώτερον αὐτὸν ἀποφήναντος. ἀπ' ἐκείνων δ' αὖθις εἰς ἕτερον ἀναπεμπόμενον τέλος εἰς Θήβας ἐκ Μιλήτου κομισθέντα τῷ Ἰσμηνίῳ Ἀπόλλωνι, κατὰ δὲ Θεόφραστον τῷ ἐν Δελφοῖς καθιερῶσθαι. εἰς ὃν δὲ ὕστατον ἐπέμφθη, τινὲς μὲν Θαλῆν, τινὲς δὲ Βίαντα, εἰσὶ δ' οἳ καὶ Σόλωνα ἱστορήκασι. Cf. p. 48.

8. Diog. Laert. I 31 Φανόδικος δὲ περὶ τὴν Ἀθηναίων θάλασσαν εὑρεθῆναι καὶ ἀνενεχθέντα εἰς ἄστυ γενομένης ἐκκλησίας Βίαντι πεμφθῆναι.

9. Diog. Laert. I 82 Φανόδικος δὲ κόρας αἰχμαλώτους λυτρωσάμενον (sc. Biantem) Μεσσηνίας θρέψαι τε ὡς θυγατέρας καὶ προῖκας ἐπιδοῦναι καὶ εἰς τὴν Μεσσήνην ἀποστεῖλαι τοῖς πατράσιν αὐτῶν. χρόνῳ δὲ ἐν ταῖς Ἀθήναις, ὡς προείρηται, τοῦ τρίποδος εὑρεθέντος ὑπὸ τῶν ἁλιέων τοῦ χαλκοῦ ἐπιγραφὴν ἔχοντος 'τῷ σοφῷ' Σάτυρος μέν φησι παρελθεῖν τὰς κόρας — οἱ δὲ τὸν πατέρα αὐτῶν, ὡς καὶ Φανόδικος — εἰς τὴν ἐκκλησίαν, καὶ εἰπεῖν τὸν Βίαντα σοφὸν διηγησαμένας τὰ καθ' ἑαυτάς. καὶ ἀπεστάλη ὁ τρίπους· καὶ ὁ Βίας ἰδὼν ἔφη τὸν Ἀπόλλωνα σοφὸν εἶναι οὐδὲ προσήκατο. οἱ δὲ λέγουσιν ἐν Θήβαις τῷ Ἡρακλεῖ αὐτὸν ἀναθεῖναι.

ἐπεὶ ἀπόγονος ἦν Θηβαίων ἀποικίαν εἰς Πριήνην στειλάντων, ὥσπερ καὶ Φανόδικός φησι.

10. Diod. IX 13, 2 σαγηνεῖς Μεσσήνιοι κατὰ τὸν βόλον ἕτερον μὲν οὐδὲν ἀνείλκυσαν, χαλκοῦν δὲ τρίποδα μόνον ἐπιγραφὴν ἔχοντα 'τῷ σοφωτάτῳ'. ἀναχθέντος δὲ τοῦ κατασκευάσματος δοθῆναι τῷ Βίαντι.

11. Valer. Maxim. IV 1, ext. 7. *A piscatoribus in Milesia regione everriculum trahentibus quidam iactum emerat. Extracta deinde magni ponderis aurea Delphica mensa orta controversia est illis piscium se capturam vendidisse affirmantibus, hoc fortunam ductus emisse dicente. Qua contentione propter novitatem rei et magnitudinem pecuniae ad universum civitatis eius populum delata placuit Apollinem Delphicum consuli, cuinam adiudicari mensa deberet. Deus respondit illi esse dandam, qui sapientia ceteros praestaret, his verbis*:

Τίς σοφίᾳ πρῶτος πάντων, τούτῳ τρίποδ' αὐδῶ.

Tum Milesii consensu Thaleti mensam dederunt. Ille cessit eam Bianti, Bias Pittaco, is protinus alii, deincepsque per omnium septem sapientium orbem ad ultimum ad Solonem pervenit, qui et titulum amplissimae prudentiae et praemium ad ipsum Apollinem transtulit.

12. Auson. Lud. sept. sap. 165—174:

Dedere piscatores extractum mari,
Namque hi iubente Delio me legerant,
Quod ille munus hoc sapienti miserat.
Ego recusans non recepi et reddidi
Ferendum ad alios, quos priores crederem.
Dein per omnes septem sapientes viros
Missum ac remissum rursus ad me deferunt,
Ego receptum consecravi Apollini;
Nam si sapientem deligi Phoebus iubet,
Non hominem quemquam, sed deum credi decet.

III. 1. Plutarch. Sol. 4, 7 Ταῦτα μὲν οὖν ὑπὸ πλειόνων τεθρύληται, πλὴν ὅτι τὸ δῶρον ἀντὶ τοῦ τρίποδος οἱ μὲν φιάλην ὑπὸ Κροίσου πεμφθεῖσαν, οἱ δὲ ποτήριον Βαθυκλέους ἀπολιπόντος εἶναι λέγουσιν.

2. Diog. Laert. I 28 Ταῦτα δὴ ὁ Καλλίμαχος ἐν τοῖς ἰάμβοις ἄλλως ἱστορεῖ παρὰ Λεανδρίου λαβὼν τοῦ Μιλησίου. Βαθυκλέα γάρ τινα 'Αρκάδα φιάλην καταλιπεῖν καὶ ἐπισκῆψαι

δοῦναι τῶν σοφῶν ὀνηΐστῳ.[1]) Ἐδόθη δὴ Θαλῇ καὶ μετὰ τὴν περίοδον πάλιν Θαλῇ. (29.) ὁ δὲ τῷ Διδυμεῖ[2]) Ἀπόλλωνι ἀπέστειλεν εἰπὼν οὕτω κατὰ τὸν Καλλίμαχον·

Θαλῆς με τῷ μεδεῦντι Νείλεω δήμου
δίδωσι, τοῦτο δὶς λαβὼν ἀριστεῖον.

τὸ δὲ πεζὸν οὕτως ἔχει· 'Θαλῆς Ἐξαμύου Μιλήσιος Ἀπόλλωνι Δελφινίῳ Ἑλλήνων ἀριστεῖον δὶς λαβών'.

3. Diog. Laert. I 29 ὁ δὲ περιενεγκὼν τὴν φιάλην τοῦ Βαθυκλέους παῖς Θυρίων ἐκαλεῖτο, καθά φησιν Ἔλευσις ἐν τῷ Περὶ Ἀχιλλέως καὶ Ἀλέξων ὁ Μύνδιος ἐν ἐνάτῳ Μυθικῶν.[3])

4. Athen. XI p. 781 d οἴδαμεν δὲ καὶ τὸ Βαθυκλέους τοῦ Ἀρκάδος ποτήριον, ὃ σοφίας ἆθλον ὁ Βαθυκλῆς τῷ κριθέντι ἀρίστῳ τῶν καλουμένων <ζ′> σοφῶν ἀπέλιπε.

5. Plutarch. conviv. VII sap. 13 σὺ δ' οὐκ ἄν, ἔφη, διαπέμψαιο δεῦρο τὸ ποτήριον πρὸς ἡμᾶς, ὁρῶν τούτους ὥσπερ τὴν Βαθυκλέους κύλικα διαπεμπομένους ἀλλήλοις, ἑτέρῳ δὲ μὴ μεταδιδόντας;

6. Diog. Laert. I 30 Δαίδαλος δ' ὁ Πλατωνικός[4]) καὶ Κλέαρχος φιάλην ἀποσταλῆναι ὑπὸ Κροίσου Πιττακῷ καὶ οὕτω περιενεχθῆναι.

7. Diog. Laert. I 29 Εὔδοξος δ' ὁ Κνίδιος καὶ Εὐάνθης ὁ Μιλήσιός φασι τῶν Κροίσου τινὰ φίλων λαβεῖν παρὰ τοῦ βασιλέως ποτήριον χρυσοῦν, ὅπως δῷ τῷ σοφωτάτῳ τῶν Ἑλλήνων, τὸν δὲ δοῦναι Θαλῇ, καὶ περιελθεῖν εἰς Χίλωνα. ὃν πυνθάνεσθαι τοῦ

---

[1]) Ita B, cum α πρωτίστῳ praebeat Cf. Martini, Analecta Laertiana, Leipzig. Stud. XIX (1899) p. 107. Rhein. Mus. LV (1900) p. 612 sq. Diels, Poet. Philos. frg. p. 5.

[2]) Sequor Dielsium l. l. p. 6.

[3]) Quod nomen, cum Myndius huius nominis ignotus sit, commutatum est a Roepero, Philol. III (1848) p. 32 sq. sine ulla sat perspicua causa in Ζήνων, cum recte iam Menagius Ἀλέξανδρος coniecisset, quem Cobet, Susemihl (Griech. Litteratgesch. d. Alexandz. I 855 adn. 111) Diels l. l. p. 6 adn. 8 secuti sunt.

[4]) Ita scribit Cobetus, quod Wulfius p. 18 = 180 recepit, quamquam dicit in adn. 2 '*de Daedalo* τῷ Πλατωνικῷ *nihil scimus*'. Iam vero Casaubonus codicum scripturam Δαίδαχος in Δαίμαχος ὁ Πλαταιϊκός vel Πλαταιεύς mutavit, quo fonte Plutarchus in vita Solonis usus est (Comp. Sol. et Poplic. c. 4). Δαίμαχος libellum 'περὶ εὐσεβείας' (Plutarch. Lysand. 12) conscripsit, in quo ut de septem sapientibus ageret, facile fieri poterat. Cf. Toepffer, quaest. Pisistr., diss. Dorpat. 1886 p. 31 adn. 2 FHG II 442. Diels l. l. p. 6 adn. 19.

Πυθίου, τίς αὐτοῦ σοφώτερος. καὶ τὸν ἀνειπεῖν Μύσωνα . . . . περὶ αὐτοῦ δὴ τάδε ἀνεῖπεν ὁ Πύθιος·

Οἰταῖόν τινά φημι Μύσων' ἐνὶ Χηνὶ γενέσθαι
σοῦ μᾶλλον πραπίδεσσιν ἀρηρότα πευκαλίμῃσιν.

[ὁ δ' ἐρωτήσας ἦν Ἀνάχαρσις]. [1])

Primo igitur loco Andronis narrationem protuli, quia hic solus diserte de septem sapientium certamine verba fecit. Hoc igitur teste Argivi sapientissimo Graecorum praemium virtutis tripodem proposuerunt sapientissimusque Aristodemus iudicatus est, qui praemium Chiloni concessit. Itaque Aristodemus praemium accepit quod victori dari solebat, non secus atque Hesiodus. Sed ut is gratiam referens Heliconiis Musis aut Apollini Delphico tripodem dedicat, ita etiam Aristodemum deo alicui praemium suum dedicaturum exspectes. Quid autem hic facit? Chiloni praemium concedit. Cuius rei causam Diogenes Laertius non refert, sed reliquae narrationes eam nobis suppeditare videntur, scilicet quod Aristodemus Chilonem sapientiorem atque hoc honore digniorem esse putavit.

Quam formam ab Androne exhibitam Lacedaemoniis favere apparet, uterque enim sapientissimus est Lacedaemonius. Quid mirum? Inde patet, quantopere singulae Graecorum gentes urbesque suo quaeque populari praemium sapientiae addicere studuerint. Chilo quidem, primus ephorus, multo maiore sapientiae fama utebatur Aristodemo, qui septem sapientium numero per solum Andronem insertus est. Aristodemo quidem iam satis antiquis temporibus dictum χρήματα χρήματ' ἀνήρ vindicatum est, quod Diogene Laertio I 31 et Schol. ad Pind. Isthm. II 17 testibus Alcaeus (= frg. 49 B[4]) noverat.

Sed qui Aristodemum unum e septem sapientibus afferunt, semper Andronis testimonio nituntur, cuius rei verba scholii ad Pindari locum allatum documento sunt. Σπαρτιάτην δὲ

---

[1]) Haec verba inclusi. postquam iam Bohren tertia dissertationis suae thesi ea delenda esse proposuit. Haec '*inepte hoc loco addita esse*, Wulfius p. 39 = 201 haud ignorat; nam Sosicrates apud Diogenem Laertium I 106, Diodorus IX 5, 2 nec non Pausanias I 22, 8 tradunt non Chilonem, sed Anacharsin ita oraculum Delphicum consuluisse. Sed ea ob id ipsum ut glossema quod in textum irrepserit, delenda esse non intellegens hanc stultitiam Diogeni Laertio vindicat non secus atque Joëlius p. 774.

Ἀριστόδημον ἐν τοῖς ἑπτὰ σοφοῖς ἀναγράφει Ἄνδρων ὁ Ἐφέσιος. Neque enim, id quod verba ipsa monstrant, fieri potest, ut scholiasta e Diogene Laertio hauserit, cui soli hanc narrationem debemus. Satis superque igitur constabat ab Androne primo Aristodemum inter septem sapientes numeratum esse.

Liber quo Andro de septem sapientium certamine egit, inscriptus est 'Τρίπους'. Sic inscripti libri nobis servati non sunt, huiusmodi indices perraro occurrunt. Atque ubi hunc titulum invenimus, non e libri argumento, sed ex forma tripertita aut libri aut alicuius litterarum generis lectus est.[1] Ita Glaucias libellum qui de medicina erat, 'Τρίποδα' inscripsit; cf. Galen. subfiguratio empirica ed. M. Bonnet, Bonn 1872 11 p. 63, 12: *omnia enim huiusmodi ostendens Hippocrates gloriam Asclepii habuit ab omnibus, qui secundum eum, non utique per deum interrogans eum, qui per tria sermonem, sicut Serapio, neque tripodem, sicut Glaucias.* Nausiphanes Teius, vir de doctrina Democritea promovenda et propaganda meritissimus, libellum de logica empirica, ex quo Epicurus, Nausiphanis discipulus et auditor, Canonem suum fecit[2], 'Τρίποδα' inscripsit (Diog. Laert. X 14). Atque Scepticis prioribus cognomen sectae 'Tripus' merito inditum esse nobis concludendum est e verbis Davidis in scholiis ad Aristotelem ed. Brandis p. 22ᵇ 45 ἐκλήθη καὶ Τρίπους ἡ αἵρεσις αὐτῶν (sc. τῶν ἐφεκτικῶν).

Andronis vero libellum 'Τρίποδα' inscriptum, ut e sex eius fragmentis (apud Muellerum FHG II 346—48; frg. 4 non huc pertinet, quamquam Wulfius p. 26 = 188 adn. 1 id quoque adhibuit) facile cognoscimus, aliter interpretemur necesse est. Hoc opere Andronem de septem sapientibus pluribus egisse et titulum a praemio sapientissimo dato repetiisse a tripode certum est, etiamsi Wulfius p. 11 = 173 et 19 = 181 aliud argumentum Andronis libro supposuit '*omnino de viris sapientibus in hoc libro disputatum esse*', quia quomodo servata fragmenta Andronis libro inserenda essent, ignoravit eamque ob causam libellum ipsum parum recte intellexit.

[1] Cf. Usener, Sitzungsber. d. bayr. Akad. d. Wissensch. 1892, 591 sq.

[2] Cf Usener, Epicurea 104, 23.

Apud Diogenem Laertium I 119 (= frg. 5) Andro duos Pherecydes distinguit. Pherecydes autem interdum inter septem sapientes refertur (Diog. Laert. I 13 42. Clem. Alexand. Strom. I cap. 14 p. 129, 18 Sylb.). Apparet Andronis interfuisse diiudicare, num alter his adscribendus esset et uter adscribendus esset. Andronem de Pythagora quoque, qui et ipse in septem sapientium numero est in catalogis Hermippi et Hippoboti (Diog. Laert. I 42) et alibi (ib. I 41), verba fecisse Porphyrius nos docet apud Eusebium Praep. evang. X p. 464 = frg. 6. Photio et Suida testibus s. v. Σαμίων ὁ δῆμος = frg. 7 Andro Sami insulae mentionem fecit, quae ut patria Pythagorae optime in fragmentum 6 convenit. Pherecydem autem et Pythagoram ab Androne inter septem sapientes relatos non esse Wulfius p. 25 = 187 pro certo habet, cuius argumentationen hic profero: '*Itaque, si re vera unum ex iis inter septem sapientes numerasset, certe eum non tam* ἀστρολόγον *vel* θεολόγον *quam unum de septem illis nominasset*; *quod cum non faciat, hunc locum meo iure in contrariam partem transducere posse mihi videor, cum affirmem Pherecydem ab Androne collegio non adscriptum esse*'. Atque si Wulfius ad ratiocinationem suam firmandam Diogenis Laertii I 41 testimonium arripit, in memoriam revoco, quae de hoc dixi p. 39 sq. Mea quidem sententia nec negare nec affirmare licet ab Androne Pherecydem et Pythagoram inter septem sapientes numeratos esse. Andronem per fragmenta aliquatenus probabile fit in unoquoque sapiente qui unquam in septem sapientium numero erat, omnia congessisse, quae noverat et anquisivisse, quo iure unusquisque hac dignitate uteretur. Quanti pretii hic liber Andronis deperditus fuerit, vel inde cognoscere possumus.

Andronem Tripodem suum ante Theopompi Philippica (Diog. Laert. I 116 = FH G I 287) conscripsisse luculenter demonstratur fragmento sexto. Nam etiamsi quod Porphyrius narrat Theopompum ex Andronis Tripode aliquid suffuratum esse, nihil valet, tamen utriusque aetas certe observata est. Ut Andronis de tripode narrationem '*ad constituendam Andronis aetatem egregia nobis suppeditare subsidia*', quod Wulfius p. 11 = 173 putat, censeam tantum abest, ut illam in errorem inducere necesse sit. Atque re vera Wulfius in errorem incidit, cum e narratione de tripode conclusit Andronem

aequalem fere Hellanici fuisse, quia '*omnium auctorum qui de tripode vel phiala fabellam excussisse traduntur, antiquissimam habet*' (p. 20 = 182). At recte dicit Tuerkius l. l.: „*Es ist vergeblich, auf diesem Wege über die Zeit des Andron Aufschluss gewinnen zu wollen.*“ Sed, nisi fallor, mihi contigit, ut certius aetatem Andronis definirem termino post quem invento. Fragmentum enim 7 docet Andronem inventionem formae litterarum Callistrato[1]) Samio vindicasse. Ephorus autem in schol. Venet. B et Townl. ad Hom. Iliad. VII 185 = FHG I 270 frg. 128 adnotat Callistratum Samium temporibus belli Peloponnesiaci litterarum formam mutasse mutatamque Atheniensibus tradidisse. Perspicuum est Andronem et Ephorum eandem rem significare, scilicet Euclidis alphabetum. Itaque Andronem post Callistratum i. e. post bellum Peloponnesiacum scripsisse necesse est, et quia ante Theopompi Philippica opus suum conscripsit, priore dimidio saeculi quarti[2]).

Longe alio modo atque Andro refert, tripus ad septem sapientes pervenit in narratione quae magnopere variata in omnium ore fuit: Plutarch. Sol. 4 ταῦτα μὲν οὖν ὑπὸ πλειόνων τεθρύληται. Diog. Laert. I 27 τὰ δὲ περὶ τὸν τρίποδα φανερά. Advenae aut adulescentuli (II 2) a piscatoribus — Ionici a Milesiis (II 2. 6), Lebedii a Cois (II 4), Milesii a Cois (II 5. 7) — retis iactum emerunt, in quo cum piscibus et sine eis (II 6. 10) tripus — II 10 Messenii piscatores tripodem extrahunt — qui plerumque aureus, sed nonnunquam aeneus (II 9. 10) esse fertur, a Vulcano factus (II 1b. 4), inscriptus 'τῷ σοφῷ' (II 9), 'τῷ σοφωτάτῳ' (II 10), educitur. Ubi hic tripus comprehensus sit, varie traditur: Athenis (II 9), circa Atheniensium mare (II 8), circa Coum mare (II 3), in Milesia regione (II 11). Atque statim explicetur

---

[1]) Cf. etiam Tzetz. Chil. XII 62.

[2]) Haud recte Andronis aevum constituit Alfredus de Gutschmid, Kleine Schriften IV p. 311, qui suspicatur Nicolaum Damascenum frg. 67 et 68 (FHG III p. 406 sq.) de Croeso in rogo narrationem ex Andronis Tripode deprompsisse („*Jene beiden Stücke hat Nikolaos aus einer späteren Quelle, wahrscheinlich Andron v. Ephesos im* Τρίπους, *einer Schrift über die 7 Weisen aus dem Philippischen Zeitalter*“). Cf. etiam Wachsmuth, Einleit. in d. alt. Gesch. p. 464 adn. 3.

necesse est, quomodo tripus illic inveniri potuerit. Periander Thrasybulo, Milesiorum tyranno — quorum conexus iam ex Herodoto I 20 notus erat — navem onustam miserat, quae naufragium fecit. Ita tripus illic in mare decidit (II 3). Aut — atque monendum est, quantopere ad hanc fabellam fingendam quae Homerus Il. II 100 sq. de Agamemnonis sceptro narrat valuerint — Vulcanus hunc tripodem fecit et Pelopi, cum uxorem duceret, dono dedit. Postea ad Menelaum pervenit et a Paride cum Helena raptus est, quae Troia navigans eum in mare deicit memor veteris oraculi de tripode certamina fore (II 4. 5. 7). Aut Vulcanus ipse tripodem in mare demersit (II 4). De hoc autem tripode ex necopinato reperto contentio orta est inter piscatores et emptores, cum illi non tripodem, sed pisces modo se vendidisse, hi omnem retis iactum se emisse contenderent. E certamine etiam bellum ortum est inter utramque gentem, cuius qui emerant et vendiderant erant, denique multis vulneribus utrimque et illatis et acceptis oraculum Delphicum consultum est. Atque eius responsum duplici forma compositum habemus. Apollo hanc litem ita diremit, ut iuberet tripodem neutri certantium dari, sed sapientissimo omnium. Apollinis igitur iussu ille tripus uni e septem sapientibus decretus est; qui eum recusat et alii dat, hic rursus alii, donec ultimus deo ut sapientissimo consecrat.

Est autem altera huius fabulae forma paululum immutata, qua Bathycles Arcas poculum aut pateram sapientiae praemium proposuisse aut reliquisse et relictum sapientissimo dari iussisse fertur. Aut Croesus vel ipse vel per amicum quendam sapientissimo Graecorum poculum aureum misisse dicitur.

Wulfius p. 18 = 180 sqq. rectam ingressus viam sibi proposuit, ut ex hac vasta fabularum mole primordia erueret. Sed eo implicatus est errore, ut fabellae exitum ratiocinationum fundamentum esse putaret. Eius enim e sententia omnes fabulae formae quibus tripodem deo dedicatum esse narratur, recentiores sunt; nam '*hic fabellae exitus, quo adinvento in maiorem numinis gloriam fabellam excogitatam esse homines sentiebant, semel inventus nullo modo a sequentibus scriptoribus neglegi poterat*'. Itaque eos scriptores qui tripodis dedicationis mentionem non facerent, non solum antiquiorem fabulae spe-

ciem exhibere, sed etiam ipsos aetate priores esse. Hanc argumentationem falsam esse apparet, id quod iam Tuerkius l. l. recte observavit. Quae Diogenes Laertius de singulis scriptoribus refert, minime plena atque integra sunt, sed nihil produnt nisi proprietatem uniuscuiusque. Itaque cum ea quae Wulfius e Diogenis silentio tum quae ex hac ratiocinatione conclusit falsa sunt.

Praemia, quale etiam tripus est, ut deo gratiae causa dedicarentur, antiquitus acceptus Graecorum mos fuit, et Herodotus I 144 narrat, si quis Doriensium Pentapolis quae vocatur incolarum e certamine Apollinis Triopii praemium, aeneum tripodem acceperit, eum praemium ex aede secum ferre vetitum esse et ibidem deo dedicare debuisse. Utique manifestum est fundamentum quaestionis de vetustate variarum fabellarum illud esse non posse, quod tripus deo dedicatus non est, etiamsi hoc aperte traditum esset. Nec vero fieri potest, ut e vasta fabularum mole primordia accurate enucleemus. Quot tandem fabulae hic conglutinatae et consutae sunt, et quanto cum studio singuli scriptores inter diversas has fabulas consensum efficere consilio studuerunt!

Sed uno loco hiatum adhuc sentimus, unde cognoscere possimus, quomodo hae diversae fabulae sensim contaminatae et fictae sint. Diodorus enim tradit IX 3 (II 1b) Iones inter se bellum gessisse, cum a piscatoribus tripus educeretur. Tum oraculum Delphicum de bello componendo consulitur et responsum eius finem belli cum tripode forte in bello comprehenso coniungit, qui nulla ratione cum bello cohaeret. Quare apparet bellum Ionum atque tripodem in mari repertum iuxta se stare, quam duplicem memoriam posteriores ita coniunxisse facile intellegitur, ut hunc tripodem causam belli fuisse statuerent. Quin tripus in mari repertus sit, haud dubitandum est neque minus certum est de tripode certamen et bellum ortum esse, praesertim si tecum reputas tripodem haud parvi pretii fuisse. Sed dubito, an Pythia de tripode litem vel bellum non ita diremerit, ut neuter certantium eum acciperet, sed omnium sapientissimus. Neque enim fieri potest, ut in hoc dei dicto certantes acquieverint. Atque hanc fabulae discrepantiam Plutarchum quoque sensisse ex ipsius verbis cognoscis quibus hanc rem explicandam sibi esse putavit,

Sol. 4 (II 5) ἑκουσίων Κῴων ἐνὶ δωρουμένων ἐκείνῳ, περὶ οὗ πρὸς ἅπαντας ὁμοῦ Μιλησίους ἐπολέμησαν.

Unde patet dei dictum ab hac narratione alienum esse. Postea demum ex hac fabula fictum et Pythiae adscriptum est, atque alterum dictum οὔποτε πρίν etc. etiam minus bene inventum est. Nam hic de bello Meropum, Coi insulae incolarum, et Ionum agitur, quae res ad Ionum inter se bellum a Diodoro relatum non pertinet. Clausula versus secundi ὃν Ἥφαιστος κάμε τεύχων ex Homero Il. II 101. VIII 195. XIX 368. VII 220 deprompta — variatio lectionis βάλε πόντῳ minus bona est — tripus mythologiae tenebris obvolvitur. Versus ultimus ex Homero Il. I 70 et Hesiodo Theog. 38 petitus, ubi sapientia Musis vindicatur, ad unum e septem sapientibus relatus non quadrat, etiamsi unus alterve illorum vaticinatus esse fertur. Atque Epimenidem Cretensem non futura, sed περὶ τῶν γεγονότων μέν, ἀδήλων δέ vaticinatum esse Aristoteles tradit Rhet. III 17 p. 1418 a 21 sq.

Vides igitur hunc tripodem in mari repertum male aut nulla ratione cum septem sapientibus cohaerere. Quare concludamus necesse est fabellam alterius tripodis cum septem sapientibus cohaerentis eiusque praemii certaminis iamdudum exstitisse et huius memoriam in alterum tripodem eumque in mari repertum translatam esse. Quamobrem septem sapientes de sapientiae palma certasse antiquissimam esse puto narrationem. Atque huius certaminis eventus perscite excogitatus est neminem septem sapientium ceteris praestare sapientia, sed hos omnes summa sapientia humana esse eamque ob causam unumquemque ne praemium ab alio sibi adiudicatum acciperet, recusare et omnium sapientissimo i. e. non homini, sed deo consecrare.

Omni laude dignus est doctus poeta Callimachus, qui illam de tripode in mari reperto et cum septem sapientibus artificiose coniuncto fabulam non exhibeat, sed Maeandrium Milesium[1]) secutus narret Bathyclem Arcadem phialam reliquisse et iussisse sapientissimo dari. Atque hanc Bathyclis pateram per septem sapientium orbem circumlatam fuisse a puero, cui Thyrio nomen fuisset, narraverunt Diogene Laertio

[1]) De hoc rerum scriptore vide epimetrum.

I 29 teste Ἔλευσις ἐν τῷ περὶ Ἀχιλλέως et Ἀλέξανδρος ὁ Μύνδιος ἐν ἐνάτῳ Μυθικῶν. Eleusin hoc solo e loco cognoscimus aeque atque Μυθικά Alexandri Myndii aliunde nobis nota non sunt. Itaque Susemihlius[1]) nomen Eleusis in suspicionem vocat et Roeper l. l. p. 35, quia non intellegit, quomodo in libro qui de Achille erat, septem sapientium phialae mentio fieri potuerit, περὶ Ἀχιλλείου coniecit. Sed tradita ab omni coniectura defendenda sunt. Athenaeus enim loco qui adhuc neglectus est XI p. 781 c narrat Bathyclem poculum praemium sapientissimo dedisse. Sed ante hanc fabellam verba facit de egregio poculo quod Achilles habebat, ἐξαίρετόν τι ἀνάθημα δέπας, *οὐδέ τις ἄλλος οὔτ' ἀνδρῶν πίνεσκεν ἀπ' αὐτοῦ οὔτέ τεῳ σπένδεσκε* <*θεῶν*>, *ὅτε μὴ Διί* (II 225). Quin tali in contextu poculi vel phialae Bathyclis Eleusis in libello suo de Achille mentionem fecerit, non dubito. Nam quantopere vulgo notum Bathyclis poculum fuerit, documento est Plutarchus conviv. VII sap. 13 σὺ (Aesopus) δ' οὐκ ἂν διαπέμψαιο δεῦρο τὸ ποτήριον πρὸς ἡμᾶς, ὁρῶν τούτους ὥσπερ τὴν Βαθυκλέους κύλικα διαπεμπομένους ἀλλήλοις, ἑτέρῳ δὲ μὴ μεταδιδόντας;

Pateram donum dari vel praemium edi e certamine Homeri Hesiodique patet, ubi Homerus argenteam pateram a filiis Midae accipit, quia epigramma sepulcrale in patrem eorum fecit (Hesiod. p. 247,261 Rz.). Quamobrem septem sapientibus pateram praemium proponi aut relinqui mirum non est. Sed horum de phiala aut poculo certamen posterioribus temporibus fictum esse videtur quam certamen de tripode factum, quia illud praemium cum Croeso aut Bathycle coniunctum est. Si in memoriam nobis revocaverimus, quae de Croesi cum septem sapientibus familiaritate narrari solebant, facile intellegemus, quomodo fabellae forma excogitari potuerit, eum septem sapientibus dona quoque dedisse aut praemia proposuisse. Quomodo autem Bathycles Arcas cum septem sapientibus coniungi potuerit, non sat perspicuum est[2]).

[1]) Gesch. d. griech. Litterat. in d. Alexandrinerzeit I 855 adn. 111.

[2]) Dubito, an hic Bathycles Arcas non idem sit atque artifex Bathycles Magnes, cui cum Croeso ratio erat, qui postea Spartam se contulit, sive eo vocatus sive a Lydorum rege missus sive sua sponte Lydorum regno deleto, quamquam hoc statuerunt Kleinius, Archäol.-

Si denique diversas de praemii dedicatione ad deum facta narrationes respicimus, ad Apollinem Delphicum, Didymaeum, Ismenium Thebis, Herculem Thebanum, monendum est hac in quaestione praemium fabellae de septem sapientibus cum vero anathemate huius illius septem sapientium coniunctum esse. Sed postea scriptores omnia aequare studebant, neque negare possumus iis multifariam contigisse, ut diversissimas fabulas coniungerent undique similitudinibus petitis. Imprimis autem Alexandrini ut alia collegerunt et disposuerunt, ita etiam de septem sapientibus quaestionem amplexi sunt. Quod non solum perutile, sed maxime necessarium erat, quia saeculi quarti tam fluctuans de illis fabula ingentem materiam coacervaverat. Nemo autem huic quaestioni magis operam dedit quam Hermippus, cuius e libro περὶ τῶν ἑπτὰ σοφῶν reliqui omnes hauserunt, et Diodorus et Plutarchus et Diogenes Laertius[1]).

Epigraph. Mitteil. a. Oesterreich IX (1885) p. 145 sq., Furtwaengler, Meisterwerke d. griech. Plastik p. 696, Robertus in lex. Pauly-Wissowae III 136.

[1]) Ud. de Wilamowitz, Hermes XXV (1890) p. 226. Toepffer, Quaest. Pisistr. p. 27.

Epimetrum de Maeandrio et Leandro.

De Maeandrio et Leandro rerum scriptoribus iam ante hos sexaginta annos egit vir praeclarus, Carolus Keil in libello inscripto *Vindiciae onomatologicae*, *Festschrift von Schulpforta zum 300jährigen Jubiläum von S. Afra*, *Numburgi 1843*, *cap. II p. 9—13* atque magis testimoniis de his scriptoribus collatis quam argumentis rationeque nisus conclusit Maeandrium haud diversum esse a Leandro. Quae res imprimis Meinekio statim probata et ab eo promulgata a posterioribus usque ad hunc diem repetita est, quamquam parum fulta iam Carolo Muellero dubitationem movit; nam FHG II p. 334 scripsit: *fortasse revera Leander quidam scriptor a nostro Milesio dignoscendus.* Quae verba alii, veluti Lenschau, de rebus Prienensium, Leipzig. Stud. XII (1890) p. 131 adn. 2 neglexerunt, alii, ut Wulfius l. l. p. 6 = 168 adn. 4 non examinata repetiverunt. Quare Keilii sententia subtiliter examinanda est.

Maeandrii rerum scriptoris nomen sine ulla dubitatione inscriptio quaedam Prienensis praebet, dico illud decretum, quo arbitri Rhodii acciti Samiorum et Prienensium de agris quibusdam litem componunt, apud Boeckhium CIG n. 2905 II p. 573 = FHG II p. 336 frg. 7. Equidem novissimam huius tituli editionem sequor Hicksii, The collection of ancient Greek inscriptions in the British Museum edited by Newton, Part III 1 (Priene and Iasos) Oxford 1886 No. 403 p. 17 [1]).

Inter Samios et Prienenses orta erat lis de regione quadam, utrius esset; quod ad certamen diiudicandum Rhodii

[1]) Cf. etiam Le Bas-Waddington III No. 190 sq. Cauer, Delect. Inscr. Graec.[2] (1883) p. 119. Lenschau l. l. p. 121 adn. 4.

arbitri arcessiti sunt. Coram his utrique, quid olim accepissent, rerum scriptores testes attulerunt vers. 99 sq. νῦν δὲ τοὺς Σαμίους ἀποστεῖλαι πρὸς τὸν δᾶμον τὸν Ῥοδίων ἐγκαλοῦντας, ὅτι χώρας τε πλῆθος νέμοιντο Πριανεῖς παρὰ τὸ δίκαιον καὶ μάλιστα τὸ Κάριον, ὑπὲρ οὗ νῦν διακρίνεσθαι. Οἱ δὲ Σάμιοι τά τε τῶν ἱστοριογράφων μαρτύρια ὑφαγήσαντο . . . . πειρούμενοι δεικνύειν, διότι τὸ Κάριον καὶ ἁ περὶ τοῦτο χώρα αὐτοῖς ἐπικλαρωθείη . . . . Ac Samii sibi Carium et Dryussam obvenisse Maeandrii auctoritate nituntur, cum e ceterorum testimonio Phygela obtinuerint; vers. 104 sq. χώραν λαχεῖν αὐτοὶ (sc. Samii) Κάριον καὶ Δρυοῦσσαν κατὰ τὰ [ἐν ταῖς ἐπ]ιγραφομέναις Μαιανδρίου τοῦ Μιλησίου ἱστορίαις κατακεχωρισμένα. 118 sq. ἁμὲς (iudices) δὲ θεωροῦντες τοὺς γράψαντας τὸμ πόλεμον τὸμ Μελιακὸν καὶ τὰν διαίρεσιν τᾶς χώρας τοὺς μὲν ἄλλους πάντας φαμένους ἐκ τᾶς διαιρέσιος λαχόντας Σαμίους Φύγελα, καίπερ ὄντας τέσσερας μὲν Σαμίους, Οὐλιάδην [1]) καὶ Ὀλύμπιχον [2]) καὶ Δοῦριν καὶ Εὐάγωνα [3]), δύο δὲ Ἐφεσίους, Κρεώφυλον [4]) καὶ Εὐάλκη [5]), Χῖον δὲ Θεύπομπον, οὓς πάντας ἐν ταῖς ἱστορίαις εὑρίσκομεν κατακεχωρικότας, διότι ἔλαχον Σάμιοι Φύγελα, μόνον δὲ ἐν ταῖς ἐπιγεγραμμέναις Μαιανδρίου τοῦ Μιλησίου ἱστορίαις κατακεχωρισμένον, διότι ἔλαχον Σάμιοι Κάριον καὶ Δρυοῦσσαν, αἷς πολλοὶ τῶν συγγραφέων ἀντιγράφοντι φάμενοι ψ[ευδε]πιγράφους εἶμειν; vers. 53 Κάριον καὶ Δρυοῦ[σσαν καὶ ἐπε]δείκν[υον ἐν ταῖς Μαιανδρ]ίου τοῦ Μιλησίου ἱστο[ρίαις κατακε]χωρισ[μένον διότι καὶ ἁ[λοιπὰ χώρα ἁ Μελιὰς [ἐπικλαρωθείη] αὐτοῖς . . . . . .

Quo in decreto Maeandrii Milesii ter mentio fit hisque tribus locis Historiae ei vindicantur quae sane e multorum scriptorum sententia immerito sub eius nomine ferebantur. Quamquam hoc iudicium examinare non possumus, tamen hoc statuere non licet solo Rhodiorum arbitrio contineri fidem eis scriptoribus habentium qui numero plures idem

---

[1]) Plutarch. Aristid. 23, 6.

[2]) Clem. Alexandr. Protrept. p. 13, 53 Sylb.

[3]) Dionys. Halic. de Thucydide iudic. 5 (vol. VI p. 818 R.) Εὐγέων; Photius. Suidas s. v. Νηΐς; Meineke, Anal. Alexandr. p. 61; Athen. XI 508 f.; Diog. Laert. III 46.

[4]) Athen. VIII 361; FHG IV 371.

[5]) Athen. XIII 573; FHG IV 406.

tradiderint eique derogantium qui diversa protulerit, sed recte se habuisse probabile est. Sed utut est, constabat sub Maeandrii Milesii nomine Historias exstitisse, quibus de priscis in Asia rebus gestis actum erat. Quod iudices eius auctoritatem in lite dirimenda non sequuntur, pondus eius non imminuit.

Ex hoc titulo etiam de Maeandrii aetate terminus ante quem potest derivari. Nam tituli tempus referri potest ad annum a. Chr. n. 240[1]), haud ita multo post Antiochi Dei imperium (261—246), quod ultimum factum affertur.

Qua cum quaestione in titulo commemorata cohaerent quae scholiasta ad Aristophanis Pacem 363 tradit. In hac enim comoedia Mercurius in Trygaeum qui lapides removere vult, his verbis invehitur

ὦ μιαρὲ καὶ τολμηρέ, τί ποιεῖν διανοεῖ;

et Trygaeus respondet

οὐδὲν πονηρόν· ἀλλ' ὅπερ καὶ Κιλλικῶν.

Quae ut explicet scholiasta testimonia scriptorum cumulat, quorum commune est, quod Cillicon patriam, Miletum vel Samum, Prienensibus proditurus interrogantibus quid faceret, respondisse fertur: ἀγαθὰ Κιλλικῶν. Et inter scriptores quos testes scholiasta affert, occurrit Λέανδρος, qui hanc historiolam ἐν δευτέρῳ Μιλησιακῶν protulit. Huc pertinentia exscribam necesse est: ἱστορεῖ δὲ καὶ Λέανδρος ἐν δευτέρῳ Μιλησιακῶν προδοῦναι Μίλητον καὶ ὅτε ἀνέῳξε τὰς πύλας, τῶν πολεμίων πυνθανομένου τινός, ὅτι τοῦτο ἐποίησεν, ἀποκρίνασθαι ἀγαθὰ Κιλλικῶν[2]).

Hic quoque quamquam non de eadem re atque in inscriptione supra commemorata, tamen in universum de rebus Milesiorum vel Samiorum et Prienensium agitur. Si vero

---

[1]) Cf. Hicks l. l. p. 2.

[2]) In hac historiola nullius est momenti, quod non de Samo, sed Mileto res est neque hostes appellantur. Et haec scholii verba, ut Zacher mecum communicavit, solis in codicibus exstant V(enet. 474) et G (Venet. 475), apographo illius, qui pro Λέανδρος praebet Λεάνδριος. Cf. Herwerden, Aristoph. Pac. (1897) II (Comment.) p. 62. Mnemosyne XXIV (1896) p. 201. Lenschau l. l p. 131 adn. 2. Meiners, Quaestiones ad scholia Aristophanea historica pertinentes, dissert. Hal XI (1890) p 329.

titulus ille Maeandrium Milesium Historiarum auctorem praebet, hoc loco scriptor Milesiarum rerum nominatur simillima nominis forma Λέανδρος, nonne tibi suspicio venit verum scriptoris nomen hic errore deformatum esse?

Quod reliqua testimonia percensentibus certum fit. Habemus alteram huius scriptoris nominis formam quae ad Μαιάνδριον propius accedit: Λεάνδριος. Leandrum autem eundem esse atque Leandrium multis evincitur locis. Eusebius enim praep. evang. II 6 p. 89 Dind. Λέανδρος δὲ Κλεόμαχον ἐν Μιλήτῳ τεθάφθαι ἐν τῷ Διδυμαίῳ φησίν et Theodoretus Graec. affect. cur. VIII 30 p. 315 Gaisf. ἐν δὲ Μιλήτῳ τὸν Κλεόμαχον ἔνδον ἐν τῷ Διδύμῳ κεῖσθαι εἴρηκε Λέανδρος idem narrant Leandrum laudantes, quod utriusque auctor[1]) Leandrium nominans tradit, Clemens Alexandrinus Protrept. p. 13, 28 Sylb. Λεάνδριος δὲ Κλέαρχον ἐν Μιλήτῳ τεθάφθαι ἐν τῷ Διδυμαίῳ φησίν pariter atque qui ipse quoque e Clemente hausit, Arnobius adv. nation. VI 6 p. 219 Reiff. *In Didymaeo Milesio Cleochum*[2]) *dicit habuisse suprema Leandrius funeris.*

Ac par ratio quae inter Theodoretum Eusebiumque et Clementem Arnobiumque est, intercedit inter scholium ad Apollonium Rhodium II 706 et 711; eadem enim res utroque loco affertur, sed illo scholiasta nititur Leandri, hoc Leandrii testimonio; II 706 τὸ ὄνομα τοῦ δράκοντος οἱ μὲν ἀρρενικῶς, οἱ δὲ θηλυκῶς εἶπον, ὃ καὶ βέλτιον. ἄλλως. ὅτι Δελφύνης ἐκαλεῖτο ὁ φυλάσσων τὸ ἐν Δελφοῖς χρηστήριον Λέανδρος[3]) καὶ Καλλίμαχος εἶπον. δράκαιναν δὲ αὐτήν φησιν εἶναι θηλυκῶς καλουμένην Δέλφυναν ὁ αὐτὸς Καλλίμαχος. II 711 τὴν δὲ ἀναιρεθεῖσαν δράκαιναν Δέλφυναν καλεῖσθαι θηλυκῶς φησι Λεάνδριος[4]).

---

[1]) Cf. Raeder, De Theodoreti Graec. affect. cur. quaestt., Hauniae 1900 p. 77 et 162.

[2]) Haec recta nominis scriptura; cf. Pseudo-Apollodor. bibl. 3, 1, 2.

[3]) Sic cod. L(aur.). Μαιάνδριος H. Keil.

[4]) Sic cod. L(aur.). Μαιάνδριος H. Keil. Haec scholia confusa esse putos; nam et Callimachus (cf. etiam Tertullian. de corona 7: *habes Pindarum atque Callimachum qui et Apollinem memorat interfecto Delphyne dracone lauream induisse*) et Leandrius testes afferuntur Pythicum draconem modo masculini modo feminini generis fuisse. Sed uterque utramque formam usurpare potuit.

Diogene Laertio I 28 teste Leandrius de septem sapientibus egit et quem inter hos rettulerit, idem I 41 nos docet: Λεάνδριος μὲν γὰρ ἀντὶ Κλεοβούλου καὶ Μύσωνος Λεώφαντον Γοργιάδα[1]) Λεβέδιον ἢ Ἐφέσιον ἐγκρίνει καὶ Ἐπιμενίδην. Atque ad haec optime quadrat quod Clemens Alexandrinus Strom. I p. 129,44 Sylb. de Leandro refert: Θαλῆς, ὡς Λέανδρος[2]) καὶ Ἡρόδοτος [I 170] ἱστοροῦσι, Φοῖνιξ ἦν, ὡς δέ τινες ὑπειλήφασι, Μιλήσιος et qui e Clemente hausit, Theodoretus Graec. affect. cur. I 44 p. 19 Gaisf. τὸν δὲ Θαλῆν οἱ μὲν Μιλήσιοι λέγουσιν, Λέανδρος δὲ καὶ Ἡρόδοτος Φοίνικα προσηγόρευσαν.

In scholio ad Apollonium Rhodium II 706 Λέανδρος et Callimachus coniunctim laudantur et Diogene Laertio I 28 auctore Callimachus de septem sapientibus fabellam secundum Leandrium narravit. Possuntne hi esse diversi?

In scholio Aristophaneo ad Pacem 363 Λέανδρος illam de Cilliconte fabellam narrasse fertur et eiusdem scholii testimonio Callimachus quoque Cillicontem respexit μέμνηται δὲ Καλλίμαχος "μὴ σύγε, Θειόγενες, κόψῃς χέρα Κιλλικόωντος" = frg. 247 Schn.

Quin Λέανδρος et Λεάνδριος idem sint, dubitare te non posse puto. Utrum vero scriptori nomen fuit, Λέανδρος an Λεάνδριος? Neutrum, sed, ut nunc demonstrabo, hae nominis formae errore e Maeandrio ortae sunt. Et quamquam sub Maeandrii nomine non prorsus idem argumentum laudatur, quod alias sub Leandri aut Leandrii nomine affertur, tamen quae habemus Maeandrii frustula sufficiunt, ut tibi persuadeas fragmenta sub Leandri et Leandrii et Maeandrii nominibus laudata omnia ad unum opus Maeandrii redire et tituli Prienensis Historias easdem esse atque scholii Aristophanei Μιλησιακά.

Maeandrius de Asiae rebus, potissimum autem, ut Mileto oriundus, de patria retulit et Milesiarum rerum gravis auctor

---

[1]) Sic Reiske; cf. Diels, Hermes XXIV (1889) p. 306. γορσιάδα B(urb. 253) V(at. 1302) F(Barb. 251) κορσίλλα L(aur. 69,13) mg. L[1] γρ γοργασιάδα, ut mecum E. Martini communicavit. Cf. Diels, Poet. Philos. frag. p. 10.

[2]) Sic cod. L(aur. V 3), ut Otto Staehlin me docuit.

affertur. Macrobius Saturn. I 17, 21 *Meandrius*[1]) *scribit Milesios Ἀπόλλωνι Οὐλίῳ pro salute sua immolare.* Scholium ad Apollonium Rhodium I 1126 περὶ τῶν Ἰδαίων Δακτύλων καλουμένων πρώτους [τούτους] φησὶν (sc. Apollonius) εἶναι καὶ παρέδρους τῇ Μητρὶ τῶν θεῶν ἀκολουθῶν Μαιανδρίῳ[2]) λέγοντι Μιλησίους, ὅταν θύωσι τῇ Ῥέᾳ, προθύειν Τιτίᾳ καὶ Κυλλήνῳ[3]). Quin in Historiis exstiterint quae Strabo XII p. 552 Apollodorum refutaturus affert, non est dubitandum: Μαιάνδριος[4]) γοῦν ἐκ τῶν Λευκοσύρων φησὶ τοὺς Ἐνετοὺς ὁρμηθέντας συμμαχῆσαι τοῖς Τρωσίν, ἐκεῖθεν δὲ μετὰ τῶν Θρᾳκῶν ἀπᾶραι καὶ οἰκῆσαι περὶ τὸν Ἀδρίου μυχόν, τοὺς δὲ μὴ μετασχόντας τῆς στρατείας Ἐνετοὺς Καππάδοκας γενέσθαι.

Maeandrium quem Athenaeus X p. 454a laudat Milesium Historiarum auctorem esse verisimile mihi non videtur. Postquam enim Athenaeus iambos procaces Calliae, auctoris grammaticae tragoediae[5]), attulit, dicit ὅθεν ὕστερον, ὡς ⟨ἂν⟩ ὑπονοήσειέ τις, Μαιάνδριος μὲν ὁ συγγραφεὺς μικρὸν διὰ τῆς ἑρμηνείας τῇ μιμήσει παρεγκλίνας συνέγραψεν ἐν τῷ Παραγγέλματι[6]).

[1]) Sic cod. A(nglic. Cantabr.) G(udian.) P(ar.) *Meandri* B(amb.) *Meandrus* S(alisb.) edit. Hervagiana Camerarii (1535) in mg. scr. *Meandrius. Meandrius* in *Leandrius* Meursium mutasse memoratu dignum est.

[2]) Cod. L(aur.) praebet μαιάνδρῳ. Meinekius Com. frg. IV p. 319 in eodem scholio Μενάνδρῳ praebet adnotans: *pro Μενάνδρῳ scribendum videtur Μελανθίῳ.* . . . . . . Sed postquam a. 1843 C. Keil l. l. ubique pro Leandrio et Leandro, hic illic etiam pro Menandro Maeandrium scribi iussit, Meinekius verba sua ipse correxit, Philol. exercit. in Athen. specim. II (Progr. d. Joachimthal. Gymn. 1846) p. 15: *scribendum Μαίανδρος sive Μαιάνδριος; nunc non dubito, quin ista e Maeandrii Milesiacis ducta sint.*

[3]) Cf. G. Kaibel, Δάκτυλοι Ἰδαῖοι, Nachricht d. Götting. Gesellsch. d. Wissenschaft., Philol.-histor. Klasse 1901 p. 488 sq. p. 497.

[4]) Kramer nullam codicum lectionem discrepantem adnotat. Heynius in excursu ad Aeneid. I (vol. II p. 230 ed. Wagner) illum scriptorem Menandrii sub nomine laudat.

[5]) Cf. Welcker, Rhein. Mus. I (1833) p. 137 sq. Hense, ibid. XXXI (1876) p. 582 sq.

[6]) Sic cod. A(Marcian.); Ud. de Wilamowitz coniecit ἐν τῶν παραγγελμάτων et Kaibel addidit: *fort.* τῶν ἀπαγγελμάτων. Equidem de his coniecturis dubito ratione habita Sexti Empirici adv. gramm. § 57 p 611 Bekker (= Dionys. Thrac. ed. Uhlig p. 5) Διονύσιος μὲν οὖν ὁ Θρᾷξ ἐν τοῖς Παραγγέλμασί φησι "γραμματική ἐστιν ἐμπειρία ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον . . . ."

Ex argumentorum similitudine quae Leandri esse afferuntur, apparebit ex unius auctoris uno opusculo omnia fragmenta fluxisse. Iam vidimus narrationem de Milesiis Prienensibusque, Apollinis Didymaei talique in contextu Delphici templo, de Thalete et reliquis septem sapientibus haud abhorrere a Maeandrii libri argumento. Neque negari potest reliqua sub Leandri nomine allata fragmenta in Maeandrii Historiis exstitisse. Iones ex inveterato more linguas deis immolasse Leandri auctoritate nisus scholiasta ad Homeri Odysseam III 341 dicit ἐζήτησαν, διὰ τί τοῖς θεοῖς ἀπένεμον τὰς γλώσσας. οἱ μὲν ἐνόμισαν, ὧν ἐστι Λέανδρος ἢ Ἀρητάδης, κατὰ πατρῷον ἔθος Ἰώνων. Stephanus Byzantius s. v. Ὕδη, πόλις Λυδίας . . . . . Λέανδρος[1]) δ'. ὃν Νικάνωρ παρατίθησιν ἐν Μετονομασίαις, τὴν αὐτὴν Ὕδην καὶ Σάρδεις φησίν. Etymologicum Magnum s. v. Ἦλις p. 426,8 ὡς Λέανδρος[2]) διὰ τὸ τοὺς ἐκ τοῦ κατακλυσμοῦ περισωθέντας ἐν αὐτῇ ἁλισθῆναι, ὅ ἐστιν ἀθροισθῆναι.

His tibi persuasum fore confido Λέανδρον et Λεάνδριον errore deformata nomina esse scriptoris, cuius verum nomen Μαιάνδριος erat, ut Dielsius, Poet. Philos frg. p. 5 ad Diogenis Laertii locum I 28 adnotat: *verum (nomen) est Μαιανδρίου*. Neque difficile via monstrari potest, qua e Μαιάνδριος Λέανδρος factum sit. Postquam e ΜΑΙΑΝΔΡΙΟΣ facili errore ΛΕΑΝΔΡΙΟΣ factus est[3]), haud recte nomen compositum esse sensere; nam ut analogia docet, non cum — ανδριος, sed cum — ανδρος nomina componuntur[4]). Itaque e Λεάνδριος iam anti-

---

[1]) Sic cod V(oss.) et A(ld.) Νέανδρος R(ehd.) Μαιάνδριος vel Μαίανδρος Meinekius.

[2]) Sine ulla lectionis discrepantia, ut Reitzensteinius me docet.

[3]) Simile peccatum iam Stephanus Byzantius notavit s. v. Νεάνδρεια, πόλις Τρωάδος ἐν Ἑλλησπόντῳ, ὡς Χάραξ. ἔν τισι δὲ Λέανδρος γράφεται διὰ τοῦ λ κακῶς. Keilius l. l. non recte conclusit: *inde quod Λέανδρος s. Λεάνδριος ubique reperiatur, nullo loco Λαίανδρος, scriptores formam Μεάνδριος aliquoties sibi indulsisse*; αι factum est ε, ubi primum e Μ mendo Λ exstitit.

[4]) Cf. Fick, Die griech. Personennamen² (1894) p. 58/59. Nomen Maeandrii non cum — ανδριος compositum, sed a Μαι-ανδρος ductum esse ut adiectivi formam apparet; *iuvenis Maeandrius i. e. Caunus* (Ov. Met. IX 574); *Maeandria*, oppidum Epiri (Plin. N. H. IV 1,4) Nec raro Maeandrii nomen occurrit. Ad haec quae Mueller FHG II 334 affert,

quis temporibus consilio emendatum est Λέανδρος, quod nomen haud ignotum alibi quoque occurrit. Habes Herus illum amatorem, alium invenies apud Plutarchum de mul. virtut. 256 E et in inscriptione Cyrenaica CIG III n. 5353, Λεάνδριον vero frustra quaeres. Nomen Leandri recentiores quoque scriptori reddendum censuerunt, Holstenius ad Stephanum Byzantium p. 334 et L. Dindorf apud Clementem Alexandrinum Strom. VI. p. 267 Sylb. Μελησαγόρου γὰρ ἔκλεψεν Γοργίας ὁ Λεοντῖνος καὶ Εὔδημος ὁ Νάξιος οἱ ἱστορικοὶ καὶ ἐπὶ τούτοις ὁ Προκοννήσιος Βίων, ὃς καὶ τὰ Κάδμου τοῦ παλαιοῦ μετέγραψεν κεφαλαιούμενος, Ἀμφίλοχός τε καὶ Ἀριστοκλῆς καὶ Λεάνδριος καὶ Ἀναξιμένης. . . . Quo facto ut error corrigeretur tantum aberat, ut maior exsisteret.

Quomodo autem fieri potuit, ut in tot locos alium ex alio non pendentes falsae nominis formae irreperent? Ut recte concludamus, omnes locos, quibus hic rerum scriptor nominatur, sub uno conspectu ponamus:

Μαιάνδριος		Titulus Prienensis
		Strabo XII p. 552
		Schol. Apoll. Rhod. I 1126
		Macrobius Saturn. I 17
	(?)	Athen. X p. 454a.
Λεάνδριος		Schol. Apoll. Rhod. II 711
		Diog. Laert. I 28
		„ „ I 41
		Clem. Alex. Protrept. p. 13,28
		„ „ Strom. VI p. 267
		Arnobius adv. nation. VI 6
Λέανδρος		Schol. Aristoph. Pac. 363
		Schol. Apoll. Rhod. II 706
		Schol. Hom. Odyss. III 341
		Clem. Alex. Strom. I p. 129,44

---

addam Maeandrium archontem Cyzicenum (Dittenberger, Syll. Inscr. Graec.[2] No. 464 II p. 72. Cauer, Delect Inscr Graec.[2] p. 320) et Maeandrium Ἀρτεμιδώρου, qui Magnesiae ad Maeandrum decretum quoddam in templi columna inscripsit (O. Kern, Inschrift. v. Magnesia p. 85 n. 100. Dittenberger l. l. n 552,93 II p. 245) et Maeandrium apud Ciceronem pro Flacco 22.

Theodoret. Graec. affect. cur. I 44
" " " VIII 30
Eusebius Praep. ev. II 6
Steph. Byzant. s. v. Ὕδη
Etymolog. Magn. s. v. Ἦλις.

Haec percensentibus perspicuum fit librariis horum auctorum formam mendosam nominis tribuendam non esse; hi potius servaverunt formam quam unusquisque scriptor praebebat. Itaque iam apud scriptores ipsos hoc nomen vitiose scriptum exstabat, qui ipsi e fontibus suis errore deformatum nomen sumpserunt. Et quia manifestum est librarii tantum errore Λεάνδριον e Μαιανδρίῳ ortum esse, inde cognoscimus, quo tempore hic error factus sit; eo quod antecedit fontes scriptorum qui formam Λεάνδριος praebent. Et quamquam accuratius horum scriptorum fontes eruere nequeo[1]), tamen origo erroris iam ad Alexandrina tempora referri posse videtur. Sed librariis quoque debemus Λέανδρον errorem male correctum aetatem tulisse. Sed usque ad ultima tempora etiam incorrupta nominis scriptura mansit. Scholia ad Apollonium Rhodium omnes tres formas praebent secundum diversos fontes, e quibus sua sumpserunt[2]).

Iam nos quaestio vocat, quo tempore Maeandrium fuisse putemus. Terminus ante quem i. e. annus 240, quem tituli aetate nacti sumus, si opus esset, alia re confirmari posset. Stephano enim Byzantio teste s. v. Ὕδη (cf. p. 67) Leandrum laudat Νικάνωρ ἐν Μετονομασίαις[3]). Huius Nicanoris Cyrenaei

---

[1]) Clemens Alexandrinus, e quo Arnobius hausit, ipse fortasse sua e Didymo sumpsit; scholiasta Apollonii ex Alexandro Polyhistore, ut Bethius mihi scribit; Diogenes Laertius fortasse ad Hermippum redit.

[2]) Cf. etiam Bethe, Hermes XXIV (1889) p. 413 adn. 2. De Strabone, qui ex Apollodoro περὶ θεῶν hausit, cf. Niese, Rhein. Mus. XXXII (1877) p. 274 sq. 290; Macrobio auctor aliquis latinus Iamblichi περὶ θεῶν doctrinam suppeditavit, cf. Wissowa, de Macrobii Saturnaliorum fontibus, diss. Vratisl. 1880 p 38. 41.

[3]) Huius scriptoris fragmenta collegit Mueller, Script. rer. Alex. Magni in editione Arriani p. 153. Ad opus hoc loco laudatum pertinent: Athenaeus VII p. 296 d Νικάνωρ δὲ ὁ Κυρηναῖος ἐν Μετονομασίαις τὸν Μελικέρτην φησὶ Γλαῦκον μετονομασθῆναι. Harpocratio s. v. Ἄκη . . . . ἣν Νικάνωρ ὁ περὶ Μετονομασιῶν γεγραφὼς καὶ Καλλίμαχος ἐν τοῖς Ὑπομνήμασι τὴν νῦν Πτολεμαΐδα καλουμένην φασὶν εἶναι. Stephanus Byzantius s. v.

grammatici aetas dubia, sed eum non ante tertium saeculum fuisse certum est; nam Harpocratio s. v. Ἄκη eum urbem Ἄκην eandem atque Ptolemain dixisse tradit. Nummi demonstrant hanc urbem usque ad annum 266 Seleuci fuisse, ab hoc vero anno Ptolemaeorum imaginibus ornati sunt. Unde concludendum est hoc anno urbem a Ptolemaeo II Philadelpho denuo conditam eique nomen Πτολεμαΐς inditum esse[1]). Cum Nicanor Acen Ptolemain nominaverit, apparet eum post annum 266 Μετονομασίας scripsisse, Maeandrius igitur ante eum fuit. Atque ad hunc annorum computum, si recte conclusi, quadrat Callimachum Maeandrium secutum esse. Quare Maeandrius ante Callimachum aut eius aequalis fuit.

Wulfius p. 22 = 184 Maeandrium non multo seniorem Callimacho, Arati familiarem, circa annos 330—20 natum esse iudicat loco nixus, qui ad Maeandrium referendus non est, nedum aetatem eius definire possit. Est enim in vita Arati (Westerm. Biogr. p. 60. Maass, Commentar. in Aratum reliq. p. 325): (Aratus) συνήκμασε δ' Ἀλεξάνδρῳ τῷ Αἰτωλῷ καὶ Καλλιμάχῳ καὶ Μενάνδρῳ καὶ Φιλητᾷ. Hic de nomine Μενάνδρῳ res est. Sic enim scribunt, ut ex Maassio l. l. eiusdemque Arateis (Philol. Untersuch. XII p. 323) scio et Diltheyi litteris debeo, Palat. 137. Vatic. 1371. Paris. 2843. 2860. 2726. μελανδρίῳ Paris. 2403; nomen omissum est in Vatic. 1910. Paris. 2728. Secundum Maassium qui Bethii collationibus usus est, praebet Matritensis 61 μελανχρίῳ[2]) et 67 μελαγχρίῳ. Meinekius vero in Westermanni editione p. 60 (cf. etiam Anal. Alex. p. 215) Μενάνδρῳ, qui tantum pro comico haberi potest, quamquam neque Alexandri neque Callimachi neque Philetae aequalis erat, in Μαιανδρίῳ mutandum nostrumque Milesium intellegendum esse putavit. Maassio (Aratea p. 323) haec Meinekii coniectura probatur, quippe cui scriptura codicis Parisini

---

Πάρος. τοὔνομα μὲν λέγεται ἀπὸ Πάρου τοῦ Παρρασίου ἀνδρὸς Ἀρκάδος ἔχειν, ὡς Καλλίμαχος. Νικάνωρ δὲ ἐν ταῖς Μετονομασίαις κεκλῆσθαί φησιν αὐτὴν Πακτίαν . . . Schol. Apoll. Rhod. IV 262 Νικάνωρ δὲ λέγων ἐν Αἰγύπτῳ πρῶτον κτισθῆναι πόλιν Θήβας καὶ αὐτὸς συμφωνεῖ τῷ Ἀρχεμάχῳ ἐν ταῖς Μετονομασίαις (sic H. Keil. μετωνυμίαις L(aur.); vide Dindorfii adnotationem ad Harpocrationem II p. 23).

[1]) Cf. Niese, Gesch. d. Griech. u. Makedon. Staaten II p. 127/128.

[2]) Cf. etiam Iriarte, Reg. Biblioth. Matrit. cod. Gr. Mss. p. 203.

μελανδρίῳ faveat. At Menandrum comicum, qui a. 292/1 mortuus est, illorum virorum aequalem nominari posse recte perspexit Wulfius p. 22 = 184 Quodsi Maassii notam *proinde manifestum non modo coaevos, sed quibuscum consuetudinem Aratus habuerit sive in Co insula sive Athenis seu alibi, recenseri* probat et ob hanc causam Μαιανδρίῳ legit, ipse errat. Neque enim quicquam consuetudinis illorum in voce συνήκμασε inest neque codicum scriptura coniecturae Μαιανδρίῳ favet. Mea quidem sententia Μενάνδρῳ scribendum est. Utut res se habet, Maeandrium Milesium ab hoc loco alienum esse iudicemus necesse est.

Callimachus in fabula de septem sapientibus Maeandrium secutus est; in scholiis ad Apollonium Rhodium II 706 Λέανδρος καὶ Καλλίμαχος iterum coniunctim nominantur, unde intellegitur Callimachum hic, si non e Maeandrio hauserit, tamen ab eo non diversa narrasse. Diogene Laertio I 41 teste (p. 65) Maeandrius pro Cleobulo et Mysone Λεώφαντον Γοργιάδα et Epimenidem inter septem sapientes rettulit. Epimenidem etiam catalogi Hermippi et Hippoboti praebent, qui alibi quoque in septem sapientium numero invenitur e. g. Diog. Laert. I 13, Clem. Alex. Strom. I p. 129,13 Sylb. Sed Leophantum excepto Hermippi catalogo (Diog. Laert. I 42) qui eum — memoratu dignum est — iuxta Epimenidem nominat et ita fortasse ad Maeandrii auctoritatem spectat, nusquam alibi invenimus. Leophanti memoria, sive in septem sapientium numerum relatus sive hoc honore indignus iudicatus est, omnino a posteris oblitterata evanuit. Ubi autem litterarum monumenta colligi et percenseri coepta sunt, Leophantus ab oblivione vindicatus est. Quibus causis commotus Maeandrium satis antiquum scriptorem esse censeo, qui sub initium saeculi quarti fuerit[1]). Roeper l. l. p. 29 suspicatus est illum iam quinto saeculo opus suum conscripsisse et Herodoti et Democriti aequalem fuisse. Sed argumenta eius improbanda sunt, scilicet quod Maeandrius e

[1]) Cf. Hicksius l. l. p 3 adn.: *His date is doubtful, but he is probably not earlier than Alexander* pariter atque Susemihl l. l. I 532 adn. 2: *Dass schon aus diesen* (sc. Zeiten Alexanders d. Grossen) *die Μεγαρικά des Dieuchidas stammen, zeigt Wilamowitz, Hom. Untersuch. p. 240 sq., und ein Gleiches gilt wohl auch von den Μιλησιακά des Maiandrios.*

Melesagora surripuisse fertur (Clem. Alex. Strom. VI. 2 p. 267 Sylb.) et quod Callimachus e Maeandrio de septem sapientibus narrationem deprompsit; *denn*, inquit, *es ist ebensowenig wahrscheinlich, dass der gelehrte Dichter in solcher Sache nicht sollte der ältesten und beglaubigtsten Tradition gefolgt sein.*

Maeandrius in opere quod Μιλησιακά inscribitur [1]), de septem sapientibus verba fecit, sed prae aliis qui pluribus de hac re egerunt, eius narratio neglecta est, Callimachus autem ut qui fontes reconditos adeat, Maeandrii auctoritatem secutus est [2]).

[1]) Cf. Ud. de Wilamowitz. Aristot. u. Athen II p. 18.

[2]) Maeandrium sua ex Hellanico prompsisse Wulfius, quem Robertus in lex. Pauly-Wissowae III 136 sequitur, statuit nisus coniecturae Susemihlii, quam parum recte intellexit (cf. Tuerk l. l.). Si id verum esset, nonne Callimacho quoque Maeandrii auctor notus esset? Nonne tum ex auctore ipso hausisset, qui illis temporibus certe integer exstitit?

Addenda et corrigenda.

Pag. 5 lin. 16 in verbis Diogenis Laertii Prooem. 12 *post μόνον adde* (*οὗτοι*) cf. Diels, Hermes XXIV (1889) p. 305.

„ „ „ 17 ad locum Herodoti I 29 laudatum adde Libanii Epitaphii in Iulianum (vol. I p. 546 R.) verba illinc deprompta καὶ τῶν Ἀθήνῃσι διατριβόντων οἱ συνειδότες αὐτοῖς καλὸν ὡς ἐκεῖνον ᾔεσαν, ὥσπερ πάλαι ποτὲ εἰς Λυδίαν οἱ σοφισταὶ παρὰ τὸν Κροῖσον.

„ 8 adn. 2 ad Heinzii disputationem adde quae exposuerunt Praechter in Bursians Jahresbericht. 1898 p. 19 et R. Helm in Neue Jahrbb. f. d. klass. Altert. 1902 p. 365.

„ 10 lin. 14 Hipponactis versum apud Diogenem Laertium I 84 servatum invenis etiam apud Strabonem XIV p. 636.

„ 12 adn. 5 Lobonem septem sapientium scolia non finxisse, sed ex vetere quodam septem sapientium convivio excerpsisse iam ante Wilamowitzium Crusius. ut ipso me monet, dixit Antholog. Lyr[4]. ed. Hiller (1897) p. LXXIII.

„ 28 lin. 17 Herodoti I 86 narrationi adde verba Nicolai Damasceni FHG III frg. 68 p. 407 illinc sumpta Κροῖσον δεσμώτην καὶ Λυδῶν δὶς ἑπτά.

„ 29 „ 33 de Apolline ἑβδομείῳ, ἑβδομαγέτῃ etc. vide etiam Welcker, Griech. Götterlehre I p. 467.

„ „ adn. 1 lin. 2 dele voculam ‚*näher*'.

„ 32 „ 2 vide quae dixerunt Wilamowitzius, Hermes XVIII (1883) p. 429 sq. et Bethius ibid. XXIV (1889) p. 430 sq.

„ 34 lin. 1 ad locos laudatos adde Clementem Alexandrinum Strom. V. p. 243, 12 Sylb. Χρησιμώτατον ἄρα τὸ τῆς συμβολικῆς ἑρμηνείας εἶδος εἰς πολλὰ καὶ πρὸς τὴν ὀρθὴν θεολογίαν συνεργοῦν καὶ πρὸς εὐσέβειαν καὶ πρὸς ἐπίδειξιν συνέσεως καὶ πρὸς βραχυλογίας ἄσκησιν καὶ σοφίας ἔνδειξιν.

„ 38 adn. 4 ad locum laudatum adde p. 291 et Niese, Gesch. d. Griech. u. Makedon. Staaten II p. 109.

„ 39 lin. 4 adde ad Ciceronis locum laudatum etiam de legib. II

„ 11 „ 26 *Thales qui sapientissimus in septem fuit.*

„ 44 „ 27 pro *Auxerrensis* lege *Autessiodorensis*.

„ „ adn. 1 adde Benndorf, Jahresheft. d österreich. Archäolog. Instit. II. (1899) p. 250 et Hiller de Gaertringen et C. Robert, Hermes XXXVII (1902) p. 128 sq. et Archäolog. Anzeig. 1902 p. 21.

Index personarum et locorum.

a. personarum.

b. locorum.

Druck von Max Schmersow vorm. Zahn & Baendel, Kirchhain N.-L.

BRESLAUER PHILOLOGISCHE ABHANDLUNGEN

HERAUSGEGEBEN

VON

RICHARD FÖRSTER

PROFESSOR DER CLASSISCHEN ALTERTUMSWISSENSCHAFT AN DER UNIVERSITÄT BRESLAU

NEUNTER BAND

ZWEITES HEFT

DE VOCUM GRAECARUM APUD POETAS LATINOS DACTYLICOS AB ENNI USQUE AD OVIDI TEMPORA USU

SCRIPSIT

LUDOVICUS SNIEHOTTA

BRESLAU
VERLAG VON M. & H. MARCUS
1903

BRESLAUER
PHILOLOGISCHE ABHANDLUNGEN

HERAUSGEGEBEN

VON

RICHARD FÖRSTER

PROFESSOR DER CLASSISCHEN ALTERTUMSWISSENSCHAFT AN DER UNIVERSITÄT BRESLAU

NEUNTER BAND

ZWEITES HEFT

DE VOCUM GRAECARUM APUD POETAS LATINOS DACTYLICOS AB ENNI USQUE AD OVIDI TEMPORA USU

SCRIPSIT

LUDOVICUS SNIEHOTTA

BRESLAU

VERLAG VON M. & H. MARCUS

1903

DE VOCUM GRAECARUM
APUD POETAS LATINOS DACTYLICOS AB ENNI USQUE AD OVIDI TEMPORA USU

SCRIPSIT

LUDOVICUS SNIEHOTTA

VRATISLAVIAE
VERLAG VON M. & H. MARCUS
1903

EDUARDO NORDEN

S.

Conspectus eorum quae hoc libello continentur.

Addenda et Corrigenda.

Pag. 4, 31. Kellero suasore *Docilis* legendum existimo, praesertim cum *Dolichos* forma quamquam locum non significat, terminationem Graecam servatura esset.

— 18, 23. Terminationem Graecam *-αι* ideo non attuli, quod plane respondet Latinae *-ae*.

— 20, 3. *Semeles* legi, quamquam minor pars codicum hanc formam tuetur. Cum O. Kellero qui has adnotavit lectiones:

semele τχ (ς codd. Cr.), *semel ea* B, *semeles* y et *Semelae* scripsit, facere non possum. idem vir doctus quae in Epilegomenis ad hunc versum attulit, mihi non persuaserunt Horatium in carminibus Graecam formam non adhibuisse. Cf. quae de genetivis Propertianis dixi pag. 20, de ratione Horatiana pag. 54.

— 29, 2. lege '*angulus orbum*' pro '*angulus orbem*'.

— 38, 1. Quod O. Keller *Achillem* cum *Antiphaten* comparat et de forma *Antiphaten* in Epileg. ad art. poet. 145 haec dicit: '*Hier also sicher -en, während v. 120 Achillem mit latinisierter Endung als ein alltäglich genannter Recke der Vorzeit*', id improbo. nam *Achillen* omnino dictum non esse a poeta Graecae linguae perito neque cum *Antiphaten* forma comparari posse contendo.

Nonnullis iam disputationibus verba facta esse de Graecarum vocum apud Romanos usu quamquam haud ignoro, tamen adhuc nemo ea qua oportuit diligentia temporum habita ratione quaesivit, quibusnam causis poetae, ut terminationibus et Graecis uterentur et Latinis, commoti sint. quod ut probem, de illis commentationibus quae quidem mihi innotuerunt, pauca praefabor.

Atque primo quidem loco Koenii appellandus est libellus *„Über die Sprache der römischen Epiker“, Münster 1840.* qui quod de nominibus Graecis copiosius non egit, haud mirum est, cum haec partem tantum sermonis quo usi sunt heroici carminis poetae, efficiant. sed ne materiam quidem plenam collegit, quo factum est, ut nonnulla contendat quae a vero abhorrent.

Neque plus proficimus opere illo quod O. Weise de vocibus Graecis in sermone Latino inventis scripsit[1]). nam omnia quidem nomina appellativa e Graeca lingua deprompta mira diligentia collegit, sed et de nominibus propriis perpauca dixit neque causas attulit, quibus adducti sint poetae, ut Graecas terminationes hic illic ponerent. atque idem valet de libro Neuii *„Formenlehre der lateinischen Sprache“ (Stuttgart 1866 — Erster Teil)*, qui summa diligentia formas Graecas collegit, et de *Tensauro italograeco* Saalfeldii[2]). praeter hos nonnulli viri docti occasione oblata de hac vel illa causa terminationis Graecae adhibitae verba fecerunt, sed ita ut haud semel er-

---

[1]) *„Die griechischen Wörter im Latein“ von Dr. O. Weise. Gekrönte Preisschrift der Fürstlich Jablonowskischen Gesellschaft. Leipzig 1882. (tom. 23) p. 56 sqq.*

[2]) *Dr. G. A. Saalfeld: Tensaurus italograecus. Wien 1884.*

rarent, velut Wagner[1]), Forbiger[2]), Ribbeckius[3]), H. Iordanus[4]), Birtius[5]), Keller[6]), de quorum opinionibus amplius disputare hoc loco supersedeo.

Sequitur ut de via quam in ratione poetarum disserenda inii, nonnulla addam. primum quidem, ne materia obruerer, eorum tantum poetarum qui heroo usi sunt versu, opera tractavi, ac ne eorum quidem omnium, sed eorum tantum qui inde a sexto urbis saeculo usque ad octavi finem fuerunt. non tamen scaenicos lyricosque neglegendos esse putavi, cum hic illic eorum ratione cognita rectius de heroicorum poetarum genere dicendi nominumque Graecorum ratione disputari posse intellegerem. itaque et Enni Lucili Varronis Ciceronis reliquias et Lucreti Catulli Vergili Horati Tibulli (Lygdami Sulpiciae) Properti Ovidi opera perscrutatus Plautinas Terentianasque fabulas adhibui. viam autem disserendi hanc ingressus sum, ut primum agerem de ipsa materia, qualis exstaret apud poetas, tum de causis quibus poetae ut Graecas adhiberent terminationes, commoti essent, deinde ut quaererem, quomodo magis magisque in poetarum Latinorum elocutionem flosculi illi e Graecorum sermone deprompti intraverint.

---

1) *Quaestiones Vergilianae.* (*Vergili opera variet. lect. et perpet. adnot. illustrata a. C. G. Heyne, Lps. 1830—41 cur. Ph. Wagner. vol. IV.*)

2) *Vergili opera rec. et illustr. A. Forbiger. Lps. 1872—75.*

3) *Vergili opera rec. O. Ribbeck. Lps. 1859—68. vol. I. Prolegomena critica.*

4) *Kritische Beiträge zur Geschichte der lateinischen Sprache. Berol. 1879. cap. I.*

5) *Mus. Rhen. tom. 34 p. 1 sqq.*

6) *Epilegomena zu Horaz. Leipz. 1879—80.*

Pars prior.

Caput I.

De nominum Graecorum quae apud poetas Romanos inveniuntur, numero.

§ 1.

De nominativi et vocativi formis.

1. Illorum nominum quibus Latini secundae declinationis terminationes in pedestri sermone dederunt, nominativo et Graeco usi sunt poetae et Latino h. e. et terminatione *-us* vel *-um* et *-os* vel *-on*. itaque inveniuntur haec nomina Graecorum more declinata:

apud Lucilium: *Atticon* fr. 874[1]), *sophos* fr. 121, *rhetoricoteros* fr. 57. dubitari sane potest, quo iure has formas huc rettulerim. nam fortasse Lucilius haec omnia nomina Graecis scripsit litteris, id quod non raro codices testantur. qua de re infra disputabo. in Ciceronis *Arateis* exstat: *scorpios* 77. 208. 430[2]); apud Lucretium: *Tityos* III 992[3]); apud Catullum: *Penios* 64. 285, et *Scyros* 64. 35 in textum recepit Ellis codicum secutus vestigia praebentium *syros siros schyros sciros schirios schiros thiros thiros tyros.* sed cum de locis Thessaliae, unde omnes concurrunt incolae nuptiis laeti regis, agatur, — nominantur Tempe Crannon Larissa — hoc quoque nomen ad locum quendam spectare Thessaliae certum est. sed quoquo modo res

[1]) Numeris usus sum Baehrensii (F. P. R.).
[2]) Eiusdem editoris numeros adscripsi (P. L. M.).
[3]) Lachmanni editionem secutus sum.

se habet, sive *Scyros* locus Thessaliae, non insulae illius nomen est sive *Cieros* scribendum cum Meinekio[1]) atque Lachmanno, non multum id ad quaestionem propositam refert. nam pro certo haberi potest nomen quoddam geographicum Graecam servasse terminationem.

Pergo ad Vergilium, qui in his nominibus Graeca terminatione usus est: *Epeos* II 264[2]), *Tyros* IV 679, *Zacynthos* III 270, *Neritos* III 271, *Tmaros* ec. VIII 44, *Epiros* ge. 1. 59, *Lesbos* ge. 2. 90, *Delos* ge. 3. 6, *lageos* ge. 2. 93, quibus locis codices inter se consentiunt. maioris partis codicum auctoritate nisus legendum esse censeo: *Aegyptos* VIII 705, *Tenedos* II 21, *Mnasyllos* ec. VI 13, *scorpios* ge. 1. 35. de ceteris locis quibus codices Latinam potius terminationem tueri videntur, altero in capite pauca referam. sed placet illa quoque nomina quae a Vergilio ori adaptata sunt Latino, afferre; nam haec nomina cognovisse postea ex usu nobis erit. scripsit igitur Vergilius latine:

Aeolus Acrisius Argus Aetolus Aegyptus[3]) *Belus Caucasus Caicus Cerberus Centaurus Coroebus Dardanus Deiphobus Eurus Entellus Eumelus Euryalus Helenus Helymus*[4]) *Hyrtacus Ilus Imbrasus Inachus Iasius Idaeus Iphitus Lagus Lycus Labyrinthus Menelaus Misenus Minotaurus Neoptolemus Nilus Nisus Notus Orsilochus Ornytus Parthus Pandarus Palinurus Polyphemus Polydorus Pyrrhus Priamus Phoebus Sthenelus Troilus Thessandrus Teucrus Tartarus Zephyrus — Bacchus Eridanus Gyllarus Hermus Hesperus Ismarus Linus Medus Maenalus Pontus* et omnia nomina appellativa (uno quidem excepto: *lageos*).

Horatius his locis usus est Graecis terminationibus: *Ilios* c. IV 9. 18, *Iolcos* epod. V 21, *Chios* ep. I 11. 1. 21, *Lesbos* ep. I 11. 1, *Samos* ep. I 11. 2. 21, *Rhodos* ep. I 11. 16. 21, *Dolichos* ep. I 18. 19.

---

[1]) Vindic. Strabon. 151.

[2]) Ubicunque operis nomen non adscripsi, Aeneidis libri citantur.

[3]) II 340 par Graeco nomini *Αἴπυτος,* si cod. P sequimur. ceteri codd. praebent *Epytus,* quod nomen apud Graecos non invenitur. itaque cum codice P *Aepytus* lego. cf. pag. 6 n. 2.

[4]) Sic codd. sed cum graece *Ἔλυμος* tantum inveniatur, fortasse hoc quoque loco Graecos secuti *Elymus* scribemus.

Haec nomina Latina terminatione finiuntur: (carm.) *Bacchus Cerberus Codrus Colchus Daedalus Deiphobus Enceladus Eurus Lycus Medus Nilus Notus Oceanus Pegasus Parthus Priamus Palinurus Phoebus Rhoetus Sisyphus Sthenelus Tithonus Thynus*, (epod. sat. ep.) *Tantalus Philodemus Sisyphus Chrysippus Cratinus Heliodorus Aristippus Priamus Demetrius Mimnermus Telemachus Philippus Orcus Lebedus Alcaeus Aeschylus Aesopus Choerilus Callimachus Homerus Democritus Hebrus Corinthus Eutrapelus Telephus Colchus Cadmus Silenus Democritus Aristarchus Eurus Centaurus Pactolus.*

Tibullus quattuor locis *os* terminationem adhibuit: *Tyros* I 7. 20, II 3. 58, IV 2. 16, *Delos* II 3. 27. *us* terminatione finiuntur: *Priapus Bacchus Cerberus Tantalus Eurus Marathus Notus Taurus Nilus.* in panegyrico Messallae haec exstant nomina: *Pylos* (48) *Phoebus Bacchus Icarus Nilus Oceanus.*

In Lygdami quae dicuntur elegiis inveniuntur: *Lygdamus Phoebus Bacchus*, apud Propertium: *Tyros* III 13. 7, *Oricos* I 8. 20, *Isthmos* III 21. 22, 22. 2, *Pelion* II 1. 20, *Ilion* (vocat.) III 1. 31 et *Tityrus Cerberus Notus Parthus Aegyptus Phoebus Bacchus Homerus Caucasus Alcinous Ascanius Callimachus Mysus Croesus Parnasus Amphiaraus Misenus Dindymus Aeacus.*

Omnes qui aetate praecesserunt poetas in Graeca terminatione adhibenda superat Ovidius, ad cuius rationem cognoscendam sufficiet respexisse metamorphoses. terminationem Graecam servavit his locis: *Claros Tenedos* I 516, *Sperchios* I 579, *Amphrysos* I 580, *Haemos* II 219, *Peneos* II 243, *Ismenos* II 244, VI 224, *Maeandros* II 246, VIII 162, *Pandrosos* II 559, *Aglauros* II 560. 785 [1]), *Harpalos* III 222, *Labros* III 224, *Cephisos* III 343, *Delos* VI 191. 333, VIII 221, *Naxos* III 640, *Rhodos* IV 204, *Pylos* VI 418, *Pieros* V 302, *Caystros* V 386, *Orchomenos* VI 416, *Oliaros* VII 469, *Tenos* VII 469, *Andros* VII 469, XIII 661. 649, *Gyaros* VII 470, *Peparethos* VII 470, *Samos Paros* VIII 221, *Meleagros* VIII 299. 385. 515. *Epiros* VIII 283, XIII 720, *Amphissos* IX 356, *Phantasos* XI 642, *Aesacos* XI 791, *Areos* XII 310, *Lemnos* XIII 46. 313, *Mermeros* XII 305, *Buthrotos* XIII 721, *Peloros* XIII 727,

[1]) Sed II 739/49 *Aglaurus.*

Myscelos[1]) XV 20, *Pelios* XII 513, *Pharos* XV 287, *Tyros* XV 28, *Pelion* VII 224, *Lilybaeon* XIII 726.

In *-us* finiunt haec nomina:

Argus Asbolus Aeolus Acrisius Aeacus Ampycus Ascalaphus Apidanus Acastus Ancaeus Achelous Autolycus Assaracus Amycus Arcesius Amenanus Anigrus Bacchus Caucasus Cynthus Caicus Cycnus Cyparissus Coralus Cephalus Corinthus Cerberus Capetus Glaucus Daedalus Dardanus Euphorbus Erasinus Eurus Epaphus Eridanus Eurynomus Enaesimus Eurytus Eurypylus Exadius Epytus[2]) *Hippothous Hippasus Helenus Hellespontus Hesperus Hermaphroditus Hymenaeus Iacchus Inachus Indus Icarus Ilus Hippolytus Lebinthus Lincus Leucippus Lycus Melanthus Mopsus Morychus Nebrophonus Notus Nessus Olympus Oribasus Oresitrophus Orchamus Oceanus Orneus Pindus Phoebus Parnasus Peneus Pamphagus Pyramus Pholus Pirithous Pettalus Phocus Proetus Pergus Pegasus Phaedimus Priamus Pyrrhus Polydorus Picus Rhoetus Sipylus Silenus Taurus Tmolus Thous Thescellus Tantalus Triptolemus Telephus Thessalus Tlepolemus Telemus Xanthus.*

2. Poetae vetustiores nomina quae in Graeca lingua in -ας vel -ης exeunt genetivo in -ου excurrente, plane latine flexerunt. itaque terminatio nominativi nulla apud eos invenitur nisi *a*, velut apud Plautum *danista trapezita sycophanta* — ut locos nonnullos afferam: Amph. 506. Curcul. 420. Epid. 55. 607. Menaech. 1087. Most. 537. 623 — *Leonida* (Asin. 58. 265) *Clinia* (Bacch. 912) *Apella* (Epid. 626). neque aliam rationem in Enni fragmentis inveni. itaque lego (frg. A. 18)[3]) '*Anchisa*' cum scholiasta (Veron. ad Aen. II 687), quamquam [Probus] ad Verg. ecl. VI 31 '*Anchises*' tradit. nam *Anchises* posteriore tempore ab omnibus qui hoc nomine usi sunt, dictum esse satis constat. si igitur scholion illud Veronense l. c. addit: '*peritum multarum disciplinarum Anchisen fuisse* //////[4]),

[1]) Ita scribo e Kornii editione, quamquam codices ε et λ *micilus* praebent, *myscelus* emendavit Scaliger; sed Kornius num lectiones omnes diligenter adnotaverit, dubito.

[2]) Cf. pag. 4 adn. 3.

[3]) Numeros adscripsi editionis novae Vahleni, quamquam opusculo demum scripto in manus meas pervenit.

[4]) Enni nomen periisse Probi testimonio palam fit.

qui ita de eo ait: doctus Anchisa etqs', certum mihi videtur Ennium vocabuli forma usum esse '*Anchisa*', quia scholiasta ipse '*Anchisen*' dicit. multo enim facilius fieri potuit, ut [Probus] formam usitatissimam '*Anchises*' Ennio quoque tribueret, quam ut auctor scholii Veronensis quamquam ipse *Anchisen* dixit, Ennianum illud ita corrumperet, ut formam obsoletam inferret. ne quis in *a* vocali producta offendat. Ennium saepius vocalem *a* in fine brevem per vim ictus metrici produxisse Fleckeisenus docuit[1]). Lucilius quoque illa *a* vocali nominativi pro longa utitur, ut frg. 171:

'*perditus Tiresia Tuscus grandaevos gemebat*'.

Itaque codices sequor his quoque locis Ennianis: frg. 188 *Aeacida*, frg. 132 *Aeacida* (vocat.). in Lucili saturis Lindemannus *Leonidae* nomen frg. 419 scripsit. sed nominativis qui in *-a* exeunt, hunc Lindemanni coniectura effectum addere non audeo. nam quid Lucilius hoc loco scripserit, ne suspicari quidem possumus, neque quisquam adhuc quod codicibus traditur, emendavit.

Post Ennium Luciliumque atque scaenicos illos veteres terminationes Graecae *-as* et *-es* ita poetis Romanis placuerunt, ut duobus tantum locis nominativi plane Latini nobis occurrant: alter in Horati prioris libri satura sexta (v. 120) *Marsya*, alter in Properti libro secundo (14, 1) *Atrida*. excipiendus autem est vocativus, qui nonnunquam neque latine videtur neque graece formatus esse. sane exspectaremus nomina quae in *as* desinunt, in vocativo *a* vocali finiri eodemque modo nomina quae *-es* terminantur, quia utrumque genus primam sequitur declinationem Latinam. sed rem ita se non habere singulis demonstretur exemplis. nomina quae in *-as* excurrunt, in vocativo terminationem *-a* accipiunt apud Vergilium in *Aenea Amynta Damoeta Hyla Iolla Lycisca Lycida Menalca*, apud Horatium in *Tiresiā*, apud Tibullum in *Aenea* (II 5. 39).

Nomina quorum terminatio *-es* est, in vocativo exeunt in *e*, velut in Vergili libris *Achate*[2]) *Alcide Anchisiade Iaside Laride*

[1]) *Kritische Miscellen p. 21.*

[2]) Ita praebent omnes codices Aen. I. 459, *Achata* papyrus Oxyrhynchica saeculi fere V., ed. Grenfell et Hunt part. I pag. 60 n. 31.

Menoete Polite, apud Horatium *Laertiade* (sat. II 5. 69) *Atride* (ep. I 7. 43), apud Propertium *Oiliade* (IV 1. 117), in Ovidi metamorphoseon libris *Philoctete Aeacide Alcide Boote Philoctete Amyclaide Achaemenide*.

Sed mutuantur nomina quae in *-es* finiunt, terminationem ab illis quae in *-as* desinunt, ut Vergilius in Aeneide ubique dicit: *Anchisa*, Horatius: *Atridă* (sat. II 3, 187), Ovidius: *Aeacida* (VII 798) *Cecropida* (VIII 551).

3. Nomina generis feminini quae primam sequuntur declinationem Latinam, plerumque Graecas terminationes servant. neque mirum est *-a* terminationem servari, quae Latinos offendere non potuit. sed nomina quae Graeci in *-η* terminant, hic illic a poetis ori Latino adaptata invenimus, quamquam pleraque eorum, ut infra exponam, metri necessitate a mutatione tuta erant. — Lucilius dixit *Tisiphone* frg. 134[1]), *Phryne* frg. 220.

Lucretius horum nominum nullo usus est casu nisi vocativo *Calliope*, Cicero ubique terminationem Graecam retinuit, Catullus et *Nereine Acme Aganippe Cybebe (Cybele) Hebe* dixit et *Ariadna* (64. 54. 253) *Creta* (64. 174).

Poetae hanc consuetudinem Graecos adhibendi nominativos libenter amplexi sunt. itaque ea tantum nomina afferam, quae praeter consuetudinem in *-a* desinunt. apud Vergilium loco terminationis Graecae *-e* exstat *-a* in *Europa* I 385, *Creta* III 104, *Aetna* III 554 sqq., *Thraca* XII 305, *Prochyta* IX 715. Horatius in carminibus ubique Graecam terminationem adhibuit, in epodis saturis epistulis inveniuntur *Penelope Agaue Ithace Mytilene Procne Phryne*, sed *Thraca Aetna*. Tibullus *Oeta* dixit, Propertius *Eriphyla Semela Ariadna*. Ovidius uno loco ratione quam centum viginti circiter locis tenuit, mutata non *Aetne* — ut II 212, XIII 877, XV 340 — sed *Aetna* dixit V 352.

4. His nominibus quibus Romani aut primae aut alterius declinationis terminationes dederunt, subiungam ea quae tertiam

---

[1]) Mea sententia nominativus est, cui perbene appositum est '*sanctissima Erinys Eumenidum*'. nam certe Tisiphone est sanctissima Eumenidum. itaque Baehrensii coniecturam '*Tisiphonaë*' probare non possum.

declinationem sequuntur. quorum permagnus est numerus, cum inter tertiam declinationem Romanorum et illas quas nondum contemplati sumus Graecas plus similitudinis sit, quam inter quartam vel quintam Latinam et eas quas dixi Graecas. terminationes *-is*, *-as* (vel *-s*), *-ax*, *-ix*, *-yx*, *-an* (*-n*), *-ŏr* tutae erant ab omni mutatione. ut nonnulla exempla afferam, inveniuntur apud Lucretium *Pan dorcas Charybdis*, apud Ciceronem *Arctophylax Pallas Titan*, apud Catullum *Phryx Thetis onyx Charybdis* et cetera, apud Vergilium *Paris Charybdis Thybris Iris Pristis Thetis Cisseis Opis Amaryllis Alexis Adonis Hector Antenor Arcas Pallas Pleas Dymas Calchas Abas Pallas* (heros) *Titan Acarnan Phoenix Eryx Styx Acragas*[1]) *Atlas*[2]) multa alia.

5. Transeo ad genus nominum, de quo, cum recte nondum iudicatum sit, copiosius agendum erit. omnia enim nomina quae in Graeca lingua in *-ευς* desinunt, dipthongi pronuntiationem apud poetas ita servant, ut *-eus* pro una sit syllaba.

---

[1]) Ribbeckius III 703 parum recte mihi scripsisse videtur *Acragans*, cum codices praebeant *AGRAGAṄS* M *ACRAGAS* RV *AGRAGAS* P. cf. adn. 2.

[2]) Sic enim scribendum esse existimo: Aen. I 741, VI 796, VIII 136. 140. 141. omnes codices *Atlans* tradunt et uno tantum versiculo IV 481 *Atlas* traditur codice F. sed iam Servius *Atlans* nullo modo in Vergili libris teneri posse sensit, qui ad hunc versum haec adnotavit: '*Atlas: nullum nomen Graecum ns terminatur*'. cum Vergilius ubique Graeca nomina servare studeret neque terminationes eis daret Latinas maxime alienas a Graecis, ego quidem poetam illum Graecae linguae peritissimum nusquam *Atlans* dixisse puto sed ubique *Atlas*. neque hac de sententia decedo, postquam Linguae Latinae Thesaurum inspexi, praesertim cum non omnia exempla quae hoc in opere afferuntur, satis idonea videantur, quibus *Atlans* iam aevo Augusteo saepius dictum esse probetur. nam ut exemplum afferam, in Germanici Arateis (264 Baehrens) *Atlas* forma melius tradita est quam *Atlans* vel *Athlans* (*adhlans* A, *athlans* E, *alas* BP, *athlas* CS). In Ovidi codicibus saepius *Atlas* formam exstare quam *Atlans* e Thesauro non satis apparet. quod post aevum Augusteum *Atlans* forma videtur saepius esse adhibita, nihil ad usum Vergilianum facit (conferantur enim quae de forma terminationis *-ns* pro *-s* positae Lindsay dixit in libro de lingua Latina scripto — versionis Germanicae pag. 80 — et Buecheler '*Grundriss der lateinischen Deklination*' pag. 5). Servii quidem testimonium pluris aestimo quam codices tot locis discrepantes.

Qua de sententia notum est nos deducere conatum esse Birtium[1]), sed ut mihi quidem non persuaserit. cum ille non omnem materiam collegisse videatur, exempla afferam, quibus *-eus* terminationem omnibus locis a poetis servatam esse demonstretur.

Ac primum quidem nomina de quibus agitur, in Ciceronis Arateis inveniuntur haec: *Perseus* 21. 256. 465, *Cepheus* 82. 415. 417. 437. 461. ultimum versus pedem explet *Perseus* vel *Cepheus* in versibus 21. 465. 437. 461, syllaba *-eus* in arsi posita est vv. 256. 415. 417. neque hic neque illic *-eus* duabus syllabis pronuntiare licet. semel *-eus* in thesi positum est, sed ut unam syllabam efficiat v. 82:

'*extrema prope nocte et Cepheus conditor alte*'.

Catullus eodem modo et per *-eus* syllabam versum heroicum clausit: *Theseus* 64. 73. 115. 267, *Aegeus* 64. 213, *Prometheus* 64. 294, et *-eus* in arsi locavit: *Peleus* 64. 19, *Theseus* 64. 81. 103. 200. 247. neque in versu phalaecio aliam rationem iniit: c. 55. 25:

'*Non Ladas ego pinnipesve Perseus*'.

Vergilius *-eus* terminatione in arsi posita usus est monosyllaba duabus brevibus syllabis sequentibus: *Mnestheus* XII 443. 459, V 116. 117. 194, *Ilioneus* I 521, *Theseus* VI 618, *Nereus* II 419, *Phegeus* V 263, XII 371. sequuntur duae syllabae longae: *Proteus* ge. 4. 388. 422. 528. 429, *Ripheus* II 339. 426. 394, *Briareus* VI 287, *Tydeus* VI 479, *Chloreus* XI 768, *Mnestheus* V 493/94, XI 171. 779, XII 127. 384. 549, *Ilioneus* VII 212, I 559, IX 569, *Idomeneus* III 401, *Rhoeteus* X 402, *Mnestheus* V 189. 210. 507, IX 306. 812, X 142, V 218, IX 781, *Caeneus* IX 573, *Nereus* ge. 4. 392.

-eus thesin ultimi pedis explet: *Pentheus* IV 469, *Cisseus* V 537, *Caeneus* VI 448, *Typhoeus* VIII 298, *Caphereus* XI 260, *Aconteus* XI 612. 615, *Orpheus* VI 119, ec. IV 55, ec. VIII 55, *Enipeus* ge. 4. 368. medio in versu *-eus* syllabam bis in thesi Vergilius collocavit: ante consonantem sequentem XII 443:

'*Anteusque Mnestheusque ruunt omnisque relictis*
turba fluit castris',

vocali sequente ecl. VIII 56:

'*Orpheus in silvis inter delphinas Arion*'.

---

[1]) Mus. Rhenan. vol. XXXIV p. 27 sqq.

Hoc uno loco e quinquaginta quinque per metrum quidem liceret *-eus* in duas dirimere syllabas, sed ne hoc quidem eiusmodi pronuntiatio poetae placuit.

Mensura spondiaca in primo pede nullam offensionem habet comparanti ec. VIII 83 '*Daphnis me malus urit*', ibid. 98 '*Moerim saepe animas*', ibid. 26 '*Mopso Nysa datur*' et permulta exempla, in quibus primi quattuor pedes spondei sunt: I 39. 52. 63, II 54, III 10, IV 28. 30, V 7. 20. 24. 53. 63. 75. 84, VI 29. 45. 47. 51. quin etiam forma huius ipsius versus:

'*Orpheus in silvis inter delphinas Arion*'

redit plane in ec. X 52:

'*Certum est in silvis inter spelaea ferarum*'.

Sed gravissimum argumentum quo Vergilium *Orpheus* *διουλλάβως* pronuntiasse probari putem, hoc est. versus antecedens

'*certent et cycnis ululae, sit Tityrus Orpheus*'

finitur voce *Orpheus* *διουλλάβως* pronuntiata. in tali autem repetitionis figura nunquam a Vergilio pronuntiatio mutata est, quia vis huius figurae valde imminueretur.

cf. ec. X 72/73: '*Pierides: vos haec facietis maxima Gallo*
Gallo cuius amor tantum mihi crescit in horas'.
ec. VI 20/21: '*addit se socium timidisque supervenit Aegle*
Aegle naiadum pulcherrima . . .'
ec. IX 27/28: '*Vare, tuum nomen superet modo Mantua nobis*
Mantua, vae miserae, nimium vicina Cremonae'.

Neque solum ab iis poetis qui heroicis versibus usi sunt, sed etiam ab eis quos, cum alia versuum genera adhibuerint, metri necessitas cogere non potuit, *-eus* ubique pro monosyllabo habitum est. Horatius in hexametris *-eus* in arsi posuit in art. poet. 96: *Peleus*, c. IV 7. 27: *Theseus*. versum heroicum claudunt: *Proteus* sat. II 3. 71, *Lynceus* ep. I 1. 28, *Atreus* a. poet. 186, *Orpheus* ibid. 392.

Eandem viam ingressus est in ceteris carminibus, e quibus omnia quae inveniuntur nomina affero: *Prometheus* c. I 16. 13, II 13. 37, epod. XVII 67, *Proteus* c. I 2. 7, *Nereus* I 15. 5, *Thyoneus* I 17. 23, *Typhoeus* III 4. 53, *Patareus* III 4. 64, *Enipeus* III 7. 23, *Niseus* III 20. 15, *Idomeneus* IV 9. 20.

Tibullus nominativum eiusmodi nominum vitavit, Propertius in quinque tantum versibus admisit et bis syllabam

finalem in arsi collocavit: *Peleus* II 9. 15, *Nereus* IV 6. 25, semel in fine versus: *Theseus* II 24.ᵇ 43, bis in thesi vocali sequente:

II 1 37: '*Theseus infernis, superis testatur Achilles*'

II 34 25: '*Lynceus ipse meus seros insanit amores*'.

Quamquam his locis *Theseus* et *Lynceus* nomina tribus syllabis metro incolumi constare possent, tamen ea disyllaba esse persuasum habeo. ceteri enim loci aliorumque poetarum consuetudo obstant, quominus hoc loco terminationem *-eus* duabus syllabis pronuntiatum esse putemus. ac Propertio quidem *Theseus* disyllabum fuisse apertum fit carmine II 24.ᵇ 43:

'*Parvo dilexit spatio Minoida Theseus*',

neque is voce spondiaca primum pedem explere dubitavit[1]).

Permagnus numerus est eiusmodi nominum in libris Ovidi, in quibus versus in *-eus* excurrunt his locis: *Astreus* V 144, *Aconteus* V 201, *Atreus* XV 855, *Aegeus* VII 454, *Coroneus* II 569, *Caeneus* VIII 305, XII 476. 514, *Caphareus* XIV 481, *Cepheus* V 12, *Enipeus* I 579, VI 116, *Epopeus* III 619, *Erectheus* VI 677. 701, VII 697, *Hypseus* V 98, *Imbreus* XII 310, *Latreus* XII 463, *Nycteus* XIV 504, *Orpheus* X 50. 64. 79, XI 66. 92, *Perseus* V 34. 56, *Phineus* V 36, *Phyleus* VIII 308, *Pyreneus* V 274. 287, *Peleus* XI 217. 244. 266. 350, XII 366, *Pittheus* VIII 622, *Proteus* XIII 918, *Typhoeus* V 353, *Thyoneus* IV 13, *Theseus* VIII 303, XII 227, *Tereus* VI 455. 473. *-eus* in arsi collocatum est his locis: *Aegeus* VII 402. 420, *Aphareus* XII 341, *Caeneus* XII 179. 459. 490, *Cepheus* IV 738, V 44, *Capaneus* IX 404, *Dorceus* III 210, *Eleleus* IV 15, *Eurystheus* IX 203. 274, *Gryneus* XII 260. 268, *Hyleus* VIII 312, *Halcyoneus* V 135, *Idomeneus* XIII 358, *Ilioneus* VI 261, *Melaneus* III 221, XII 306, *Molpeus* V 163, *Megareus* X 605, *Morpheus* XI 671, *Macareus* XII 452, XIV 159. 441, *Menaleus* V 128, *Nereus* I 187, XI 361, XII 24, XIII 742, *Nyseus* IV 13, *Nileus* V 187, *Oeneus* VIII 486, *Proreus* III 634, *Pentheus* III 514. 532. 577. 692, *Perseus* IV 639. 697. 699. 730, V 16. 80. 167. 175. 178. 248, *Phineus* V 8. 89. 157. 231, *Peleus* VII 477, VIII 380, XI 238. 260. 398, XII 193. 388, XIII 151. 155,

[1]) Cf. I 15. 11. 27. 18. 13. 19. 25, II 26. 1.

Panopeus VIII 312, *Proteus* XI 221. 255, *Theseus* VII 404. 421, VIII 547. 566, XII 359, XV 856, *Tereus* VI 424. 433. 478. 650. 682.

Duobus locis *-eus* in thesi positum unam syllabam efficere per consonantem insequentem apertum fit:

VII 3: '*Phineus visus erat iuvenesque Aquilone creati*'
XI 290: '*Peleusque comitesque rogant quibus ille profatur*'.

Itaque etiam tertio loco quo ante vocalem est:

XIII 683/84: '*Miserat hanc illi Therses, fabricaverat Alcon*'
'*Hyleus et longo caelaverat argumento*',

-eus monosyllabum fuisse statuemus.

Birtius sane quamquam plerumque poetas *-eus* pro monosyllabo habuisse credit, tredecim locis quibus syllaba in thesi posita sit, id negat. cuius verba haec sunt (pag. 27):

Der Leser bemerkt, dass in all' diesen Fällen auf den vorangestellten Namen hartnäckig ein Vokal folgt. Das dem Zufall zuzuschreiben, möchte ich nicht unternehmen. Ein Konsonant würde die dreisilbige Aussprache unmöglich gemacht haben. Das heisst mit anderen Worten: wenn die Dichter in ihren Versen in Übereinstimmung mit Palaemon die erste Silbe in den metrischen Hochton stellten, so wagten sie nicht die lateinische dreisilbige Aussprache zu inhibieren.

Sed haec ratiocinatio cadit, quia Birtius locos illos Vergili (II 443) et Ovidi (Met. XI 290) qui ipsius opinioni obstant, praetermisit. tertium locum (Met. VII 3) emendare conatur, ut *Phineus* vocabulum tres syllabas efficiat, eodemque modo quartum illum Ciceronis Arat. 82. atque e numero quattuor locorum quibus poetas quorum equidem rationem habuerim, *-eus* diduxisse duas in syllabas probetur, locum Vergilianum ec. VIII 56 eximendum esse supra (p. 10 sq.) vidimus. restant igitur versus illi Propertiani (II 1. 37, II 34. 25) et Ovidi XIII 684, quibus poetas a ceterorum consuetudine discessisse putare iam non licet.

Nunc summam faciamus omnium locorum:

Exstat apud	*-eus* syllaba in fine versus heroi posita	*eus-* syllaba in thesi posita	*eus-* syllaba in arsi posita	*eus-* syllaba in carminibus lyricis	Summa locorum
Ciceronem	4 locis	1 locis (ante cons.)	3 locis	—	8
Catullum	5 „	—	5 „	1	11
Vergilium	11 „	1 (ante cons.) 1 (ante voc.)	42 „	—	55
Horatium	4 „	—	2 „	11	17
Propertium	1 „	2 (ante voc.)	2 „	—	5
Ovidium	44 „	2 (ante cons.) 1 (ante voc.)	77 „	—	124
Summa	69	4 (ante voc.) 4 (ante cons.)	131	12	220

Ducentis sedecim locis *-eus* nullo alio modo pronuntiari potest nisi una syllaba: num igitur tribus quattuorve locis *-eus* in duas syllabas distrahi putabimus? num in ultimum versus pedem 'superfluam' illam quam Birtius ait (p. 30) syllabam sese quasi abdidisse arbitrabimur? ego quidem non adducor, ut hanc in sententiam eam. neque probare possum rationem qua Birtius ad suam opinionem confirmandam usus est. nam inter tredecim illos quos supra commemoravi locos Vergilianum et Ovidianum, qui ipsi obstabant, enumerare omisit, postea autem se illos non ignorare indicat[1]). nescire me fateor, quonam modo poetae qui post Ovidium fuerunt, his quidem nominibus usi sint, sed hoc pro certo habeo poetas quorum rationem novi, minime a Graeca pronuntiatione nominum quae in *-eus* desinunt, discessisse. neque grammaticorum testimonia quibus Birtius se adiuvari putat, multum valent. nam poetas volgari praetermissa propriam ingressos esse viam constat. omnes autem viros doctos adeo litteris Graecis fuisse imbutos, ut paene inviti graece loquerentur, ex epistula illa Ciceronis apparet (ad Att. VII 3), qua vir ille eruditissimus sese excusat, quod *Piraeea* dixerit pro *Piraeum*. poetas autem metri necessitate coactos *Orpheus* δισυλλάβως dixisse nego. quanam metri necessitate Horatius in carminibus *-eus* Graecorum more

[1]) L. c. p. 31.

enuntiare coactus est? nullam equidem invenio. denique Birtium sequi non possum, cum dicit (p. 15):

„Eine Bestätigung für dreisilbiges Orpheus bieten zunächst die Vergilhandschriften, die so häufig Mnaestaeus statt Mnesteus, Orphaeus statt Orpheus aufweisen“.

'*Orphaeus*' et '*Mnestaeus*' nullo in codice, quantum scio, inveniuntur. e numero quinquaginta quinque locorum Vergilianorum quibus nomina in *-eus* excurrentia tradita sunt, codices erraverunt: II 339 *Riphaeus* P — *Ripheus* M, II 394 RIPHÀEVS M — *Ripheus* P, II 426 *-aeus* P *-eus* M, III 401 *Idomenaeus* M — *Idomeneus* P, V 537 CISSAEVS P — CISSÀEV M. ge. 4. 528 PROTAEVS M PROTINVS R errores sunt scribarum nullius momenti.

In ultimo hexametri pede Latinam pronuntiationem eiusmodi comprobans Birtius his quidem verbis usus est (p. 30):

„ . . . auch hier ist die lateinische und nicht die griechische Aussprache geübt worden . . . der Dichter schiebt es vielmehr dem Leser zu, ob er sich ein metrisches Superfluum gefallen lassen will oder aber seine Zunge an griechischer Aussprache üben. Wer Lust hatte, konnte immerhin das letztere üben; man tat es gewiss nicht“.

Sed si in hac quoque re grammaticos secutus esset, aliter iudicare debuit. Marius enim Victorinus, cuius testimonio Birtius identidem nisus est, de pronuntiatione talium nominum quae in ultimo hexametri pede collocata sunt, Vergilianum illud citans V 352 sic disserit[1]):

' . . . villis onerosum atque unguibus aureis' „aureis“ enim pronuntiandum est. in scandendo autem „reis“ syllaba non dividitur, sed „e“ littera in unitatem cum „i“ deducta per dipthongon Graeco more et ratione scripta enuntiatur“.

Restat ut vocativi per *-eu* terminati mentionem faciam. qui cum a poetis nullo loco excepto Graecorum modo formatus sit, per dipthongum finitur, cuius pronuntiatio in dubium vocari non potest.

6. Terminationes Graecae nominativi *–ους*, *–ως*, *–ω* adeo non mutatae sunt, ut *-us*, *-os*, *o* ubique productae exstent vocales. inveniuntur haec nomina:

---

[1]) G.L. VI 66.

apud Lucilium: *rhinoceros* fr. 83; in Lucreti libris: *melichrus* IV 1160; in Ciceronis Arateis: *Celaeno* 35, *Argo* 126. 134. 396. 466; apud Catullum *heros* 64. 343; in libris Vergili *Panthus* II 318/9, *Amathus* X 51, *Melampus* X 320, *Selinus* III 705, *Allecto Celaeno Doto Erato* (voc.) *Io Pyrgo Spio Theano Argo Dido, Tros Androgeos Minos Athos heros Demoleos* [1]); apud Horatium: *Sappho* c. I 19. 28, *heros* a. poet. 114. 227, *Ino* ibid. 123, *Io* ibid. 124. in elegiis Tibulli nomen talis generis semel occurrit II 5. 68 *Phyto*; in panegyrico Messallae: *Melampus* 120; apud Propertium *Melampus* II 4. 7, *Minos* III 19. 27, *Tros* II 34. 7, *heros* I 19. 7, *Callisto* II 28. 23, *Calypso* I 15. 9, II 21. 13, *Ino* II 28. 23, *Io* II 30. 29, II 33. 7, *Tyro* II 28. 51; denique Ovidi libri haec praebent exempla: *Agriodus* III 224, *Melampus* III 206/08, *Minos* VII 456 sqq., *Athos* II 217, *heros* (duodetriginta locis), *Chariclo* II 636, *Ino* III 353, IV 431. 628, *Echo* III 358/9 sqq., *Melantho* VI 120, *Mantho* VI 157, *Aello* III 219, XIII 710, *Argo* XV 337.

7. Perraro nominativus nominum quorum terminatio *-ys* est, invenitur. Lucilium de Tisiphona dixisse sanctissima *Erinys* iam p. 8 vidimus. Catullus bis usus est nomine *Tethys* (64. 29. 88. 5), Vergilius *Tethys* ge. 1. 31, *Tiphys* ec. IV 34. desunt illi nominativi in Horati Tibulli Properti carminibus. Ovidius Graecam terminationem servavit in *Erinys* I 241, IV 490, XI 14, *Tethys* II 69, II 156, XI 784, *Othrys* II 221, VII 225, XII 513, *Dictys* III 615, XII 334. 337, *Libys* III 617. 676, V 328. 75, *Itys* VI 437. 620, sed uni ex infernis iudicibus nomen dedit aeque ac Vergilius (VI 566) non *Rhadamanthys* sed *Radamanthus* (IX 436), cuius nominis accusativum ab eo per *-on* terminatum esse (IX 440) plerique editores recte arbitrantur.

Nomina neutrius generis, quae graece in *–ος* desinunt, nunquam a poetis heroi carminis mutata sunt uno excepto: *pelagus*. nam huic terminationi par nihil inveniebatur in lingua Latina. itaque Ennius ipse hanc formam Graecam tolerare maluit quam falsa usus analogia

---

[1]) Omnes numeros adscribere longum erat. nominis *Demoleos* V. 265 nominativum Graeci *Δημολέων* tantum cognosse videntur.

e *melos* fr. A. 299 *melus* facere. post Ennium haec tantum nomina occurrunt: apud Vergilium *Chaos* VI 265, apud Horatium *melos* c. III 4. 2, *epos* sat. I 10. 43.

8. Quamquam a grammaticis discimus nominum quae Graeci per *-ων* terminant, *-n* litteram ultimam subtractam esse, ita ut *-o* terminatio fieret Latina, poetae hac quoque in re a ratione grammaticorum orationisque solutae discesserunt. nam paucis nominibus exceptis Graecam terminationem *-on* — *o* vocali producta — servabant. *Apollo* deus Romanis adeo non Graecus visus est, ut ne poetae quidem usquam *Apollon* dicerent, sed ubique *Apollo*. Lucilius et latine dixit *Macedo* (fr. 204) et graece *Icadion* (fr. 824)[1]. in libris Lucretianis nominativus horum nominum non exstat, Cicero semper graece dixit *Orion* et *Procyon*, item Catullus *Chiron Conon Oarion*. Vergilius nomina Graeca a nominibus similibus Italorum ita seiunxit, ut illis daret terminationem *-on*, his *-o*. excepit autem unum nomen Etruscum: *Tarchon*, quo novies usus est Graecorum more terminans *-on*, semel (VIII 603) latine: *Tarcho*. qua de forma nominativi Servius (ad Aen. X 153) haec exponit: '*hoc nomen ubique graece posuit excepto uno in loco, ut 'haut procul hinc Tarcho et Tyrrheni' (VIII 603), quod metri causa fecit*'.

Graecorum nomina haec inveniuntur:

Acmon Aegaeon Acron Automedon Aethon Amazon Cithaeron Charon Cydon Eurytion Haemon Idmon Laocoon Lycaon Machaon Orion Pygmalion Phlegethon Palaemon Patron Pluton Pyracmon Sarpedon Sinon Telon Thaemon Triton Ucalegon. Itali vel alius generis sunt *Hispo Rapo Umbro Mago*.

Horatius latine dixit *Laco* et *Macedo*, Graecam terminationem his in nominibus servavit: *Amphion Anacreon Ixion Laomedon Lacedaemon Orion Phaethon Procyon Polemon Porphyrion Alcon Colophon*.

In Tibulli Properti Ovidi libris cum nullum huiusmodi nomen mutatum sit, singula enumerare supersedeo.

9. Multa nomina Graeca Graecisque cum terminationibus

[1]) Coniecturam a Baehrensio factam in fr. 204 '*Andro*' omitto, quia de terminatione certi nihil scire possumus.

adhibita in nominativo casu disserendo cognovimus, quorum maxima pars speciem a lingua Latina longe diversam praebet velut nomina, quae in *-e* vel in *-eus* desinunt. eandem vel maiorem diversitatem terminationum vocativi eorum quae supra attulimus nominum ostendunt. nominum quae in -eus exeunt, vocativum *s* littera subtracta more Graecorum fieri iam p. 15 diximus. Catullus Graecos imitatus in carmine 64 *Peleu* (26) et *Theseu* (69. 133) dixit, Vergilius graece hos alloquitur heroas: *Cretheu* (XII 538), *Orpheu* (ge. 4. 494), *Proteu* (ge. 4. 447), Horatius hos: *Peleu* (a. p. 104), *Pentheu* (ep. I 16. 73), *Agyieu* (c. IV 6. 28), *Bassareu* (c. I 18. 11).

Propertius uno loco vocativum admisit: *Lynceu* (II 34. 9), saepius Ovidius, apud quem *Enipeu Macareu Orpheu Perseu Phineu Peleu Theseu Tereu Caeneu Proteu* occurrunt.

Eandem vocativi formandi rationem sequuntur nomina quorum terminatio est *-is* et *-us -u* vocali producta. vocativi eius generis occurrunt apud Catullum: *Amastri* 4. 13, in libris Vergilianis: *Thybri Iri Amarylli Alexi Daphni Moeri*[1]) *Panthu* II 322. 429, in carminibus Horati: *Tyndari Pieri Pimplei Chlori*, apud Tibullum: *Osiri* I 7. 43, in elegiis quae Lygdami dicuntur: *Minoi*, apud Propertium: *Icarioti Theti*[2]) *Pari*, in libris Ovidi: *Theti Iphi Iri Procri Bybli Penei Salmaci Themi.*

10. Terminatio nominativi pluralis apud Graecos tribus modis fieri potuit. exitus qui sunt *–οι*, *–η*, *–ες* omnes Romanis poetis adhibere licuit. sed terminationes *–οι* et *–η* latine *-oe* et *-e* factae perraro nobis occurrunt. Cicero '*Arctoe*' dicere non veritus est (Arat. 441), id quod ceteri poetae vitaverunt[3]). multo crebrior fuit apud poetas ille nominativus, cuius terminatio *–ες* Latinae quam simillima est. poetae enim hoc nominativo nullo loco vel nomine excepto usi sunt. ut illud *-es* Graecorum nominum aut ante vocalem positum *e* vocali correpta aut per positionem longum factum invenimus, ita vocalis *e* in syllaba *es* brevis est his locis: Lucreti VI (701)

---

[1]) Hac analogia commotus ec. X 42 '*Lycori*' legere malo quam '*Lycoris*', quod codd. M et P praebent.

[2]) III 7. 68 cod. Lusat.: *Thetis*, sine dubio perperam.

[3]) Ciceronis quod attuli exemplum unicum habeo, cum illud Lucilianum '*amphitapoe*' (fr. 32) fortasse melius '*ἀμφίταποι*' scribatur.

crateres, Catulli carm. 64 (15) *Nereides*, apud Vergilium in *Arcades* VIII 51. 352, X 491, XI 93. 142. 835, XII 231. 281. 551, *Cyclopes* III 644, VIII 424, *Amazones* XI 660, *Troades* V 613, *Troes* I 172, IX 168. 811, XII 231. 281. 704, *Phryges* I 468, IX 599. 635, *Thraces* III 14, *Arcades* ec. VII 4. 26, ec. X 31. 33, *Atlantides* ge. 1. 221, *Mareotides* ge. 2. 91, *Libethrides* ec. VIII 21, *Proetides* ec. VII 48, *grypes* ec. VIII 27, *naides* ec. X 10, *orchades* ge. 2. 86. cetera nomina ante consonantem posita sunt, unum terminatione ori Latino adaptatum est: *tigres* ge. 2. 151, quod nomen eodem modo latine declinatum videtur quo '*felis*' similia. Horatius Graecorum more metitur *Corybantes* c. I 16. 8, Propertius *e* vocalem corripuit in *Erinyes* II 20. 29 et *Panes* III 17. 34, Ovidius his in nominibus: *Arcades* III 210, *Nyseides* III 314, *Ismenides* III 733, IV 31. 562, VI 159, *Minyeides* IV 32, *Acheloides* V 552, *Sirenes* V 555, *Pactolides* VI 16, *Spercheides* VII 230, *Calydonides* VIII 528, *Stymphalides* IX 187, *Lelegeides* IX 652, *Maenades* XI 22, *Troes* XII 67, *Phryges* XII 70, *Troades* XIII 421. 481. 534.

Nominativum pluralem nominum neutrius generis quae in *-os* desinunt, plerique poetarum vitaverunt. quod si fieri non potuit, Graecos secuti dixerunt *mele* et *pelage*, ut Lucretius (II 412. 505, V 35, VI 619), *cete* ut Vergilius (V 822), *Tempe* ut Catullus (64. 35), Vergilius (ge. 4. 317, 2. 469), Horatius (c. I 7. 4, 21. 9, III 1. 24), Ovidius (I 569, VII 222. 371).

§ 2.

De genetivi dativi ablativi formis.

1. Illius generis genetivis quod Graeci per *-ου* terminant, poetae Romani *-i* terminationem vel *-ae* dederunt. itaque *Aeneae Anchisae Olympi Tityri* dixerunt[1]). Graecorum more flexerunt nomina quae tertiam sequuntur declinationem et ea generis feminini nomina quae in *-e* desinunt. Primo loco contemplemur genetivum cuius terminatio est *-es*. Catullus

[1]) In Lucili fr. 25 Mercerius restituit:

Ἰξιονίης ἀλόχοιο.

de Enniano '*Metioeo Fufetioeo*' vide infra.

quinque locis eum adhibuit: *Cybeles* (63. 12. 68) *Cybebes* (63. 20. 35) *Arsinoes* (66. 54), Horatius uno tantum loco Graecos imitatus *Semeles* dixit (c. I 19. 2), quod etiam apud Lygdamum qui dicitur (Tibulli lib. III 4. 5) obvium est. in panegyrico Messallae *Circes* invenimus in versu 61. codices Propertiani praebent *Helles Tisiphones Lampeties Penelopes Cytaines Erinnes Danaes Cybebes.* aliis locis editores *-ae* terminationem posuerunt codicum testimonium secuti, quod mihi minus certum videtur. qui loci sunt: I 4. 5 *Antiopae* (*Antiope* omnes codd.), I 4. 6 *Hermionae* (*hermione* AFN), II 8. 21 *Antigonae* (*Antigone* omnes codd.), II 22. 31 *Andromachae* (*andromacae* omnes codd. praeter *andromace* F), II 28. 48 *Persephonae* (*Persephone* omnes codd., *-ae* corr. Vm[2]), III 12. 27 *Circae* (*circe* omnes codd., *-cure* Fm[1], *cyrce* Vm[2]). at III 12. 38 codices praebent *Penelope* (*-es* Vm[2]), ubi metri causa forma *Penelopes* opus est, eodemque modo contra metri rationem III 12. 29:

'*Lampeties Ithacis veribus mugisse iuvencos*'

codices tradunt: *Lamphatie* F *Lamphatiae* DV *Lampethię* N neque verisimile mihi videtur Propertium in XII. elegia libri tertii *Penelopes* quidem dixisse et *Lampeties* sed *Circae* neque putare possum recte traditum esse illum versum I 4. 5:

'*tu licet Antiopae formam Nycteidos et tu*',

quo in versu Graeca nominis forma *Antiopes* ad formam Graecam *Nycteidos* multo aptior est. itaque fortasse poetae ipsius manum restituemus, si locis supra citatis Graecas exhibuerimus formas.

Ovidius Latinas terminationes haec nomina invadere non passus est, sed omnibus locis *-es* terminationem adhibuit: *Persephones Arachnes* (ter) *Boebes Hecates* (bis) *Procnes Hyries Penelopes Ioles Phoebes* (ter) *Daphnes Herses Pleiones Panopes Semeles* (bis) *Thisbes Circes* (septies) *Eurynomes Cyanes Eurydices Helles Temeses Lethes Hypsipules Anaxarates.*

Alienam ab Ovidio rationem Vergilius secutus nunquam *-es*, semper *-ae* dixit: *Andromachae* III 487, *Circae* III 386, *Cyllenae* VIII 139, *Hesionae* VIII 57, reliqui poetae iuxta Graecas formas Latinis quoque hic illic usi sunt. in Ciceronis Arateis *Helicae* est genetivus eius de quo disserimus generis (XXVI 2). Catullus *Helenae* et *Uraniae* latine declinavit,

Horatius *Circae* (ep. I 2. 23) *Penelopae* (ep. I 2. 28), Tibullus *Hecatae* (I. 2. 52).

2. Alterum genus genetivi cuius Graecam formam poetae Romani aliquoties non mutaverunt, per *-os* terminatur. quo genetivo uti iam Lucilius ausus est: fr. 25 *Thestiados*. Lucilium longo secutus est intervallo Catullus, qui *Locridos* (66. 54) et *Phasidos* (64. 3) dixit. in Vergili libris codices uno loco consentiunt in *Panos* (VIII 344). ceteris locis testimonia dubia vel incerta sunt: ec. II 14 *Amaryllidos* P, *-is* R, ec. III 81 *Amaryllidis* R (quem locum ex antiquis codicibus solus tradit R), ec. III 12 *Daphnidis* PR, *-os* testatur ars Probi[1]; *Tritonidis* II 226 tradit M, TRITON*idis* P, *Tritonidos* Macrobius[2].

Sed quo pacto illae terminationes Graecae oriri potuerunt, nisi a Vergilio ipso profectae sunt? Graeca igitur terminatio his quidem tribus locis ec. II 14, III 81, III 12 praeferenda videtur.

Neque Horatius neque Tibullus hunc genetivum admiserunt. auctor panegyrici Messallae dixit *Atlantidos* (77). Propertius septendecim locis terminationem Graecam servavit in *Athamantidos* (bis) *Phorcidos Glaucidos*[3]) *Chloridos Briseidos Phyllidos Iasidos Inachidos Nycteidos Phasidos Thaidos Laidos Myos Nycteos Boebeidos baridos*. Ovidius dixit graece *Inachidos Phoronidos Hecateidos Tritonidos*[4]) *Phorcynidos Achaidos Titanidos Phasidos Perseidos Letoidos Pallados Asopidos Eurytidos Thaumantidos Pallantidos Nepheleidos Ityos*, sed Latinam dedit terminationem his nominibus: *Daphnidis* IV 217, *Thetidis* XI 220, *Aeolidis* XI 444.

3. Supra nullum fere exstare genetivum graece flexum nisi per *-es* vel *-os* dixi. nonnulla tamen inveniuntur nomina in *–ω* vel in *–ως* excurrentia. genetivus nominum quorum nominativus in *–ω* desinit, ter nobis occurrit: in Vergili Aeneide (X 199): *Mantus*, apud Propertium (II 26. 39): *Argus*,

---

[1]) Instit. I 4. 20.

[2]) Sat. III 4. 4 cod. Par. I, cuius testimonio terminatio Graeca non satis defenditur.

[3]) IV 3. 55 sic emendavit Scaliger, sine dubio recte. de terminatione quidem dubitari non potest.

[4]) Sed *Tritonidis* III 127.

in panegyrico Messallae (77) *Calypsus*. nominis in $-\omega\varsigma$ desinentis uno tantum loco Graeca terminatio exstat in *Androgeo* apud Vergilium VI 20 forma a Charisio servata[1]), qui: '*quaeritur*' inquit '*et de Graecis, quorum genetivi diversi sunt. itaque si fuerit nominativus Androgeos, genetivus erit Androgeo, ut apud Vergilium 'in foribus letum Androgeo*' (VI 20), *sed apud eundem invenimus* '*Androgei galeam*' (II 392).

Hoc igitur auctore priore loco (VI 20) a codicibus *Androgei* praebentibus recedere possumus. sed cum Vergilius altero loco *Androgei* et II 425 *Penelei* latine dixerit, fortasse etiam illo loco (VI 20) formam mutasset, si ei, ut carmina accuratius recenseret, contigisset. nominativi in Vergili libris constans forma est *Androgeos*.

E ceterorum nominum multitudine hoc loco ea tantum mentione digna habeo, quorum nominativus exit in *-eus*. nam quamquam omnes poetae genetivum horum nominum eodem modo quo grammatici praecipiunt, per *-i* vocalem finiunt, tamen *-i* vocalis cum *-e* antecedente coniuncta ubique — uno loco excepto Horati c. II 19. 14 — per dipthongum enuntiatur. hic illic genetivus Graecorum more per *-eos* terminatus exstat. genetivus altero modo flexus invenitur in Ciceronis Arateis (52) *Cephei*, in Catulli carminibus *Pelei* (64. 278)[2]), *Thesei* (64. 120)[3]), in libris Vergilianis *Idomenei* XI 265, *Ilionei* I 120, VII 249, IX 501, *Nerei* VIII 383, X 764, *Protei* XI 262, *Promethei* ec. VI 42, *Terei* ec. VI 78. quae nomina cum his locis ita tradita sint, etiam I 41 codicis Romani sequemur scripturam *Oilei*,

[1]) G. L. I 92.

[2]) Lachmannus (ad Lucret. IV 602 fin.) falso hunc genetivum *Pelei* cum illo veterum *Romulei* adaequare mihi videtur. nam nomina quae exeunt in *-eus*, *-e* vocalem terminationis *-ei* iam in nominativo habent. praeterea in nominibus quae in *-eus* exeunt, *-ei* terminatio nullo fere loco excepto invenitur, in nominibus quae in *-us* desinunt, perraro.

[3]) *Erecthei* 64. 229 coniecit Vossius. codices tradunt '*freti*'. *Erecthi* lectionem Buecheler fortasse rectam esse dixit (Mus. Rhen. XV 437), sed hau scio an lectio codicum '*freti*' nimis corrupta sit, quam ut ex ea talem formam concludamus.

Aliter res se habet in v. 74, ubi Catullum *Piraei* dixisse negari non potest. sed *Piraeei* nomen in oratione soluta *Piraeus* factum est, quia coniunctio vocalium *-aeus* ad pronuntiandum magis idonea erat quam *-aeeus*.

quamquam *Oili* et codex M praebet et Diomedem legisse loco sane mendose tradito[1]) concluditur: *o illi* Parisinus A et B *aiacisu illi* Monacensis. huius vero grammatici testimonium gravius ideo putare non possum, quia versum non propter hanc ipsam formam affert.

Horatius tribus syllabis usus est in *Penthei* c.II 19. 14, duabus in *Lyncei* sat. I 2. 90. apud Propertium haec exempla exstant: *Promethei* II 1. 69, *Persei* II 28. 22, 30. 4, *Capanei* II 34. 40, *Phinei* III 5. 41, in Ovidi metamorphoseon libris haec: *Nelei* II 689, *Lyncei* II 710. Graecam terminationem servarunt Propertius in *Pentheos* nomine (III 17. 24) et *Nycteos* (III 15. 12), Ovidius in *Theseos* (VIII 268) *Oileos* (XII 622).

4. Perraro Graecae terminationes dativi inveniuntur. nominum quorum nominativus exit in *-eus*, dativus et Latinorum more per *-eo* finitur et Graece per *-ei*. Catullus utraque usus est forma: *Peleo* (64. 336) *Pelei* (64. 382). eodem modo Vergilius *Typhoeo* (IX 716) et *Orphei* (ec. IV 57. ge. 4. 545. 553) dixit. nam codex R his locis falso tradit: *Orphi* ec. IV 57, *Orphaeo* ge. 4. 553, *Orpheo* ge. 4. 545; *Orphi* ex *Orphei* corruptum esse elucet. *Orpheo* vel *Orphaeo* librarius fortasse sui temporis rationem secutus scripsit. nullo modo *Orpheo* teneri potest contra auctoritatem ceterorum codicum PMG.

Propertius ubique latine declinans *Enipeo* (III 19. 13) *Prometheo* (III 5. 7) *e* et *o* vocalibus per synizesin contractis scripsit, Ovidius dativo *Persei* dixit (V 201).

5. Ablativus casus quamquam ubique eum latine formatum exspectamus, tamen nonnusquam terminatione graecissat. in nominibus quorum nominativus in *-e* exit, eandem vocalem exhibet, ut apud Ovidium: *Hesione* XI 217, *Aganippe* V 312. eodem modo ablativus nominum masculini generis quae in *-as* vel *-es* exeunt primam secuta declinationem, per *-e* terminatur a Vergilio: *Achate* I 312. 696 et ab Ovidio: *Laerte* XII 620, *Pheretiade* VIII 310, *Gange* IV 20, V 47 et ab auctore panegyrici Messallae: *Araxe* (143).

quod *-eo* terminatio nominum quae in *-eus* desinunt, in herois versibus ubique unam in syllabam contrahitur, mirum non est. qua

[1]) G. L. I 428.

de re infra videbimus. sic inveniuntur *Eurystheo* (VIII 292) et *Mnestheo* (X 129) in Vergili Aeneide, *Tereo* (VI 635) in Ovidi metamorphoseon libris. Horatius *Orpheo*, quia metrum lyricum non obstabat, *τρισυλλάβως* usus est (c. I 24. 13).

6. In genetivo et dativo numeri pluralis perraro poetae Romani Graecos imitati sunt: *chariton* (Lucret. IV 1162) *Chalybon* (Catull. 66. 48) *Cimmerion* (paneg. Messal. 64). dativo autem Graeco Propertius usus est in *Adryasin* (I 20. 12) *Hamadryasin* (I 20. 32) *Thyniasin* (I 20. 34). illud enim Ciceronis '*engonasin*' (Arat. XII 1) non tam declinationis quam nominis proprii speciem prae se fert. Catullum tali dativo plurali graece flexo 64. 287 usum esse e codicum scriptura quamvis corrupta apparet (cf. Madvig Adv. crit. II 28 sq.).

§ 3.

De accusativi formis.

1. Primum plurimum interest scire, quot locis poetae accusativum Graecorum more finxerint. nam plurimae formae Graecae quae in poetarum Romanorum operibus inveniuntur, accusativorum sunt. eodem modo quo nominativum Graecorum qui in *-ος* desinit, nominativo per *-us* latine terminato adaequaverunt poetae, accusativo Graeco qui in *-on* exit, usi sunt non quidem omnibus in nominibus sed intra certos quosdam fines. Lucretius quater adhibuit accusativum per *-um* terminatum, sed graece declinavit *Tityon* (III 984). Catullus terminationem *-on* adhibere veritus est, sed Vergilius non dubitavit dicere *arcton* (ge. 1. 138) *Tityon* (VI 595), quibus locis codices inter se consentiunt. maior pars codicum Latinam habet terminationem his in versibus: III 124 *Naxum* FP *-on* M (Probi cathol. G. L. IV 31), III 126 *Olearum* FP *-on* M, *Parum* FP *-on* M, VII 208 *Samum* FPR *-om* M. *Cytorum* ge. 2. 437 omnes codices (MPR) praebent, *Cytoron* testatur Probus (32, 16). quae nomina cum omnia sint locorum — insularum vel montium — ea in re, nisi fallor, ipsius Vergili ratio perspicitur. centies quinquies in *-um* terminatione nominum quae ad loca Graeciae non pertinent, codices Aeneidis inter se consentiunt. unde quaeritur, cum codices modo con-

sentiant modo dissentiant, utram terminationem Vergilius ipse adhibuerit. atque terminationes Latinas quae scribis notae essent, facilius tradi potuisse sponte intellegitur. quomodo autem Graeca terminatio poni potuerit a scribis pro Latina, hau video. itaque his locis quibus codex Mediceus Graecam praebet terminationem, eam reponere malo quam Latinam ceteris codicibus traditam. accedit, quod omnia nomina in quibus codices dissentiunt, ad loca Graeciae spectant. haec igitur Vergilius ita excepit e ceteris, ut in eis Graecam terminationem servaret. cetera nomina non esse locorum ex his quae afferam exemplis facile intellegitur:

Eurum Zephyrum Phoebum Priamum Xanthum Sergestum Serestum Misenum Pirithoum Tersilochum Musaeum Hippolytum Euandrum Cacum Hylaeum Pholum Nilum Aphidnum Alcandrum Clytium Demodocum Harpalycum Hebrum Orsilochum Sthenium Anchemolum Alcathoum Menelaum.

E nominibus quae sunt neutrius generis, affero: *Ilium* I 68 V 756, *Pelion* ge. 3. 94.

Eadem qua Vergilius ratione usus est Horatius in carminibus: *Rhodon* I 7. 1, *Epheson* I 7. 2, *Delon* I 21. 10, *Cypron* I 30. 2, *Tityon* III 14. 8, *Arcton* II 15. 16, *Pelion* III 4. 52, *Cnidon* III 28. 13, *Paphon* III 28. 14, *Troilon* II 9. 16, *Ilion* III 3. 18, 3. 37. de nominibus, quae in Horati carminibus latine flexa inveniuntur, infra disseram.

Tibullus graece dixit *Ilion* II 5. 22, Propertius *Patroclon* II 8. 33, *Naxon* III 17. 27, *Horon* IV 1. 78, *Delon* IV 6. 27. creberrima haec terminatio est apud Ovidium:

Tenedon Arcton Lesbon Delon Naxon Rhodon Crocon Sisyphon Pegason Cerberon Erymanthon Siphnon Syron Andron Clyton Samon Daedalon Meleagron Paphon Eupalamon Caucason Aeacon Rhadamanton Cragon Pharon Icelon Cnidon Clyton Pactolon Aesacon Orion (XII 262) *Hippason Phlegraeon Cyllaron Tectaphon Telephon Coeranon Ennomon Polyphemon Aeolon Hyacinthon Tyron* — *Pelion* I 155 VII 352, *Maenalon* II 415. 442, *Rhegion* XIV 48.

2. Multo maior est numerus nominum per *-es* et *-e* terminatorum quae in accusativo *-en* litteris finiuntur. Ennium (fr. A. 31) *Anchisen* dixisse ut credam, non adducor: *Anchisam* ei tribuendum esse censeo. Philargyrio enim, qui hoc ut Ennianum

citat (comment. in georg. III 35) formam in Vergili libris usitatissimam in mentem venisse suspicor. Vahlenum sequor, qui fr. A. 328 *Leucatam* e codicum scriptura corrupta (Prisciani I 541 H) *leucatan leocaten leucatem* restituit. nam e *leucatan* et *leucatem Leucatam* ab Ennio dictum esse recte concluditur. fortasse Vergilianum illud '*fervere Leucaten*' scribas quosdam commovit, ut hac forma Ennium quoque usum esse putarent, unde vitium in codices irrepsit.

Lucilius, quoad potuit, Graecos imitatus his quoque in nominibus Graecam terminationem adhibuit: *Carneaden* (fr. 38) et *scholen* (fr. 570)[1]. in Catulli carminibus haec apparent exempla: *Acmen* 45. 1. 21, *Amphitriten* 64. 11. hoc loco codices praebent *Amphitritem* vel *Amphitrite*. utrumque ex eadem scripturae forma falso ortum est. itaque haec nomina certa habes, minus certum: *Booten* 66. 67, quamquam hanc scripturam codicis archetypi fuisse e consensu lectionum codicis G (*boothen*, quod *g* correxit in *boothem*) et O (*bootē*)[2]) efficitur. sed de hac forma infra pluribus agam.

Vergilius Graecam terminationem ubique adhibuit, itaque exempla in eius libris suppetunt: *Acesten Achaten Anchisen Priamiden Menoeten Buten Alciden Epytiden Aeoliden Aeaciden Polyboten Laomedontiaden Antiphaten Gygen Tyren Oroden Orsen Hydaspen Erichaeten*. erraruut codices duobus locis X 778. 779, quibus *Antorem* tradunt (MRP vel NR). qui error quo modo invaserit, iam Servius recte cognovit, cum ita hac de forma disserit: '*erit nominativus hic Antores, quomodo Diores, nam si Antor fuerit nominativus, metri ratio non procedit. omnia enim Graeca nomina -or terminata in obliquis casibus corripiuntur*'. eodem e fonte hausisse videtur Probus qui dicitur[3]). his enim verbis *Antoren* testatur: '*quidam putant Vergilium contra rationem propriorum produxisse "Herculis Antorem comitem", sed errant: nam hic Antores declinavit, non Antor, sicut hic Diores*'.

Haec quoque nomina certa traduntur: *Asbyten Aulesten Dioren Euphraten Hippodaten Laden Niphaten Oaxen Oniten*

---

[1]) *Scholen* Lachmannus recte e codicum *scolem* vel *scollem* emendavit.

[2]) Cf. infra p. 27 adn. 2.

[3]) Probi catholica I 25. 28. G.L. IV 12.

Thymoeten. in dubium vocari possunt haec exempla, quamquam vix errabimus Graecam terminationem restituentes: I 113 *Oronten* R *-em* M. sed Charisius *Oronten* comprobat optime[1]: '*hic Oronta cum latine reformatur et hunc Orontam dicimus. nam si non reformatur, Oronten poterimus dicere, ut Vergilius: . . . fidumque vehebat Oronten*'. itaque altero quoque loco (VI 334), ubi Orontae nominis accusativus exstat, cum codice P contra id exemplar quod secuti sunt codices MR et Priscianus, *Oronten* legimus.

Alius nominis duplici modo accusativum terminavit Vergilius. nam et *Daren* dixit (V 456) et *Dareta* (V 460/63. 476, XII 363), quamquam Graeci *Δάρητα* declinant. *Dareta* a versu 456 libri V quamquam propter metrum non alienum est, tamen facere non possumus quin Charisium hoc quoque loco sequamur, qui testatur Vergilium *Daren* dedisse pro *Daretem*, quamquam nomina huius generis tertiam declinationem sequuntur[2].

Omnia nomina quorum nominativum Graecum per *-e* terminatum retinuit Vergilius, in accusativo apud eum exeunt in *-en*, ut *Andromachen Hermionen Hecaten Barcen Beroen Eriphylen Euhadnen Pasiphaen Homolen Liparen Leucaten Hippolyten Alcippen Erigonen Eurydicen Pasiphaen Pallenen Rhodopen* (viginti quattuor locis). in Horati carminibus multa reperiuntur exempla: *Merionen Tydiden Alciden Laertiaden Thyesten Tiridaten Panthoiden Phrahaten Mysten Gygen Scythen Anchisen.* minus certo tradita sunt: *Bellerophonten* c. IV 11. 28, quo tamen in nomine

---

1) G.L. I 20.

2) Supra dixi compendium ˜ vel ‐ pro *m* littera positum iure in *-n* rescribi posse, quod nunc probabo argumentis. *Acesten* sic invenitur I 558. 570, V 531. 746. *Acestē* praebent codices MR V 540, *Aceste˜* M V 30. *Achaten* invenimus X 332, *Achatē* scribunt MR I 644, *Menoeten* tradunt codices V 161. 173, *Menoete˜* per compendium M XII 517. conferantur quae sequuntur: XII 509 *Dioren* PR *Diore-* M. scribae compendium omiserunt in *Menoete* M (V 173) *Hydaspe* M (X 747), falso rescripserunt in *Nifatem* M (ge. 3. 30), quo loco R *Niphatē* praebet. itaque terminationem *-em*, ubicunque nobis occurrit nominum quorum genetivum per *-ου* terminarunt Graeci, e compendio falso rescripto ortam esse non sine iure concludemus. quae cum ita sint, nihil addendum est de codicum lectione: *Orontem* M (I 113) MR (VI 334) *Anchisem* M (II 747) *Antorem* MR (X 779) MPR (X 778) *Asbutem* P (XII 362) *Thymoetem* M (XII 364).

dubitari non potest quin *-en* terminatio tuenda sit contra codices qui *-em* tradunt, et *Geryonen* c. II 14. 8, cuius nominis accusativus in maiore parte codicum per *-em* terminatur. cum Graeci et *Γηρυών* et *Γηρυόνης* dicant, in accusativo latine et *Geryonen* et *Geryonem* dicere licet. neque tamen video, qui fieri potuerit, ut nonnullis codicibus *-en* traderetur, nisi scribae hanc terminationem in libris repperissent. nam *-em* ex *-en* factum esse multo mihi verisimilius videtur quam *-en* ex *-em*.

In saturis et epistulis Horatius hunc accusativum minime vitavit: *Piramiden* s. I 7. 12, *Pyladen* s. II 3. 139, *Peliden* ep. I 2. 12, *Atriden* ep. I 2. 12, *Lycamben* ep. I 19. 25, *Antiphaten* a. p. 145.

Non minus saepe usus est accusativo graeco nominum generis feminini quae in *-e* desinunt. invenimus in carminibus *Mytilenen Helenen Penelopen Circen Lalagen Europen Chloen Pholoen Thracen Danaen Rhodopen Creten Lycen Hippolyten*, in saturis: *Hecaten* (I 8. 33) *Tisiphonen* (I 8. 34).

Tibullus hunc accusativum uno loco admisit: I 7. 28 *Memphiten*. auctor panegyrici Messallae *Antiphaten* Graece declinavit. aliquanto crebriores sunt hi accusativi apud Propertium: *Aesoniden Alciden Euphraten Ixioniden Menoetiaden Oresten Persen Praxitelen* — *Antiopen Cybeben Dircen Heben Hellen Leucothoen Meroen Penelopen.*

Excellit autem inter poetas multitudine harum formarum Ovidius. inveniuntur apud eum: *Acesten Achaemeniden Actoriden Aeaciden Aeneaden Aeoliden Aesoniden Alemoniden Amphitryoniaden Ampyciden Booten Buten Cometen Coroniden Deioniden Hippodaten Hippomenen Hylen Iliaden Iphitiden Menoeten Oleniden Palameden Peliden Poeantiaden Politen Priamiden Procrusten Pyracten Sperchioniden Tagen Tydiden* — *Aetnen Alcyonen Amymonen Anaphen Anaxaraten Antigonen Asterien Chrysen Circen Clymenen Clytien Creten Cyanen Cyllenen Danaen Dircen Dryopen Ephyren Erigonen Europen Eurydicen Gorgen Hecaten Helicen Hesperien Hippodamen Ianthen Idalien Inarimen Iolen Issen Leucothoen Limyren Mnemosynen Nioben Nyctimenen Ocyrrhoen Oeten Parthenopen Pasiphaen Perimelen Persephonen Pitanen Prochyten Procnen Psammathen Rhodopen Semelen Sparten Taygeten Zanclen.* accedunt nonnulla appellativa: *harpen* V 69, *phocen* VII 389, *nymphen* XIV 333.

3. Eorum quoque nominum quae in nominativo in *-as* desinunt genetivo graece in *–ου*, accusativus plerumque Graecorum more flectitur. Lucilius eodem modo quo postea grammatici praecipiunt, *Tiresiam* (fr. 172) dixit. a posterorum usu terminatio Latina aliena erat. Vergilium quidem non offenderunt accusativi qui sequuntur: *Bitian Gyan Hylan Iarban Idan Iollan Lichan Menalcan borean.* *Aenean* forma in triginta octo versibus nobis occurrit, quibus locis codex R sexies *Aeneam* praebet, quod vitium esse e versu IV 214 apparet. hoc enim in versu metri ratione postulatur, ut synaloephe in nomine *Aeneam* vitetur. dubium esse potest, utrum in versu X 561 codices PV sequamur an MR, quorum alteri *Lucan* alteri *Lucam* tradunt. cum autem nominativus *Lucas* posteriore demum tempore inveniatur, cum Ribbeckio *Lucam* probo. certe Latinam voluit terminationem Vergilius X 562, ubi codices RV *Numam* tradunt, MP² NVMAN, P¹ NVMA. Propertius his accusativis usus est quattuor tantum in nominibus: *Hylan Borean Philetan Aenean* neque multo plures Ovidius admisit: *Phlegyan Idan Lichan Eurotan Midan Brotean Lycotan* XII 350[1]) *Aenean Cinyran* VI 98. X 343. 438[2]).

Ovidius adeo adamavit Graecas terminationes, ut nominibus generis feminini quae in *-a* desinunt, saepius Graecam terminationem *-an* daret: *Andromedan* IV 671. 757, *Cillan* XIII 174, *Crimisan* XV 52. ante Ovidium Lucretius quidem *homoeomerian* (I 830/34) dicere ausus est, sed ipse se egestate coactum esse patrii sermonis fatetur; post Lucretium unius in Properti elegiis uno loco haec forma accusativi exstat: II 1. 19 *Ossan.*

4. Subiungo accusativum cuius *-in* est terminatio vel *-yn.* non prius hae formae inveniuntur quam in Catulli carmine 63. 42. 88: *Attin.* omnibus fere locis Vergilianis quibus nomina eius quod tractamus generis in accusativo casu exstant,

[1]) Ex emendatione antiqua Heinsius *Lycotan* scripsit.

[2]) De his locis dubitatur, utrum *-an* legendum sit an *-am.* VI 98 cod. M *cinyram* praebet, quamquam fieri non potest, ut in hunc versum:

'*qui superest solus Cinyran habet angulus orbem*'

Cinyram recipiatur. itaque ne ceteris quidem locis codicem M nos sequi aequum est, cum poetae haec nomina in accusativo omnino non latine formaverint.

dubium est, utra terminatio recipienda sit, Graeca *-in* an Latina *-im.* excipiuntur nomina *Chromin* et *Parin* (X 705, XI 675), quae Graeco more declinata esse omnes codices testantur. discrepant codices his qui sequuntur locis: IX 762 *Phalerim* MR *-in* P, V 116 *Pristim* FR *-in* MP, VI 443 *Procrim* M *-in* PR Servius, IX 776 *Prytanim* MR *Prytanin* P, XII 513 *Tanaim* MP *-in* R, V 797 *Thybrim* FMR *-in* P, ec. II 73 *Alexim* PR, ec. II 1 *Alexim* P *-in* R, ec. V 86 *Alexim* R *-in* P, ec. VII 7, VIII 68. 72. 76. 79. 84. 90. 93. 94. 100. 102. 104 *Daphnim* MP, ec. VIII 85 *Daphnim* P *-in* M, ec. II 26 *Daphnin* P DAPHNI R, ec. V 20. 51 *Daphnim* P *-in* R, ec. V 52 *Daphnin* R *-im* P, ec. VIII 98, IX 53 *Moerim* MP, ec. IX 54 *Moerem* (*e* alt. corr. in *i*) M *-in* P, ge. 1. 517 *Tanaim* MR, ec. IV 32 *Thetim* P *-in* R Charisius (G.L. I 89), ec. VII 69 *Thyrsim -in* P -ī M. videas velim codices scripturis adeo fluctuare, ut iidem alio loco Graecam alio Latinam praebeant terminationem. mihi quidem verisimillimum videtur Vergilium omnium nominum de quibus codices ullo loco dissentiunt, accusativo terminationem *-in* dedisse, qua saepius in libris vestustioribus per compendium scripta error codices invasit, quia illa lineola pro *n* littera posita falso *m* littera facta est. neque tamen Vergilium accusativum Latino quoque ori aptum reddidisse negaverim, cum aliquoties accusativus qui in *-im* excurrit, magis idoneus videretur, qui in versu poneretur. itaque non solum *Abarim Athesim Irim Leucaspim Opim Osirim Phasim Sagarim Sybarim Tigrim* cum omnibus codicibus lego, sed etiam ubique *Thybrim*, quod nomen supra attuli in incertis, a Vergilio adhibitum esse puto, quia septem locis e quibus uno *-im* in synaloepha est, *-im* traditur, uno tantum *-in* solo in codice P. Non indigna sunt, quae memorentur nomina *Daphnis Thetis Paris Thybris*, quorum genetivo apud Graecos una syllaba accrescit. Vergilius autem non *Daphnidem Thetidem* declinavit, sed *Daphnim Thetin.* nominis quod est *Paris*, accusativum et *Parin* fecit et *Paridem* (V 370).

Dubitari non potest quin Vergilius nomina quae in *-ys* desinunt, in accusativo more Graeco terminaverit. nam licet terminatio *-im* Latinis nota ac genuina visa sit, tamen *-ym* nusquam invenerunt in declinatione neque suae neque Graecae

linguae. qua de causa codicum errores crebriores non sunt. *Capyn* (I 183) *Ityn* (IX 574) omnes codices praebent, *Halyn* (IX 765) tradit P obstantibus codicibus M et R in quibus *Halym* traditum est. *Othryn* (VII 675) legimus in R, *Othrym* in PV, *Otrum* in M. sed et *Halyn* et *Othryn* suis locis multo aptiora sunt ad cetera nomina Graeca quam *Halym* vel *Othrym*. conferantur duo illi versus in quibus inveniuntur: VII 675: '*descendunt centauri Homolen Othrynque nivalem linquentes* . . .' IX 765: '*addit Halyn comitem et confixa Phegea parma*'.

Horatius ne in saturis quidem veritus est terminationem Graecam *-in* praeferre Latinae in *Tanain* (I 1. 105) et *Eupolin* (II 3. 13). in carminibus paulo saepius hoc casu Graeco usus est: *Sibarin* I 8. 2, *Tanain* III 10. 1, IV 15. 24, *Memphin* III 26. 10, *Damalin* I 36. 17. uno loco accusativus qui *-yn* litteris terminatus est, in carminibus occurrit: *Ityn* IV 12. 5.

Tibulli elegiae *Osirim* (I 7. 27) praebent; Propertius utramque terminationem adhibuit. dixit enim *Anubin Phasin Tanain Thyrsin Daphnin Alexin Parin Ityn*, sed *Adonem*. uno nomine excepto '*Anubin*' iisdem usus est quibus Vergilius. Ovidius nova nomina induxit suos in libros: *Charybdin Burin Acin Procrin Athin Clanin Abarin Busirin Prytanin Chromin Elin Themin Irin Sybarin Parin Iphin Thetyn Erinyn Othryn Ityn*.

5. Quantum poterant, poetae cavebant, ne nominis feminini generis cui Graeca terminatio *-ω* est, accusativo uterentur. exceptum est *Gorgonis* nomen, quod in omnibus casibus Latinam declinationem tertiam sequi potuisse manifestum est. quinque locis Vergilianis et Ovidianis e tot milibus versuum accusativus talium nominum invenitur Graeco more finitus *-o* vocali, in Aeneide *Dido* (IV 383) *Allecto* (VII 324), in metamorphoseon libro I *Io* (583. 628. 629). aliis locis Vergilius pro accusativo nominis *Dido* alia nomina posuit, ut I 674 '*reginam*', IV 465 '*furentem*'. si codices recte tradunt, Ovidius in heroid. VII 133 accusativum *Didon* fecit; fortasse quia nomen Graecum non esse novit, hanc ei terminationem dare ausus est.

6. Accedimus ad ultimam terminationem accusativi *-a*, de qua infra ex nobili Varronis testimonio accuratius mihi agendum erit. usitatissima erat apud poetas, ut saepissime nobis occurrat

et ne Ennium quidem offendisse videatur. nam et Ennius et Lucilius *aethera* declinarunt (Enn. fr. 386, Lucil. fr. 599) eosque secutus Cicero Arat. 134, qui praeterea *aera* (48) et *Persea* (20) dixit. crescit numerus formarum Graecarum in libris Lucretianis, in quibus unum ex omnibus nominibus quae Graeci in accusativo per *-a* terminare solent, latine declinatum est: *Tyndaridem* I 464. cetera omnia in *-a* vocalem desinunt: *Acherunta Magneta Phaethonta aera aethera lampada prestera.*

sed omnia nomina quae apud poetas posteriores apparent, afferre placet, ut quantopere poetae Romani Graecas formas amaverint, eluceat. in Catulli carminibus inveniuntur: *Propontida Amathunta aethera Pelea Thesea Minoa*, in Vergili libris: *Gorgona Lacedaemona Ixiona Noemona Imaona Calydona Emathiona Helicona Ladona Oriona Sidona Acheronta Demophoonta Laocoonta Medonta Calchanta Erymanta Mimanta Pallanta Arcada Hectora Astyanacta Simoenta Salamina Dareta Phereta Tyndarida — Amaryllida Phyllida Pana — aegida aera aethera cratera lampada paeana thoraca — acalanthida*[1]. — *Anthea Caenea Chlorea Cissea Crethea Lyncea Mnesthea Phegea Rhoetea Salmonea Thesea Terea. Eurysthea Nerea Orphea. -ea* vocales contractae sunt in unam syllabam in *Orphea* ec. VI 30, *Typhoea* ge. 1. 279, *e* vocalis producta est in *Ilionēa* I 611, *Idomenēa* III 122.

Horatius has formas praebet: *Nestora Acheronta Plutona Agamemnona Salamina Lycorida Iapyga Orphea Promethea Pelea aegida aera aethera heroa* in carminibus, *Cyclopa Hectora Memnona Platona Helicona Protea Anacreonta* in epodis epistulis saturis.

Tibullus *Pelea* (I 5. 45) vitare non potuit; in panegyrico Messallae *Nestora Nerea aera* reperiuntur, in Lygdami quae

[1]) Sed Latinam terminationem dedit his nominibus: *Sinonem* II 79, *Tarchonem* XI 727, *Abantem* X 427, *Paridem* V 370, *Dryopem* X 346, *Meropem* IX 702, *chlamydem*. Ribbeckium non sequor, qui auctoritate Lachmanni (ad Lucret. III 382) commotus ge. 3. 338 contra codicum auctoritatem, quorum FMR ALCYONEN, P ALCYONE tradunt, *alcyonem* scripsit. Vergilium potius nomen feminae mutatae ad avem hoc loco transtulisse puto, sicut hirundini *Procnae* nomen dedit ge. 4. 15.

dicuntur elegiis *Naida.* crebrior huius formae usus est apud Propertium. Graece enim flexit: *Iliada Pallada Salmonida Briseida Minoida Colchida Phyllida Androgeona Helicona Agamemnona Amphiona Babylona Pythona Thermodonta Acronta Oromedonta Simoenta Polydamanta Atlanta Pana Hectora Castora Thesea Orphea Penthea Nirea paeana.* Propertium ac Vergilium Ovidius aliquanto superavit, cuius in libris inveniuntur: *Prothoenora Phobetora Hectora Nestora Antenora Alastora Polymetora Elpenora; Lycaona Tritona Pythona Aegaeona Helicona Caulona Chirona Amphiona Actaeona Ixiona Palaemona Polydaemona Damasicthona Calydona Laomedonta Pandiona Cromyona Pelagona Philemona Erysicthona Iasiona; Acheronta Daemoleonta Dolona Agamemnona Noemona Thoona Acmona; Persida Dorida Epimethida Tritonida Sidonida Coronida Cadmeida Phorcynida Daulida Psophida Asida Nycteida Asopida Deoida Bisaltida Macareida Titanida Pirenida Erecthida Curetida Baucida Triopeida Calydonida Mycenida Nereida Galanthida Byblida Miletida Cebrenida Aulida Phaethontida Dymantida Dodonida Leucada; Athamanta Dryanta Periphanta Polydamanta Paeona Pana Pallada Troezena Syringa Amathunta Laelapa Phaethonta Minoa Styga Ceyca Ampyca Nerea Protea Penthea Persea Cephea Phinea Hypsea Molpea Terea Aegea Pelea Thesea Oenea Caenea Orphea Morphea Ryphea Toxea Sminthea Capharea Typhoea* (*e* et *a* vocalibus in unitatem deductis) *adamanta aegida aera aethera cratera lynca oreada.*

7. Iam oritur quaestio, quomodo poetae accusativum nominum in –ως apud Graecos exeuntium terminaverint. Catullus uno in versu (66. 46) tali accusativo usus est:

'*per medium classi barbara navit Athon*',

Vergilius duobus locis:

XII 513: '*ille Talon Tanainque neci fortemque Cethegum*'
ge. 1. 332: '*aut Athon aut Rhodopen aut alta Ceraunia telo*',

Ovidius in metamorphoseon XI 554:

'*nec levius quam si quis Athon Pindumve revulsos*'.

Haec nomina a Graecis in –ω finiri solent, quamquam non desunt loci quibus –ων exstet. si Romani alteram terminationem *-on* adhibere voluerunt, *-o* vocalem produci oportebat. ut autem *-on* omnibus fere locis in positione positum est, ita apud Ver-

gilium in *Athon* corripitur. ac multi quidem viri docti magnopere operam dederunt, ut aut emendarent, quod vitium putabant esse scribarum, aut Vergilium ipsum non sine consilio ita scripsisse argumentis confirmarent. Heinsius e Theocriti versu VII 77:

'Ἢ Ἄθω ἢ Ῥοδόπαν ἢ Καύκασον ἐσχατόωντα'

Atho scribendum esse coniecit *o* vocali ante vocalem correpta. neque desunt exempla quibus probari possit Vergilium tales vocales longas corripuisse ante vocales, velut V 261:

'*victor apud rapidum Simoenta aut Ilio alto*'.

Sed et accusativum qui in *-o* exit, perraro admissum esse supra diximus et codicum testimonium nihili faceremus, si *Atho* scriberemus. accedit, quod nominis quod est *Talos* accusativum Vergilius eodem modo *Talon* flexit. denique iam Valerius Flaccus (I 164) in suo Vergili codice *Athon* scriptum invenit, cum illud Vergilianum ita citet:

'*aut Athon aut Rhodopen . . .*'

Nam hunc versum e Vergilio expressum esse patet. ac ne Forbigeri quidem sententia (in nota ad hunc versum prolata) probanda est, qui Wagnerum secutus hoc modo probare conatus est *Athon* pro *Athum* positum esse:

'*Wagner praeterea provocat ad Servii silentium, praesertim cum is Aen. XII 701 diserte doceat Athos in brevem exire syllabam concinente Prisciano* etc. . . . . *Equidem vero eo minus dubitavi codicum lectionem restituere, cum Graecam formam Athon (pro Romana Athum . . .) non solum apud pedestris orationis scriptores sed etiam apud poetas codices tueantur*'. Servium a vero longe aberrasse, cum adnotet (XII 701) '*Athon: haec est vera lectio. nam si Athos legeris, brevis est et versus non stat*' e multis aliis versibus cognosci potest, in quibus nomina quae graece in *-ως* desinunt, longam vocalem servarunt ut:

X 250: '*Tros Anchisiades . . .*'
II 371: '*Androgeos offert nobis socia agmina . . .*'
VI 432: '*quaesitor Minos urnam movet . . .*'

Vergilium igitur in *-os* terminatione brevi tantum syllaba usum esse nullo modo probari potest neque XII 701 *Athos* offendit:

'*quantus Athos aut quantus Eryx . . .*'

Accusativum in *-on* desinentem poetae praeferebant per *-o* terminato, quia similis erat accusativo Graecorum more terminato nominum quae graece in *-ος* excurrunt. sed cum terminatio *-on* producta vocali insolita esset, plerumque syllaba in positione collocata in dubio reliquerunt, utrum vocalis longa esset an brevis. Vergilius in *Athon*:

'*aut Athon aut Rhodopen aut alta Ceraunia telo*'

vocalem *o* corripuit, cum versum similem illi versui ec. VIII 44:

'*aut Tmaros aut Rhodope aut extremi Garamantes*'

faceret; namque si alio modo *Athon* versui inseruisset, similitudo pessumdata esset. ceterum eclogae versum illum ad exemplar Theocriti factum esse VII 77:

'*ἢ Ἄθω ἢ Ῥοδόπαν ἢ Καύκασον ἐσχατόωντα*'

exitu versus satis apparet.

8. Restat ut cognoscamus, quomodo poetae Romani accusativum pluralem nominum Graecorum formaverint. hunc non mutabant, si nomina tertiam declinationem Latinam sequebantur. itaque in Enni reliquiis *crateras* (fr. A. 511) nobis occurrit, in Ciceronis Arateis (XXIX) *Hyadas*, apud Lucretium *prēsteras* (VI 424), apud Catullum *Cycladas* 4. 7, *Thyadas* 64. 391. huius formae exempla inveniuntur in Vergili operibus: *Cyclopas Cycladas Lelegas Caras Arcadas Garamantas Troas Aonas crateras hyadas lebetas tapetas thoracas tripodas* — *crateras* (ec.) *dryadas* (ec.) *hyadas* (ge.) *pleiadas* (ge.) *heroas* (ec.), multa apud Horatium in carminibus: *Hyadas Cycladas Thyiadas Arabas Titanas Troas lyncas tripodas*, in saturis et epistulis *Arabas heroas*. Tibullus duobus locis accusativo plurali usus est I 4. 61/62 *Pieridas*, IV 2. 6 *lampadas*. in panegyrico Messallae *Laestrygonas* (59) in Graecam terminationem exit. neque multo plura inveniuntur in Properti elegiis: *Iliadas Titanas heroidas ephemeridas alcyonas heroas*. in Ovidi libris huius accusativi formae exstant: *Achaidas Arabas Cephisidas Caras Cecropidas Dardanidas Erymanthidas Gigantas Hyadas Inachidas Myrmidonas Minyeidas Magnetas Pirenidas Phoenicas Propoetidas Telchinas Troas Symplegadas Phaestiadas Athamanas dryadas hamadryadas lyncas naiadas*.

Accusativus pluralis nominum quae secundum primam alteramve declinationem flectuntur, latine in *-os* et in *-as* desinit.

Haec sunt quae poetae Romani eius quod circumscripsimus temporis e Graecis deprompserunt. nonnulla tamen addere opus est de incertis quibusdam nominibus.

§ 4.
De nominibus incertis.

1. Inter ea nomina quorum declinatio e poetarum libris non satis aperta est, imprimis *Bootae* nomen numerandum est, de quo iam supra (p. 26) dixi. primum nominativus *Bootes*[1]) occurrit in Ciceronis Arateis (XVI et 394) et apud eundem dativus *Booti* (XVIII). Propertius semel nominativo usus est *Bootes* (III 5. 65) in fine versus. Ovidi codices VIII 206 tuentur accusativum *Booten*, vocativum *Boote* (II 176), nominativum *Bootes* (X 447).

Dubitationi obnoxia est forma accusativi *Booten* apud Catullum 66. 67. sed primum in Ovidi versu de hac accusativi forma dubitari non potest; deinde verba Catulli '. . . *tardum dux ante Booten*' expressa mihi videntur e versu Homerico (Od. V 272): '. . . *καὶ ὀψὲ δύοντα Βοώτην*' similiter atque Ovidi fast. V 733:

'*auferet ex oculis veniens aurora Booten*'.

Booten igitur apud Catullum tuendum esse censeo.

2. Nihil certi statuere licet de toto genere nominum quae graece in *–ης* desinunt, in genetivo in *–ους*. nominativus quidem plerumque retinetur neque *-e* vocalis corripitur, velut in Vergili ec. V 89 *Antigenes*, in Ovidi XIII 56 *Palamedes*. in casibus obliquis haec nomina latine secundum tertiam declinationem et ab orationis solutae scriptoribus et a poetis heroi carminis declinata sunt. Lucretius (V 29) genetivo utitur *Diomedis*, Vergilius *Diomedis* et *Palamedis*, Horatius *Diomedis Timagenis*, dativo *Diomedi*, Propertius genetivo *Demosthenis*, Ovidius *Ganymedis Diomedis* et *Diomedĕ* ablativo. in accusativo

---

[1]) Georges in lexico s. v. Bootes erravit afferens:

„*genet. Bootae Cic. Arat. 100* (*b. Prisc. 6. 63 Booti*)
dat. Booti Cicero de nat. deor. I 110".

nam Cic. Arat. 100 idem est atque de nat. deor. II 110 (falso Georges I 110 posuit) neque omnino de genetivo cogitari potest.

Vergilius Graecam terminationem servavit, quae vel $-\eta$ vel $-\eta\nu$ esse potuit. unum exemplum certum exstat in Aeneide (X 702): *Euanthen*; de altero quaeri debet. nam in versu XI 243 codices quidem praebent:

'vidimus o cives Diomeden Argivaque castra',

sed aut *Diomede* aut *Diomedem* forma opus est, ut metri ratio stet. Ribbeckius quidem poetam versum sic reliquisse suspicatur. quod cum fieri vix potuerit, deliberandum esse puto, utram formam Vergilium posuisse verisimilius sit. Macrobius (Saturn. I 7. 19) *Diomede* vindicat Vergilio: '*Diomede, ut talium nominum accusativus Graecus est in e desinens. nam si quis eum putat latine dixisse Diomeden, sanitas metri in versu desiderabitur.*' ex eodem fonte atque Macrobius haec affert Servius: '*aut Diomedem legendum . . . aut si Graecum accusativum facere voluerimus, Diomede legamus . . . si autem Diomeden dixerimus, nec Latinum est nec Graecum nec versus ratio consistit. melius est ut Diomede legamus*'. errat Servius *Diomeden* Graecum non esse ratus. Lachmannus recte mihi iudicasse videtur, cum *Diomedem* probat (ad Lucret. I 739). nam nisi Vergilius alteram formam Graecam vitare voluisset, quia maxime aliena erat ab oratione Latina, *Euanthe* quoque dicere potuit (X 702), praesertim cum Graeci saepius $-\eta$ dixerint quam $-\eta\nu$. *-en* in aliis nominibus Vergilius adhibere non veritus est et *-en* propius distat a terminatione Latina *-em* quam *-e*. itaque poetam *Diomedem* scripsisse verisimilius mihi videtur quam *Diomede*.

3. Saepissime viri docti dubitaverunt, quanam norma poetae usi sint in nominibus *Achillis* et *Ulixis*, quorum formae tam variae exstant, ut solutae omni ratione videantur. genetivi occurrunt *Achillis Achilli Achillei Ulixis Ulixi Ulixei*, accusativi *Achillem Achillen Ulixem Ulixen*. sed singulos poetas adeamus.

Vergilius *Achillem* declinasse videtur secundum codicum testimonium his locis: I 458 FMPR, XI 438 IX 742 MR. Diomedes grammaticus qui versum XI 438 affert[1]), *Achillen* scripsit. cui testimonio fidem non esse habendam censeo, cum consensus omnium obstet codicum. genetivum his locis invenimus: *Achilli* I 30 M *-is* R; *Achilli* I 475 PMFR; *Achilli* II 275 M

---

[1]) G.L. I 313.

-ei F; *Achilli* III 87 M *-ei* F; *Achilli* VI 839 MR *-ei* P; *Achillei* ge. 3. 91 P *-is* R *-ēs* M; *Achillis* X 581 MPV — *Achilli*: „deteriorum librorum pauci quidam"; *Achillis* II 476 FMV *-es* P; *Achillis* XII 352 PR *-es* M, *is* testatur Servius ad Aen. I 30. septem locis prioribus vox quae antecedit, in *-s* litteram desinit (velut: I 30 *immitis Ach.*; I 475 *congressus Ach.*; III 87 *immitis Ach.*; VI 839 *armipotentis Ach.*), ut hac de causa in genetivo casu *Achilli s* litteram subtractam esse putes. sed X 581 *Achillis* traditum est, quamquam verbum per *-s* litteram finitum antecedit (*cernis Achillis*). e codicum F vel P lectionibus in his versibus II 275 III 87 VI 839 ge. 3. 91 concludi posse puto aut Vergilium ceteris quoque locis, ubi *Achilli* tradunt codices, *Achillei* dixisse et scribarum errore qui hoc *-ei* par esse *-i* vocali productae putabant, terminationem *-i* codices invasisse aut Vergili ipsius tempore *Achilli* iam factum esse e forma vetustiore *Achillei*. sed Vergilium *Achillei* dixisse verisimilius est, cum *Achilleus* nominativus et *Achillea* accusativus eius temporibus nondum aboliti essent. itaque vix errabimus, si hoc modo de nomine *Achillis* eiusque casibus obliquis iudicabimus: *Achilleus* antiquitus Romanis notus non Graecus habebatur sed heros *κατ' ἐξοχήν*[1]), qua de causa iam pridem illius nominis terminationes Latinae factae sunt, ut ex *Achilleus* fieret *Achilles*[2]) nomen secundum tertiam declinationem declinatum. genetivus autem in *-ei* exiens postea a poetis doctis factus est, qui *Achilleus* nominativum esse Graecum non ignorarunt. *Achillen* his in declinationibus locum non habet neque Diomedis testimonium ullius pretii esse puto.

Aliter hac de forma Forbiger Wagnerum[3]) secutus iudicavit (ad Aen. I 30). *Achilli* quidem genetivum e Graeca nominis forma *Ἀχιλλεύς*, *Achillen* accusativum e forma Dorica *Ἀχίλλης* derivat et pergit:

'*sic igitur propriam eiusmodi nominum qualia sint Achilles Ulixes terminationem genetivi esse -i, accusativi -en*'.

Hoc modo non minus quam tres essent declinationes quas

[1]) Cf. Keller, Epilegomena ad Horat. art. poet. 145.

[2]) '*Aciles*' forma invenitur in speculis Praenestinis satis antiquis. Cf. Schneider, 'Dial. Lat. exempla' 45. 46.

[3]) Quaest. Vergilian. III.

Achillis nomen sequeretur in sermone Latino: nominativus et accusativus ex illa forma Dorica derivati declinationis Graecae terminationes servarent, genetivus qui exit in *-ei*, ad nominativum per *-eus* terminatum spectaret, terminatio *-is* quae ita tradita est, ut dubitari non possit, Latinam declinationem ostenderet. quod vix credibile est. nam cum codices omnibus locis *Achillem* tradant, quamquam sescenties *-en* terminationem aliorum nominum recte praebent, fieri non potest, ut contra codices et consuetudinem quam in alio quoque casu poetas secutos esse videmus, *Achillen* legamus. Vergilius *Achilles* secundum tertiam declinationem latine flexit praeter genetivum quem et latine *-is* litteris et graece *-ei* vocalibus finivit. ut hoc quoque addam, forma Dorica Ἀχίλλης nondum confirmata est, sed Ἀχιλεύς tantum invenitur.

Rem ita se habere codices Horatiani docent, qui *Achillem*, non *Achillen* c. II 4. 4, II 16. 29, sat. I 7. 12, a. poet. 120 praebent et *Achillei*, non *Achillis* vel *Achilli*, c. I 15. 34, epod. XVII 14. neque hac via decesserunt Propertius et Ovidius. nam in Properti elegiis *Achillem* recte traditum est (III 18. 27 et II 9. 9), ubi e compendio quo scribae codicum F et N usi sunt, nonnulli *Achillen* pro *Achillem* iniuria sumpserunt. II 9. 13 et IV 11. 39 genetivum fecit *Achilli* melius *Achillei* legendum. in Ovidi metamorphoseon libris *Achillis* nomen Latinam declinationem in omnibus casibus sequitur.

Minus perspicuum est, quomodo poetae in nomine *Ulixis* se habuerint, quod plerumque secundum tertiam declinationem flexum est. sed Vergilius dixit in genetivo *Ulixi*: II 7. 90. 436 (VLIXEI P), III 613 (VLIXiEI P), III 691 (VLIXEI (E man. 2 add.) P), III 273.

Omnibus locis uno excepto (III 273 *execramur Ulixi*) vocabulum antecedit per *s* consonantem clausum (II 7 *miles Ul.*, II 90 *pellacis Ul.*, II 436 *tardus Ul.*, III 613 *infelicis Ul.*). si Graecam formam nominis Οὐλυξεύς novissemus, hic genetivus eodem modo ortus esset quo *Achillei* vel *Achilli* ab *Achilleus* deductum esse vidimus. sed tale nomen non exstat, simile tamen apud Eustathium [1]) et persaepe in vasculis invenitur

[1]) Ad Iliad. β 569.

Ὀλυσσεύς, qua ex forma nominis fortasse *Ulixeus* fluxerat antiquis temporibus[1]), cuius nominativi genetivum servatum in poetarum aevi Augustei carminibus invenimus. Horatius *Ulixei* (c. I 6. 7, epod. XVI 60, XVIII 16) et *Ulixi* (ep. I 6. 13, I 7. 40) dixit, *Ulixem* sat. II 3. 197, sat. II 3. 204 plerique codicum tradunt. itaque ep. I 2. 18 *Ulixem* pro *Ulixen* esse legendum arbitror. cum apud Propertium codices fere omnes — excepto N II 9. 7 — *Ulixem* praebeant, altero quoque loco III 22. 17 *Ulixem* legerim. genetivum Propertius latine *Ulixis* flexit II 6. 23.

Codices Ovidiani, quorum quidem notitiam habuit Kornius, duobus locis *Ulixem* praebent, duobus *Ulixen*, quarum lectionum utra tenenda sit, vix dubium esse potest. cum enim Ovidius tribus locis (III 304. 712, XIV 180) *Ulixis* genetivo usus sit — quarto loco XIV 159 *Ulixei* praebet cod. Hauniensis (h), cod. M correxit *ulixis* ex *ulixe* ita, ut fortasse *Ulixei* legendum sit — iure *Ulixem* legimus, quae forma optime cum genetivo *Ulixis* convenit.

4. Tertia denique forma declinationis nominum Graecorum, quae a Charisio tradita est, dubitari non potest quin a Vergilio adhibita sit. nominibus quorum nominativus apud Graecos in *-ης* syllabam desinit, genetivus in *-ου*, a Vergilio duobus locis ad Graecorum exemplum in genetivo terminatio *-i* data est. in ceteris casibus obliquis secundum primam declinationem flexa sunt. Vergilius igitur iuxta *Achatae* genetivum (X 344) *Achati* dixit (I 120) teste Charisio, qui Plini verba profert. nam Charisium vel potius Plinium sequi nos oportere contra omnium codicum auctoritatem ex ipsius verbis elucet[2]): '*Herculi pro Herculis et Ulixi pro huius Ulixis dici coeptum est, inquit Plinius eodem libro VI, quoniam regula inquit illa, si genetivo singulari ους litteris nomina finiantur Graeca velut τοῦ Εὐμένους τοῦ Διογένους, nostros quoque huius Eumenis huius Diogenis oportet praeferre; at si τοῦ Εὐριπίδου τοῦ Χρύσου, tunc demum nostros s subtrahere debere itaque huius Euripidi Chrysi debere censeri ut* '*fortis*

[1]) Cf. Mommsen, 'Die unteritalischen Dialecte' p. 13; Jordan, 'Kritische Beiträge zur Geschichte der lateinischen Sprache' p. 38 sq.

[2]) G.L. I 132 K.

Achati' et *'acris Oronti'. sed nostra, inquit, aetas in totum istam declinationem abolevit. Achillis enim potius et Herculis et his paria per s dicimus'. Oronti* autem genetivus exstat in Aeneide I 220, *Oronten* accusativum iam supra attuli. *Achati* re vera a Vergilio scriptum esse Plini testimonio certum fit, sed utrum is hac de forma recte disputaverit necne, in dubium vocari potest. nam Romanorum poetas, quia terminationem genetivi Graecam *-ου* nominum quae in *-ος* desinunt, in *-i* mutare solebant, illis quoque in nominibus quorum nominativus *-ης* litteris finiebatur, genetivus *-ου*, genetivum pari modo per *-i* vocalem terminasse crediderim.

Iam vero omnibus nominibus Graecis quae in poetarum Romanorum, quorum quidem rationem tractare nobis propositum erat, operibus exstant, allatis ad quaestionem pergamus, quibusnam causis poetae ut persaepe Graecis uterentur terminationibus, commoti sint.

Caput II.

Quibus causis poetae Romani ut terminationes Graecas servarent, commoti sint.

§ 5.

In Graeca lingua nonnulla nomina reperiuntur, quae ori adaptari Latino nullo modo possint. omnes igitur Romanos ne his nominibus uterentur, cavisse mirum non erat. et re vera nomina eius quod dixi generis in poetarum libris perraro inveniuntur. hi autem, nisi de re significanda vel nominanda desperare volebant, Graecis nominibus uti subinde cogebantur, quibus terminationes Latinas dare nequibant. haec nomina quae iam pridem Graecam retinuerunt terminationem, poesin Latinam invaserunt et necessitate quadam graecissare coacti poetae postea quoque terminationes servare Graecas minus veriti sunt. qua in re hoc quoque velim deliberes poetas Graecam calluisse linguam neque *-ως* — ut exemplum proferam — latine reformare voluisse in *-us*, ut fecerunt qui pedestri ser-

mone scripserunt[1]. illud *-ως* ab Ennio usque ad Ovidium nunquam mutatum est, ubique '*heros*' dixerunt, quia deerat terminatio Latina quae huic *-ως* par esset, neque reperiebatur nomen Latinum quod idem significaret atque Graecum. itaque ne *Athos* quidem et *Tros* et *Androgeos* et alia nomina eius generis unquam mutata sunt. neque minus difficultatis casus obliqui praebebant nominum quae in *-ως* desinunt et quorum genetivus non una syllaba crescit. cetera enim nomina velut *Minos* tertiam declinationem sequi potuerunt, pro *Athon* vero accusativo Latinae declinationis forma non exstabat. eandem ob causam Vergilius genetivum fecit *Androgeo*, quamquam altero loco volgarem rationem secutus *Androgei* dixit.

Neque aptior erat ut in Latinam declinationem reciperetur, nominativus vel accusativus nominum *-ys* litteris finitorum. *Rhadamanthus* certe neque a Vergilio neque ab alio poeta eius temporis tali modo e Graeco *Rhadamanthys* nomine reformatum est, sed nihil aliud est nisi forma satis antiqua atque usitata. huius nominis veram originem formamque prorsus obsolevisse *Rhadamanthon* Ovidianum illud docet (IX 446), quasi *'Ραδάμανθος* Graeci dixerint.

Nomina neutrius generis, quorum stirpes apud Graecos in *-εσ-* desinunt, nullam formam declinationis Latinae invenerunt, cui adaequarentur. ne Ennius quidem ausus est pro *melos* (fr. A. 299) *melus* dicere, quamquam omnibus nominibus Graecis Latinas dare terminationes studebat. unum his e nominibus excipiendum est: *pelagus,* quod terminationem sibi ascivit Latinam fortasse iis iam temporibus, quibus terminatio Latina *-os* magis magisque obsolevit et *-us* facta est. genus tamen non mutavit. in plurali autem numero omnia haec nomina Graecam servarunt terminationem *-e*, pro qua *-a* ponere nemo poetarum ausus est. Neque magis erat modus quo poetae nomina feminini generis quorum nominativum Graeci *-ω* vocali finiverunt, in Latinum sermonem reciperent. itaque et nominativum et accusativum, quia par erat nominativo, Graecorum modo finxerunt, ceteros autem casus obliquos, quantum fieri potuit, evitabant. At quo loco genetivo opus erat, Graecam formam insolitam ferre

[1]) Cf. Charisius G. L. I 92.

maluerunt quam nomen falsa terminatione corrumpere. eadem de causa Graecam terminationem *-ους* mutare non potuerunt, neque, quamquam pro dipthongo unam vocalem posuerunt, de Graeca horum nominum origine eos dubitasse apparet, cum *u* vocalem terminationis producerent. tali modo fieri potuit, ut Vergilius *Panthus* nomine pro spondeo ante vocalem uteretur, *Amathus* pro anapaesto, quod exemplum imitatus Ovidius *Agriodus* choriambi modo ante vocalem posuit.

His igitur in nominibus poetae terminationes Graecas non reformaverunt.

§ 6.

1. Y vocalis Graeca poetis vetustiorum temporum par esse vocali *u* videbatur, ut Cicero (or. 48. 160) docet Ennium putasse, qui *Burrum* semper scripsit, nunquam *Pyrrhum*. etiamsi posteriores *y* vocali in scribendo usi sunt, tamen dubitari non potest, quin hoc *y* in *u* vocalis Latinae modum enuntiatum sit. unde intellegitur, cur Claudius inter tres illas litteras novas unam creaverit ├ quae sonum redderet Graecae vocalis *υ*, quia neque *i* neque *u* erat. quo apparet, cur Romani vetustiores ex illo nomine *Rhadamanthys* fecerint *Rhadamanthus*, quam nominis formam in Vergili et Ovidi operibus invenimus, cur Catullus *guminasium* pro voce *gymnasio* ponere potuerit. itaque hoc quoque facile intellegitur, quam ob rem Lucretius poeta qui summa utebatur linguae castitate, *Tityos Tityon* dicere maluerit quam *Tityus* et *Tityum*. *-yu* vocales ei sonabant fere ut *-uu*, quarum vocalium collisionem veteres reformidarunt. hoc uno in nomine poetae sono commovebantur, ut Graeca terminatione servata omnes *Tityos* vel *Tityon* dicerent[1]).

2. Aliquoties haec vel illa graece dicta esse poetae ipsi fatentur. quibus in elocutionibus ne vetustiores quidem terminationes Graecas servare dubitarunt, velut Cicero duobus locis in Arateis dicit:

XII: '*Engonasin vocitant, genibus quia nixa feratur*'.

XXIX: '*Has Graeci stellas Hyadas vocitare suerunt*'.

---

1) *Tityos*: Lucret. III 992, Horat. c. III 11. 21, IV 6. 2. Tibull. I 3. 75, Ovid. met. IV 457.
Tityon: Lucret. III 984, Vergil. VI 595, Horat. c. III 14. 8.

Saepius occurrunt talia nomina Graecis terminationibus servatis, cum poeta diserte fateatur non se ipsum ita loqui, sed Graecos hanc vel illam rem hoc nomine significare, in Lucreti libris. I 830 is ὁμοιομερίαν Graecorum in Latinam transferre linguam cogitur, sed quamquam accusativo *homoeomeriam* usurpare licuit, Graecam servare formam non dubitat addens:

'quam Grai memorant nec nostra dicere lingua
concedit nobis patrii sermonis egestas'.

eadem causa commotus Graeco accusativo dicere ausus est *presteras* VI 424:

. . . *'Grai quos ab re nominitarunt'*

et *Magneta* VI 908:

'quem Magneta vocant patrio de nomine Grai'.

ipse *Magnetem* dixisset, Grai *Magneta* dicunt. quarto denique loco non solum affert Graecum nomen, sed vertit etiam in Latinum:

VI 701: *'in summo sunt vertice enim crateres ut ipsi*
nominitant; nos quod fauces perhibemus et ora'.

Sed haec consuetudo cum his poetis evanuit, cum posteri opus esse non putarent, si Graeca nomina non reformata Latinis in versibus ponerent, has terminationes a Romanis valde alienas excusari.

3. Tertio loco genus quoddam nominum contemplemur, in quo inde a Catullo omnes poetae Graecas terminationes admisisse videntur et ei qui Graecorum morem raro secuti sunt, et illi qui Graecae declinationis formis receptis versus heroos multo melius procedere cognoverant. omnium fere nominum secundam declinationem Latinam sequentium quibus loca Graeciae nuncupantur — imprimis insulae Cycladum —, in nominativo et accusativo Graecis terminationibus poetae usi sunt, sive quod ne in volgari quidem sermone haec nomina mutata sunt sive quod omnes Romani litteris imbuti haec loca Graeca Graeco quoque nomine appellabant, ut nostra quoque consuetudo fert. quam sententiam ut argumentis confirmem, exempla afferam quae supra collegi. in Catulli carminibus nominum geographicorum eius quod dixi generis duo tantum inveniuntur: *Scyros* et *Penios*; utrumque

Graecam in terminationem exit. cetera nomina *Oceanus* 64. 30, *Iacchus* 64. 251, *Zephyrus* 64. 270, *Hesperus* 64. 321, *Nilus* 11. 8, *Priapus* 47. 4 *-us* terminationem usurpaverunt. Apud Vergilium *Epeos Tyros Zacynthos Neritos Tmaros Epiros Lesbos Delos* omnium codicum testimonio confirmantur, neque *Aegyptos Tenedos* formas repudiare possumus plurium codicum auctoritate Vergilio attributas. Latine reformavit omnia nomina quae supra attuli, quorum nullum ad loca eius quod dixi generis spectat. desunt ibi nonnulla nomina, quorum de terminatione hoc loco melius disceptari arbitror. *-us* terminatio his in nominibus hisque locis maiorem habet auctoritatem: *Cyllarus* ge. 3. 90 MPR *-os* Prob. exempl. — *Hesperus* ec. VIII 30 MV *-os* P (ec. X 77 *-us* MPR) — *Cocytus* VI 132 PR *-os* M — *Tmolus* ge. 1. 56 AMR *-os* P — *Pactolus* X 142 MP *-os* R — *Paphus* X 51 MP *-os* R, X 86 *-us* MP *-ys* R — *Spercheus* ge. 2. 487 PR -$\overset{u}{ø}$s M — *Larissaeus* XI 404 M *-aevus* R *aevøs* P — *Tyrius* I 574 RP -$\overset{u}{o}$s M (*u* col. rub.) — *Tartarus* VI 577 MPR *-os* Probi codd. mihi quidem persuasum est Vergilium *Paphos* dixisse non *Paphus*, item *Pactòlos Tmolos*. de ceteris nominibus dubito, utra terminatione affecta sint, Graeca an Latina. Latinam dedisse Vergilium puto *Cyllaro Tartaro Larissaeo Tyrio Hespero*, *Cocytos* autem et *Spercheos* aptiores mihi videntur ad usum Vergilianum quam *Cocytus Spercheus*. neve quis *o* et *u* vocales a scribis confusas esse more posterorum Romanorum dicat. Schuchardtius hanc confusionem perraro codices Vergilianos invasisse optime docuit [1]. sed cum codices nullis fere locis dissentiant nisi quibus loca nominantur, iure concludere possumus his locis Vergilium ipsum Graecas adhibuisse terminationes.

Horatius nostram sententiam adiuvat, qui dicat *Ilios Iolcos Chios Lesbos Samos*. e ceteris nominibus *Lebedus* et *Pactolus* quamquam nomina sunt geographica, tamen mutata sunt. sed nomina Cycladum imprimis non mutari supra dixi, *Lebedus* autem et *Pactolus* nomina sunt oppidi et fluminis Asiae.

Nomina illa geographica Graecorum declinationem secuta

---

[1]) Vokalismus des Vulgärlatein tom. II p. 168.

esse ideo maxime mihi persuasum est, quod etiam Tibullus, qui perraro Graecas terminationes adhibuit, eadem via his in nominibus recipiendis ingressus est, qua Catullus Vergilius Horatius. nam *Tyros* et *Delos* non mutavit, cetera omnia nomina quae in *-us* exeunt, ad loca non spectant. mirum igitur non est, quod etiam Propertius *Tyros Oricos Isthmos Pelion Ilion* dixit, reliqua autem nomina in Latinam declinationem traduxit; neque magis mirum, quod nominum quae in Ovidi libris Graecis terminationibus praedita sunt, pleraque loca vel regiones vel flumina Graeciae significant, ea quae per *-us* litteras finiuntur, omnia fere personarum sunt.

Simili modo accusativum horum nominum poetae Graecum retinuerunt, quamquam *-on* terminatio plus dubitationis eis iniecit quam *-os*. Catullus quidem hac terminatione uti veritus est[1]; in Vergili Aeneide e codicum lectionibus concludere possumus *-on* a poeta positum esse pro *-um* illis locis quos in tertia paragrapho collectos protuli. apparet igitur et causam fuisse, qua commoti librarii modo *-um* modo *-on* scripserint, et accusativos per *-on* terminatos optime cum nominativis Graecorum more factis concinere. nam mirum sane esset scribas nullo loco in errorem inductos esse, ubi nomina Graeca quae alteram declinationem secuta sunt, eis occurrerent exceptis his nominibus geographicis, nisi revera haec a Vergilio exempta essent e declinatione Latina.

Horatium Graecam terminationem servasse in nominibus geographicis iam diximus. Latinas terminationes dedit his nominibus: *Antiochum Aeacum Antilochum Cyrum Caucasum Hippolytum Lycum Nearchum Olympum Orcum* et multis aliis, e quibus ne unum quidem insulae nomen est.

Tibullus *Ilion* in accusativo dixit, non *Ilium*, sed *Marathum*, quae urbs Graeca non est. neque Propertius hac via qua ceteri poetae ingressi sunt, decessit, cum *Naxon* et *Delon* dixerit, sed *Deiphobum Helenum Phoebum Nilum Pirithoum Oceanum Zethum Lycurgum Croesum Colchum Hippolytum Parthum.*

Neque tamen poetas solis his in nominibus flectendis Graecis

[1]) Exceptum est nomen '*palimpseston*', de quo infra nonnulla verba faciemus.

terminationibus nominativi et accusativi usos esse dico, sed aliis quoque nominibus eas dare non veriti sunt, ut *Tityos* et *Tityon* ubique ab eis dictum esse vidimus et ab Horatio *Troilon*, a Propertio *Patroclon Horon* positum invenimus. maxime tamen in nominibus geographicis Graecas terminationes servatas esse apparet. sic in Ovidi quoque libris plerique accusativi Graecorum more facti nominum sunt quae ad loca spectant, quin etiam aeque atque apud reliquos poetas omnia nomina Cycladum Graecam declinationem sequuntur, etsi aliorum quoque nominum accusativi Graeci occurrunt. quae cum ita sint, recte concludere mihi videor nomina geographica — omnia quidem Cycladum, ceterorum Graecorum locorum pleraque — ubique Graecas servasse terminationes, alia secundae declinationis nomina aliis ex causis graece flexa esse, velut *Tityos* et *Tityon* a poetis sic declinata sunt, ut malus sonus vitaretur, *Patroclon* et *Horon* a Propertio dicta sunt, ut elisionem vitaret.

Pari modo Ovidium accusativos Graecos nominum geographicorum metri ratione non habita posuisse et ante vocales et ante consonantes videmus — ut exempla addam: *Tenedon* XII 109, XIII 174, *Haemon* VI 87, *Lesbon* II 591, XIII 173, *Cephison* VII 388, *Delon* III 597, IX 332, XV 541, *Orchomenon* V 607 — aliorum autem nominum accusativum qui in *-on* desinit, ubique ante vocales collocasse ad synaloephen vitandam his locis quorum numeri in adnotatione positi sunt: *Sisyphon Pegason Cerberon Clyton Daedalon Meleagron Aeacon Aesacon Orion Hippason Phlegraeon Tectaphon Telephon Coeranon Ennomon Polyphemon Aeolon Hyacinthon*[1]. itaque cum Riesio non facio qui in metamorphoseon VIII 360 scripsit:

'*fertur et Hippalmon Pelagonaque dextra tuentes*'

neque cum Merkelio, qui pro *Hippalmon Eupalamon* posuit, cum hic esset unicus locus quo Ovidius *-on* terminationem nominis proprii quod personae est, ante consonantem posuisset. codices corruptos esse patet, cum praebeant *hypalemon* M, *ypalemon* ε,

[1]) IV 466, XIII 26, IV 786, VII 413. 500, VIII 261. 270, IX 435. 440, XIII 27, XI 762, XII 1. 262. 352. 378, XII 433, XIII 171. 257. 260. 772, XIV 167. 222. 223, X 217.

ippalamon λ. sed neque *Hippalmos* neque *Pelagon* inter iuvenes invenimus, quorum nomina ipse Ovidius antea (v. 299 sqq.) enumeravit.

Poetae igitur Romani habebant, cur Graecorum vestigiis insisterent iam eo tempore quo Graecos nimis imitari noluerunt. Lucreti quidem et Catulli carmina Graecis formis non abundare vidimus, quamquam certis causis de quibus disputavimus, terminationes Graecas admiserunt. sed inde a Catulli aetate poetae, quia fabulis Graecis tractandis summam curam impendebant, magis magisque nomina quoque Graeca recipere cogebantur, quae latine reformata metrum offendissent. quae nomina nunc contemplemur.

§ 7.

1. In lingua Latina eandem fere copiam esse syllabarum brevium et longarum satis constat. itaque versus trochaicos vel iambicos facili opera facere potuerunt poetae Romani. ad versus autem heroos pluribus brevibus syllabis opus erat quam longis, ut poetae saepius nescirent, quid remedii adhiberent. accedit, quod multae syllabae breves per elisionem evanescebant, multae per positionem longae fiebant. quibus de difficultatibus Koenius in libro supra allato bene disseruit (pag. 4 sqq. pag. 27 sqq.).

Iam Ennius talia nomina in epos Latinum inferre studuit, quae apta viderentur ad versum heroum. neque tamen omnia quae ab hoc poeta clarissimo ad versus dactylicos apta erant reddita, posteris placuerunt, sed nova ratio versus heroi pangendi inita est. elisionem igitur ultimae syllabae vocum in iambum exeuntium poetae quantum poterant evitarunt neque nomina dactylica finali syllaba saepius privare ausi sunt. cum autem Graeca nomina eis adhibenda essent illorum heroum vel deorum quorum fabulas narrabant, magnae difficultates eis ortae sunt. quae quales fuerint quaeque earum a poetis reperta sint remedia, paucis enarrabo.

Ac primum quidem apud Graecos non desunt nomina quae Latinas per terminationes finita in versu heroo idcirco collocari non possint, quia vel cretici sunt vel in creticum exeunt. quibus nominibus poetae Romani uti non raro cogebantur, cum

ea vocibus Latinis adaequare nequirent; velut Catullus (64. 391) cum nomen *Thyadum* vitare omnino non potuerit, dixit:

'*Thyadas effusis euantis crinibus egit*',

nam accusativo Latino '*Thyadēs*' metrum obstitit. sed iam ante Catullum (64. 15) Cicero *Nereidĕs* Graeca terminatione dicere coactus est metro (Arat. 446), cum loco Nereidum nihil ei obveniret. neque magis fieri potuit, ut Vergilius more Latino *e* vocalem terminationis pluralis nominativi *-es* produceret in *Arcadĕs Amazonĕs Troadĕs Atlantidĕs Mareotidĕs Libethridĕs Proetidĕs orchadĕs naidĕs.* metri ratione Ovidius commotus est, ut Graecam terminationem servaret in *Arcadĕs Troadĕs Minyeidĕs Spercheidĕs Maenadĕs Stymphalidĕs Pactolidĕs Nyseidĕs Lelegeidĕs Ismenidĕs Acheloidĕs Calydonidĕs.* quae cum ita se habeant, mirum videri non potest, quod poetae Graecam originem recordati horum nominum Graecas terminationes putabant ubique poni oportere eorum quoque quae Latina terminatione non modo metrum non offendebant sed sola etiam hac terminatione pluralis nominativi adhiberi poterant ante vocales. neque enim usquam vocales terminationis *-es* Graecis in nominibus producere ausi sunt nisi ubi id per positionem fieri potuit. conferantur nomina quae Vergilius in positione collocavit: *Pierides Sicelides dryades amadryades.* eorum igitur nominum exemplo quae metri causa in Graecam terminationem exire oportebat, factum est, ut poetae omnibus nominibus Graecas terminationes pluralis nominativi et accusativi darent et ubicunque hae cum metro heroico pugnabant, ultimam syllabam positione longam redderent.

2. Multo frequentiora sunt ea nomina quae in Latinum sermonem translata certis tantum condicionibus in heroum versum recipi potuerint. poeta enim Romanus cum vocales finales omnes abicere ante vocalem cogeretur, nomina generis feminini quae in Graeca lingua desinunt in $-\eta$, mutare non ausus est. nam haec nomina si ori adaptata erant Latino, saepissime in tres syllabas breves exibant neque adhiberi poterant nisi in synaloephe posita. haec erat causa cur Lucilius *Tisiphone* (fr. 134) dicere mallet quam *Tisiphona*, cur Cicero *Helice Alcyone Merope Taygete Asterope* Graecos imitatus non mutaverit. hanc necessitatem sermonis Latini atque metri

heroici cum neque Lucretius (cf. *Calliope*) neque Catullus (cf. *Cybele*) neque quisquam ceterorum effugere posset, omnes Graeca servarunt. nonnulla tantum nomina apud Vergilium et poetas qui eum aetate secuti sunt exstantia afferantur, quo apertius fiat, quantum numerum formarum Graecarum tutum a mutatione a poetis recipi oportuerit. Vergilius igitur reformare non potuit *Andromache Beroe Calliope Calybe Cymodoce Cymothoe Danae Deiphobe Dryope Harpalyce Hecate Inarime Melite Tisiphone Pasiphae Pholoe Ephyre Eurydice Hippodame Rhodope* alia. in iis nominibus quorum Graeca terminatio propter illas quas nominavi causas necessaria non erat, partim Latinam declinationem adhibuit, ut in *Europa Aetna Creta Prochyta*, partim analogia adductus est, ut haec quoque nomina Graecorum more *e* vocali finiret velut *Aegle Aganippe Cyrene Procne Circe.*

Vergilium cum omnes poetae imitarentur, permultae illae formae Graecae sunt ortae quae in Tibulli elegiis, in Properti libris — quadraginta quattuor locis — in Ovidi metamorphoseon versibus — centum viginti quattuor locis — nobis occurrunt.

3. Sed praeter elisionem aliam legem linguae Latinae poetae moleste ferebant. syllabam brevem per duas consonantes quae sequebantur longam fieri oportebat, qua lege cum multa nomia Graeca in Latinum sermonem translata rarius adhiberi possent, poetae Graecas formas ad versum heroum aptissimas retinere maluerunt. insigne huius rei exemplum nomina per *-eus* syllabam terminata praebent, in quibus syllabae *-eus* plerumque vocalis longa anteit, ut in *Perseus Cepheus Peleus Theseus Aegeus Prometheus Mnestheus Nereus Phegeus Proteus.* quae nomina si poetae latine pronuntiare voluissent, syllabam quae a vocali incipiebat, sequi opus erat, cum *Perseus* nomen ut tribus syllabis pronuntiaretur, fieri non posset nisi vocali sequente. sin *-us* terminatio Latina positione longa reddebatur, omnia haec nomina terminatione *δισυλλάβως* pronuntiata adhiberi nequibant. magnam difficultatem hac re poetis allatam esse apparet, quam facillime effugere potuerunt, si Graeca pronuntiatione in Graecis nominibus uti voluerunt.

Aliis in nominibus istius generis duae syllabae breves ante terminationem positae sunt, velut in his: *Briareus Idomeneus*

Capaneus Macareus Ilioneus Menaleus, ut de Latina pronuntiatione ne cogitari quidem possit. terminationi unam syllabam brevem antecedere nullo in nomine videmus. nisi igitur poetae his nominibus abstinere volebant, Graecam terminationem servare ipso metro coacti sunt. itaque quod omnibus locis *-eus* unam esse syllabam supra vidimus, hoc non casu factum esse neque poetarum arbitrio sed metri necessitate satis esse probatum videtur.

Hoc loco quaedam addere placet de obliquis casibus nominum quorum terminatio *-eus* est. in prosa oratione ista nomina in accusativo in *-eum* exibant, cum scriptores optimi '*Graece loqui in Latino sermone*'[1]) nollent: accusativus autem Graecus erat, quo aures offenderentur[2]). tamen poetas ne uno quidem loco latine locutos esse his in nominibus certum habeo. cuius rei haec esse causa videtur.

Illorum nominum quorum terminationi Graecae duae syllabae breves antecedunt, accusativus more Latino per *-eum* syllabas terminatus in heroum versum recipi omnino non potuit, quod tribrachys hoc in versu tolerari nequibat. quamquam terminatio Graeca volgaris quae *-ea* est, poetas non adiuvit, tamen remedium invenerunt, de quo paulo infra disseram. ceterorum nominum accusativum ad Romanorum modum factum poetae admittere non potuerunt, nisi ubi syllaba sequebatur quae a brevi vocali incipiebat, id quod perraro fit. nam ubicunque litteras finales *-um* consonans quaedam excipiebat, nomina illa in creticum exibant, cui locus heroo in versu non est. itaque omnes poetae, etiam illi qui terminationibus Graecis, quantum poterant, abstinebant, hac in re tantum sibi indulserunt, ut n u l l o loco excepto hoc in casu faciendo Graecos imitarentur.

Eadem necessitate metri et *-i* vocalem genetivi cum vocali quae antecedit *e* contrahere in unam syllabam et Graecam formam dativi non repudiare coacti sunt. eo minus credibile est poetas ullo loco declinationem vel pronuntiationem Latinam horum nominum postulasse, ut Birtius contendit, cum tanto in

[1]) Cic. Tuscul. I 15.

[2]) Cic. ad Att. VII 3 '*venio ad Piraeea, in quo magis reprehendendus sum, quod homo Romanus Piraeea scripserim non Piraeum — sic enim omnes nostri locuti sunt* — . . .'.

numero formarum Graecas terminationes quin servarent facere non possent. ut hoc quoque addam, poetas per pronuntiationem nomina qualia sunt *Peneus Celeus* quae *Πηνειός Κελεός* sunt, et adiectiva ut *Orphēus* non seiunxisse ab istis nominibus verisimile non videtur. tantum potius aberat, ut terminationes Latinas ullo loco anteferrent Graecis, ut in nominibus *Ilionēa Idomenēa* *e* vocali praeter consuetudinem producta uti possent Graeca terminatione. Horatio quidem *-ei* terminationem duabus syllabis pronuntiare in carminibus licebat, cum voces creticae optime ad plurima metri genera quibus in carminum libris usus est, apta essent.

Difficultatis quam syllabae positione longae poetis afferebant certa exempla aliis nominibus praebentur, quorum accusativum Graeci *a* vocali finire solent: vox *Propontis* metro satisfacere non potuit in accusativo nisi in synaloephe posita brevi syllaba sequente. sed cum synaloephen quoque poetae vitarent, multo rarius nomina illius generis in versibus herois adhibere poterant. tamen persaepe eis talia nomina in fabulis Graecis occurrebant, velut *Lacedaemona Ixiona Noemona Imaona Arcada Hectora Nestora Antenora* alia multa. itaque non mirum est, quod poetae in singulis nominibus non examinabant, utrum Latina terminatio aliquid incommodi haberet necne, sed ubique Graecas terminationes servabant, quin etiam terminationem Graecam *-a* per synaloephen evanescere patiebantur, ut Vergilius in *Pallanta* VIII 515, X 504, *Acheronta* VII 91, *Phyllida* ec. III 78, ec. VII 14.

4. Nomina quae graece in *-ας* desinunt et primam declinationem Latinam sequuntur, a vetustioribus ita in sermonem Latinum traducta sunt, ut *Tiresia* e *Τειρεσίας* fieret, quamquam *a* vocalem contra rationem produci oportebat (Lucil. 171). Lucretius, quod sciam, primus *Anaxagoras* dixit Graecorum modo (I 876), quod nomen Latina terminatione minime aptum erat ad versum heroum, quia tres in syllabas breves excurrisset. itaque nisi in synaloepha posita in versu collocari non potuit. Horatius quidem in sermonibus *Marsya* nomine latine reformato uti coactus est, cum *Marsyas* forma creticum efficeret. Vergilius primus *-as* terminationem Graecam permultis locis retinuit, ne *Aeneas* nomen per synaloephen

deformaretur, si *Aenea* vocaretur. sed fortasse alia est causa, cur ubique *Aeneas* dicere voluerit, de qua infra nonnulla adiciam.

Cum autem centum quinquaginta locis *Aeneas* posuerit, ceterorum quoque nominum terminationem Graecam servavit, quorum duo tantum Latino ori adaptata metro non satisfecissent nisi in synaloepha collocata: *Bitias Boreas.* exempla desunt in Tibulli elegiis. Properti et Ovidi consuetudo eadem est ac Vergili, nisi quod Ovidio *Marsya* (VI 400) dicendum erat. verisimile est Vergili exemplum omnes poetas qui ei successerunt, secutos esse.

5. Similiter res se habet in nominibus quorum nominativus graece in *-ης* terminatur, genetivus in *-ου*. Ennium *Anchisa* et *Aeacida* dixisse supra probare studuimus. desunt exempla usque ad Ciceronem, cuius in Arateis *Bootes* duobus locis traditur [1]. Cicero autem hoc in nomine metri necessitate non coactus est Graecam servare terminationem. Catullus *Amphitryoniades* (68. 112) dixit, cum *Amphitryoniada* nisi in synaloepha positum in versum recipere non posset. eadem de causa Horatius et Vergilius nomina velut *Achaemenides Aeolides Anchisiades Epytides Eurytides Haemonides Hyrtacides Iasides Imbrasides Othryades Priamides Steropes* non mutaverunt neque cetera quorum terminatio Latina metrum non offendisset, alio modo declinare voluerunt. Propertius quamquam plerumque Vergili consuetudinem ac rationem amplexus est, tamen semel Latinam formam *Atrida* (II 14. 1) adhibuit, metri causa opinor, cum *Atrides* duobus aliis locis dicere non dubitaverit. Ovidius in metamorphoseon libris ubique declinationem Graecorum secutus est.

Eadem de accusativo dicenda sunt. multorum nominum accusativus latine factus nisi in positione collocatus heroo versui inseri nequibat. itaque poetae ubique has terminationes Graecas anteponebant Latinis idque eo magis, quo pluribus formis Graecis gravioribus de causis usi sunt. cum his formis Graecis accusativi quoque nominum generis feminini quae exeunt in *-en* adaequari possunt. nam consideres velim nomina velut haec: *Andromachen Hermionen Pasiphaen Homolen Hippolyten.*

---

[1]) Vide supra p. 36.

Metri necessitate factum esse, ut plurima Graeca sermonem poetarum invaserint, non nego; omnia autem hac de causa poetis recipienda fuisse noli credere. sed de Koenii sententia — ille enim omnes formas Graecas apud poetas e metri necessitate fluxisse contendit — infra plura dicenda erunt. neque enim adhuc omnes causas quibus poetae ut nomina Graeca minime mutarent, commoverentur, cognovimus.

§ 8.

1. In Horati operibus diversa ratio nobis occurrit, altera in sermonibus, altera in carminibus. in sermonibus enim videtur quasi abhorruisse a formis Graecis neque iis usus est, nisi ubi aliter metro satisfacere non potuit. itaque *Circae* dixit in genetivo et *Penelopae* (ep. I 2. 23. 28), *Penelopam* (s. II 5. 76) et *Helenam* (s. I 3. 107) in accusativo. rationem multo magis Graecam iniit in carminibus, in quibus *-eus* ubique *μονοσυλλάβως* eum pronuntiasse iam supra demonstravimus, quamquam optime duabus syllabis uti potuit. formae Graecae *Helenen* (I 15. 2) et *Penelopen* (I 17. 20) metro minime postulabantur neque magis genetivus *Semeles* (I 19. 2). cur igitur Horatius has diversas iniit vias? carmina pepigit Graecos imitatus ita, ut Graecorum lyricorum versus ad Italos deduceret modos, sermones ipse ut homo Romanus fecit neque eorum origo apud Graecos quaerenda est.

Quae cum ita sint, vix aberrabimus a vero, si alios quoque poetas eius temporis poetarum Graecorum quos imitati sunt, verbis adductos esse suspicamur, ut Graecas formas suos in versus reciperent. itaque Lucilianum illud (frg. 25) nisi melius Graecis litteris scribitur *Ἰξιονίης ἀλόχοιο*, certe illas inter enuntiationes numerandum est, quae ad verbum a Graecis acceptae idcirco terminationes Graecas servarunt. nam versus Homeri his verbis *Ἰξιονίης ἀλόχοιο* clauditur (Il. XIV 317). Ennium tales clausulas Homericas satis multas suis versibus inseruisse, sed ut Latinum eis habitum daret, inter omnes constat. sed poetae qui post Ennium fuerunt, cum sententiis verba quoque in versus Latinos traducere non veriti sunt. omnium Graecarum rarissima est genetivi terminatio *-ων*. iure igitur primo quidem aspectu miramur, si

Catullum, cuius carmina Graecis terminationibus non abundant, *Chalybon* dixisse videmus [1]. iam vero si Callimachi verba in scholiis ad Apolloni Argonautica (II 373) tradita respicimus, etiam Catulli verba:

'. . . *ut Chalybon omne genus pereat*'

ad Callimachi:

'. . . *Χαλύβων ὡς ἀπόλοιτο γένος*'

spectare apertum est et Catullum *Chalybon* dixisse, quia hanc formam in Callimachi versu invenit. neque longius a vero aberrabimus statuentes Odysseae versum V 272:

'. . . *καὶ ὀψὲ δύοντα Βοώτην*'

in animo fuisse Catullo dicenti 66. 67:

'. . . *tardum dux ante Booten*' [2]).

Vergilium saepius Graeca ad verbum transtulisse in Latinum inter omnes constat [3]). quod veteres non ignorasse Macrobius in Saturnaliorum libro quinto (cap. II § 4 sqq.) docet, ubi permulta exempla versuum Homericorum affert quos Vergilius suum in epos recepit. eodem autem modo quo reliquos poetas Vergilium adductum esse, ut nomina quoque propria cum ipso versu reciperet, his quae afferam exemplis confirmabitur. conferas enim Aen. VIII 521:

'*Aeneas Anchisiades et fidus Achates*'

et Il. XX 160:

'*Αἰνείας τ' Ἀγχισιάδης καὶ δῖος Ἀχιλλεύς*';

ec. VIII 44: '*aut Tmaros aut Rhodope aut extremi Garamantes*'
ge. 1. 332: '*aut Athon aut Rhodopen aut alta Ceraunia telo*'.
Theocr. VII 77: '*Ἢ Ἄθω ἢ Ῥοδόπαν ἢ Καύκασον ἐσχατόωντα*'.

E Partheni versu:

'*Γλαύκῳ καὶ Νηρῆι καὶ Ἰνώῳ Μελικέρτῃ*'

Vergilium:

'*Glauco et Panopeae et Inoo Melicertae*'

fecisse Macrobius (Sat. V 17. 18) tradidit.

Neque in Ovidi metamorphoseon libris versus desunt integri ex Homeri libris hausti velut met. XIII 258/59:

---

[1]) Nam Politianum manum Catullianam restituisse persuasum mihi est.

[2]) Cf. supra p. 36.

[3]) Conferantur quae Skutschius dixit in libro „*Aus Vergils Frühzeit*“ p. 106 sqq.

'Coeranon Iphitiden et Alastoraque Chromiumque
Alcandrumque Haliumque Noemonaque Prytaninque'

ex Il. V 677 sq:

'ἔνθ' ὅγε Κοίρανον εἷλεν Ἀλάστορά τε Χρομίον τε
Ἄλκανδρόν θ' Ἅλιόν τε Νοήμονά τε Πρύτανίν τε'.

itaque multas formas Graecas hunc ad usum poetarum redire iure arbitrabimur.

Ante Propertium et Ovidium poetae genetivum Graeco more *-es* litteris saepius finire dubitabant. si igitur Catullus duobus in carminibus quae ad Graecos redire scimus (63. 66), non minus quinquies illa usus est forma, recte concludere mihi videor has genetivi formas ex imitatione Graecorum fluxisse, cum in reliquis carminibus constanter terminatione Latina *ae* usus sit. neque errabimus Ciceronis illud quod est in Arateis (35/36):

'Alcyone Meropeque Celaeno Taygeteque
Electra Asteropeque simul sanctissima Maia'

aeque atque versus Germanici (Arat. 262/63):

'Electra Alcyoneque Celaenoque Meropeque
Asteropeque et Taygete et Maia parente'

ex Arati phaenom. v. 262 sq. verbotenus depromptum esse statuentes:

''Ἀλκυόνη Μερόπη τε Κελαινώ τ' Ἠλέκτρη τε
καὶ Στερόπη καὶ Τηϋγέτη καὶ πότνια Μαῖα'.

Lucretium terminationibus Graecis abstinuisse e paucis formis quae in eius libris inveniuntur, elucet. mirum igitur est, quod uno loco (IV 1160 sqq.) permulta nomina Graeca, quin etiam verbum Graecum adhibuit, quorum pleraque Graecas terminationes partim inusitatas — velut *chariton* genetivus — praebent. res facile intellegitur, si Lucretium e Graeci scriptoris opere hausisse suspicamur. poeta eo quem dixi loco amatorem eiusque mores stultos describit. exemplum igitur eius apud eos Graecos scriptores quaerendum est, qui omnem operam in mores describendos impenderunt. scimus enim e Teletis et Bionis diatribis in quibus persaepe mores hominum et describuntur et illuduntur, multa ut in comoedias Terentianas ita in Horati sermones fluxisse[1]). et ad tales diatribas vel etiam ad χαρα–

[1]) Cf. Heinze, *De Horatio Bionis imitatore*, Bonnae 1889.

κτηρισμῶν libros, quales Lyco et Aristo scripserunt, locus ille Lucretianus mea quidem sententia referendus est.

Nemo igitur permultas formas Graecas quae in Romanorum poetarum operibus inveniuntur, ad verbum una cum toto versu e Graecis in poesin Latinam translatas esse negabit.

2. Sed in sermonem quoque cotidianum nomina Graeca irruperunt itaque carmina invaserunt. horum tamen nominum pleraque appellativa videntur fuisse, quamquam propria quoque inveniuntur sed raro temporibus liberae rei publicae. exempli gratia duo epigrammata lapidibus incisa afferam[1]). alterum est in Buecheleri '*Anthologia Latina Epigraphica*' n. 959:

'*Viva Philematium sum Aurelia nominitata*'
'*Casta, pudens, volgei nescia, fida viro . . .*'

Philematium est nomen plane Graecum. ad alterum n. 961:

'*Stallius Gaius has sedes Hauranus tuetur*'
'*ex Epicureio gaudivigente choro*'

Buecheler adnotavit: '*Sironi aequalem putes hominem, metri genus Lucretianum, Graeca plane scriptura* '*Epicureio*''. fortasse quoque epigramma 361 mentione est dignum, quod Graecum nomen proprium praebet:

'*Protogenes Cloul(i) suavei heicei situst mimus*'
'*plouruma que fecit populo soueis gaudia nuges*',

quod carmen non multo post Ennianam aetatem factum esse Buecheler censet. sed afferri posse illa quoque carmina epigraphica puto, quae aevi imperatorii priore parte incisa sunt. nam consuetudo tam brevi temporis spatio vix adeo mutata est, ut non eadem fere de oratione poetica volgari illius temporis rei publicae quo cetera carmina quae attuli orta sunt, suspicari possimus. servas igitur Graecas nomina sua Graeca illo tempore non mutasse credibile est, cum postea persaepe in epigrammatis talia nomina occurrant, velut *Calliste*. liberos Graecos viros et feminas Romae fuisse non paucos ex illis carminibus lapidibus incisis satis elucet. sic invenitur titulus epigrammatis (1036) '*Vibia Phryne vixit tres senos annos*'[2]).

Volgo igitur nomina Graeca non ignota erant, cum Romani

---

[1]) Perpauca tantum exstant disticha incisa eo quod circumscripsi tempore.

[2]) Conferri quoque potest epigramma 1222.

iam antiquitus a Graecis multa in sermonem cotidianum introduxissent. quamquam pleraque ori Latino adaptata sunt, ut *pelagus cratera guminasium* — haec enim forma a Catullo adhibita satis est antiqua — *dracuma* multaque alia, tamen in nonnullis Graecam formam servatam esse putare licet. quae inter nomina vocem numero '*palimpsestos*', cuius accusativus idcirco a Catullo '*palimpseston*' fieri potuit. nisi plerique Romani Graecae linguae notitiam quandam habuissent, nunquam Plauti comoediae eis placuissent, cum permulta intellegere non potuissent. nam totas elocutiones plane Graecas in comoediis Plautinis invenimus ut in Pseudolo: *ὦ Ζεῦ* (443), *χάριν τούτῳ ποιῶ* (712) *καὶ τοῦτο ναὶ γάρ* (483), vel in Sticho: *ἢ πέντ' ἢ τρία πῖν' ἢ μὴ τέτταρα* (707). Graecas vero terminationes hic non servavit, sed qualibet ratione ori Latino adaequavit velut '*cetum*' accusativum a *κῆτος* ductum (Aul. 375), '*Oedipo*' dativum ab *Οἰδίπους* (Poen. 443). itaque mirari non possumus, quod '*Pentheum*' dixit (Merc. 469) non *Penthea*, ut ceteri poetae in versibus herois, quibus sane Latina forma non, ut illi, apta erat.

Poetae cum nomina Graeca ita ut a volgo adhibebantur, minus eis idonea sint visa, quae in versum heroum reciperentur, nonnunquam Graecam formam restituerunt, ut utraque uterentur forma et Latina et Graeca, velut Vergilius dixit in accusativo singulari *cratera* (III 352, V 536, IX 266. 346), accusativo plurali *crateras* (correpta *a* vocali) — I 724, VII 197, IX 165. 358, XII 285 — Horatius vero Latinam anteferebat formam et in carmine III 18. 7:

'*Viva craterae vetus ara multo . . .*'

et in satura II 4. 80:

'*Sive gravis veteri craterae limus adhaesit*'.

Ovidius utraque forma utitur, *cratera* accusativo V 82, VIII 679, *crateram* XIII 681.

Neque *lampadĕs* homini de plebe ignotae erant neque accusativus Graecus *lampada*, ut proverbium illud docet: '*nunc cursu lampada tibi trado*' (Varro de r. r. III 16. 9). quae cum ita sint, poetas e sermone quoque cotidiano Graeca, imprimis appellativa, recepisse pro certo haberi potest.

Postquam cognovimus, quibus de causis poetae Graecis terminationibus non abstinuerint, nullo modo Koenio adstipulari

poterimus, qui omnes formas Graecas invasisse sermonem poetarum, quibus synaloephe vitaretur, censuit. quam perverse nonnunquam iudicaverit, inde cognosci potest, quod Horatium *Penelopen* et *Penelope* nunquam dixisse putat, nisi ubi summa metri necessitate coactus sit: *„Denn man muss es einem Manne von Geschmack und Überzeugung von dem Werte seiner eigenen Sprache, wie wir dies bei Horaz erkennen, zutrauen, dass er das volle a nur in höchster Not gegen das schwächere e vertauscht“*. eadem de causa Ovidium omnibus locis quibus synaloephen vitare non opus erat, Latinas formas adhibuisse putat. itaque verisimile ei non videtur Ovidium in fine hexametri posuisse *Midan Oete Ide Aetne Dircen* sed *Midam Oeta Ida Aetna Dircam*. quin etiam Ciceroni pedestris orationis scriptori *aera* et *aethera* accusativos tribuere veretur, quos usitatissimos fuisse Ennianus usus docet. poetas non una causa adductos esse, ut formas Graecas servarent, vidimus, quamquam multas analogia ortas esse concedimus. neque id neglegendum esse puto, quod poetae vetustiores metri ratione raro ad Graecas terminationes adducti sunt, Ovidius vero nullam fere aliam declinationem nominum Graecorum cognovit nisi Graecam. quomodo autem singuli poetae nominibus Graecis usi sint, cur alii multa nomina Graeca, alii perpauca adhibuerint, altera in parte contemplemur.

Pars altera.

§ 9.

Accium primum Graeca nomina Graeco more flexisse Varro memoriae prodidit (de l. l. X 70). prisca enim consuetudo non erat formas Graecas adhibere atque accusativus qui graece in *-a* exibat plerosque offendit. nam Valerius (Soranus?) Accium reprehendit illo versu a Varrone tradito:

'*Accius Hectorem nollet facere, Hectora mallet*'.

Acci tempore Graecorum usum nominum non vitaverunt. sed non multo post illis illudebant qui Graeca Latinis verbis miscuerunt [1]. neque in prosa oratione [2] neque in versibus multa Graeca admittere voluerunt Romani. tamen in utroque genere ea vitata non sunt, cum primum Graecorum nominum usus sermonem Latinum invasit, et ipse ille Cicero qui se graece loqui in sermone Latino negat, sese excusat, quod *Piraeea* pro *Piraeum* forma in pedestri oratione usitata dixerit. Romanos Graecorum linguam antiquis iam temporibus cognosse certum habemus, cum eos saepius cum illis Graecis qui oram incolebant Italiae, convenisse constet. post bellum Tarentinum omnes urbes Magnae quae dicitur Graeciae sub imperium populi Romani dicionemque redactae sunt; qua de causa Romani Graecis litteris imbuti sunt. itaque cum Ennius Graecorum genus poeticum in poesin Latinam introduceret, omnes Romani qui annalibus eius operam dederunt, litteris Graecis satis eruditi erant. tamen signifer ille poetarum Romanorum Graecas formas,

---

[1]) Hor. sat. I 10. 20.

[2]) Cic. Tuscul. I 15.

quantum potuit, reiciendas esse non sine causa putavit. nam si Latinum epos primus pangere voluit, Graeca ei vitanda erant. hinc apparet, cur *Anchises* dicere noluerit et *Leucatam* Graecae formae *Leucaten* praetulerit [1]). eandem rationem Plautus secutus est, qui Graecam comoediam Romanis praebuit. ille quoque Graecarum litterarum peritissimus habitum, ut ita dicam, Graecum nominum servare veritus omnibus Latinas terminationes dedit [2]). sed castitatem Enni pauci imitati sunt. rationem viamque maxime alienam ab Ennio Lucilius iniit, qui permultas elocutiones Graecas versibus intexuit. tamen ita id fecisse nobis videtur, ut vix in eis poetis numerandus sit, qui nomina Graeca in sermonem poeticum Latinum introduxerint, sed propriam his in nominibus adhibendis rationem secutus sit. nam non solum voces sed litteras etiam servavit Graecas, quamquam codicibus valde corruptis vix diiudicare possumus, quot verba Graecis litteris scripserit quot Latinis. de omnibus autem nominibus quae Graecis conscripta litteris in versus recepit, nobis disserendum esse negamus, cum nulla alia forma uti potuerit nisi Graeca. illa nomina Graecis litteris scripta in Noni libris imprimis pessime tradita sunt. scribas plerumque Graeca nomina in litteras Latinas convertere studuisse nonnullis e locis apparet. duos affero quorum altero litterae Graecae servatae sunt, altero prior pars elocutionis Latinis litteris

---

[1]) Neque quisquam formam nominis *Metti Fufeti Metioeo Fufetioeo* (A. 126) Ennio opprobrio det. nam hoc nomen quod satis alienum esset a sermone Latino, qualibet terminatione affectum offendisset Romanos. praeterea genetivus *Metti Fufeti* — hic casus ab Ennio nunquam in *ii* terminatur — a metro alienus erat, cum *Fufeti* vox fuisset cretica.

[2]) Liceat de poetarum tragicorum ratione pauca addere. neque Ennius neque Pacuvius videntur adamasse Graecas terminationes. nam Ennius *Andromachae* (Trag. Rom. fragm. rec. Ribbeck fr. 65) *Hectōrem* (92) *Agamemno* (191) latine dixit, Pacuvius cuius in reliquiis multa nomina Graeca non exstant, *Salaminam* (fr. 327). In Acci, qui Varronis testimonio '*ad formas Graecas magis revocare coepit*', reliquiis Graecas terminationes raro invenimus. nominativo et vocativo nominum quae graece exeunt in -ευς, eum usum esse Graecorum more apparet nonnullis e locis — frg. 116 *Perseu*, 534 *Prometheus*, 636 *Tereus* — quibus *e* et *u* unam efficiunt syllabam. sed plerumque nomina Graeca latine flexit, velut *Hectorem* (667) *Oeneum* (425) *Salaminem* (370). tamen Accium Graecas formas satis adhibuisse Varrone teste persuasum habemus.

scripta est, posterioris litterae Graecae servatae sunt. scribae haec pars posterior nimis aliena a sermone Latino visa est, quam ut Latinis litteris exarari posset. hae sunt elocutiones illae: Non. 519. 2 = fr. 335 *νεηνεσσι ηαταηομενοισιν*, Non. 25. 31 = fr. 386 *caliplocamoraδαλισφυσον*. hinc apparet multa monstra verborum quae in Lucili reliquiis inveniuntur, ex enuntiationibus Graecis litteris scriptis orta esse.

In Varronis Menippeis permulta nomina latine reformata scribarum vitio litteras Latinas usurpasse iam Buecheler vidit, qui nonnunquam Graecas litteras restituit, ut in fragmento 348[1]) *φωνασκία* in quo codices Noniani '*fonicia*' tradunt. dactylici quidem metri reliquiae multae non exstant, quarum uno loco Graeca terminatione usus est Varro (frg. 130) in fine pentametri: '*Naides undicolae*'. sed cum in eis Menippearum partibus quae e versibus alio metro factis constant vel oratione soluta scriptae sunt, persaepe Graecas terminationes admiserit, quas a plerisque poetis qui ante et post Varronem fuerunt, vitatas esse vidimus — velut *Arcadon* (frg. 101) *Hiberon* (frg. 170) — eum terminationibus Graecis quam maxime favisse iure putabimus.

Lucretius ratione non valde diversa ab Ennio usus est. maxime operam dedit, ut plerosque Graecos terminos qui in philosophia summi momenti erant, quippe qui Graeca forma ad Romanos pervenissent, Latinum in sermonem verteret. ita factum est, ut nova etiam verba formaret sicut *primordia*, qua voce *ἀτόμους* Graecorum significaret. sed persaepe, quia ei non contigerat, ut latine exprimeret quae apud philosophos Graecos inveniebat, velut *homoeomerian*, Graeca servare coactus est. appellativa Graeca iamdudum nota erant Romanis cum e vita cotidiana tum e comoediis Plautinis. neque difficile erat formas Graecas vitare, cum propria quidem nomina Graeca Lucretio raro admodum adhibenda essent.

Rationem valde diversam Cicero in Arateis iniit: in medio quasi positus inter vetustiores et recentiores poetas primus plures admisit formas Graecas.

---

[1]) Numeros adscripsi, quibus Buecheler (*Petronii satirae et liber Priapeorum. adiectae sunt Varronis et Senecae satirae similesque reliquiae.* Berol. 1882) usus est.

§ 10.

Inter poetas priores et Ciceronem hoc maxime interest, quod is Graecum carmen in linguam Latinam traduxit, Ennius et Lucretius suam materiam ad Romanorum modum tractarunt, quamquam hi quoque Graecis non prorsus abstinuerunt. unde facile intellegitur, cur Cicero non solum tot nominibus propriis Graecis sed etiam pluribus Graecis formis usus sit quam anteriores poetae. cum enim caelum caelique signa ita describeret ut Aratus, saepe nomina quoque illorum iuvenum vel virginum, quos in caelum elatos Graeci fabulabantur, ei recipienda erant. his autem receptis terminationes Graecas mutari non potuisse supra demonstravimus. atque Cicero quidem eadem de causa qua brevi post Lucretius, formas Graecas admisit, scilicet quia Graeci ita loquebantur. nominibus geographicis Graecas dare terminationes veritus est, cum metri ratione eis uti non cogeretur, ut *Chius* (422) dixit. sed Ciceronem non nimis adamasse Graeca vocabula nominis *Cassiepeiae* forma docet *Cassiepia* (XXXII 443). itaque in eius Arateis utraque ratio invenitur, et ea quam castiores poetae inierant et ea quam neoterici paulo post receperunt.

§ 11.

Hi poetae quibus *νεώτεροι* nomen datum est, a Cicerone saepius reprehensi sunt, quod novum genus in poesin introducerent nimis graecissantes. illusit cantoribus Euphorionis (Tusc. III 45), inter quos ingenio et arte excellit Catullus. in elegiis et epylliis eodem modo quo omnes eius temporis poetae, velut Cinna et Calvus[1]), Alexandrinorum vestigiis summo cum studio ingressus est. inveniuntur igitur in eius carminibus terminationes Graecae, quae ab omnibus qui ante eum versus pepigerunt, multisque eorum qui secuti sunt, alienae erant. primus enim genetivum per *-es* terminare ausus est neque *Phasidos* genetivo uti dubitavit. nominibus geographicis Graecas reliquit terminationes. sed videas, quibus

[1]) Ex horum reliquiis nihil afferri potest, e quo cognoscere possimus, quomodo terminationes Graecas adhibuerint.

in carminibus poeta hac licentia usus sit. Graecas formas genetivi in *-es* exeuntis in carminibus 63 et 66 invenimus, quorum utrumque artissime cum Graecorum exemplis conexum esse satis constat. altero genetivo qui in *-os* exit, utitur in carmine 64, quod et ipsum ex Alexandrinorum imitatione fluxit, altero in carmine 66. ubicunque autem suo fretus ingenio cecinit, ad Latinas formas rediit. itaque *Helenae* et *Uraniae* illius genetivi loco posuit qui in *-es* excurrit (68. 87, 61. 2). sed quamquam Graecis non favit nisi ubi eos imitatus est, tamen fines artiores superavit posterisque vestigia ostendit, quibus insisterent, ut elegantiam versuum quam perfectissimam assequerentur. neque dubitari potest, quin omnes *νεώτεροι* poetae eandem viam ingressi sint eodemque modo posterioribus exemplo fuerint. aevo enim Augusteo omnia quae a poetis aetate superioribus initium ceperant Graeca in versibus poetarum Romanorum aucta atque summam ad perfectionem ducta sunt. de hac totius temporis ratione nunc accuratius disserere opus est.

§ 12.

Vergilium Graecos maxime imitatum esse iam supra memoravimus. de Aeneae erroribus et adventu in Italiam ac de proeliis ibi gestis canere sibi proposuerat. multa igitur de Graecis Aeneae comitibus ei narranda erant, multa de ipso Aenea. pleraque igitur ex Homeri libris et ex aliis poetis Graecis hausit. idem fere in Horati carminibus nobis occurrit. ille quidem formam carminum a Graecis recepit et quamquam quae canebat ad Romanos fere spectabant, multas fabulas Graecas nominaque heroum Graecorum versibus intexuit. hinc factum est, ut et Vergilius et Horatius magna copia nominum Graecorum litteras Latinas augerent, quorum plerisque propter eas quas supra diximus causas Graecae terminationes datae sunt. neque enim illorum poetarum tempore fieri potuit quin versus flosculis Graecis undique collectis ornarentur: adeo omnes litteris Graecis imbuti erant.

Vergilius igitur neque *Anchisa* neque *Aenea* formas nominativi dignas habuit, quas versui heroo insereret. propius ad Homeri exemplar accedere sibi visus est *Anchisen* et *Aenean*

ubique nominans illos heroes quos ceteri Romani *Anchisam* et *Aeneam* appellare consuerant. et cum permulta nomina Graeca virorum deorum dearumque vitare non posset, permultas formas Graecas in orationem poeticam Romanorum introducere coactus est, quarum numerum quam maxime distare ab iis quas poetae vetustiores sibi concesserant, exemplis supra collectis satis intellegitur. tamen omnes terminationes Graecas adhibere ausus non est. genetivo in *-es* exeunte omnino abstinuit, sed *Andromachae Circae Cyllenae Hesionae* formas, cum metro prorsus satisfacerent, adhibuit. illum genetivum orationem poeticam invasisse per imitationem carminum Graecorum ad verbum paene factam supra vidimus, cum de Catulli ratione verba faceremus. eandem fuisse causam, cur Horatius *Semeles* diceret pro *Semelae* in libri primi carmine undevicesimo apertum est. nam in epistulis nullo utitur genetivo nisi per *-ae* terminato: *Circae Penelopae* (I 2. 23. 28). postquam autem a Catullo Vergilio Horatio tot formae Graecae adhibitae sunt, poetae qui eorum vestigiis insistebant, terminationes Graecas servare adeo non veriti sunt, ut certa quadam ratione nomina Graeca Graecis cum terminationibus versibus Latinis innecterent. neque igitur vitium habebatur, quod nomina generis feminini quae in nominativo in *-η* desinunt, in genetivo Graecorum more declinabantur, illa autem quorum terminatio *-a* erat, in accusativo *-an* litteris finiebantur ratione inusitata cum apud vetustiores tum apud Vergilium et Horatium.

Quamquam a Vergilio novum genus dicendi poetis heroicorum carminum oblatum est formis Graecis tam plenum, ut Ovidius ipse, si multitudinem nominum Graeco more declinatorum respicimus, a Vergilio non ita multum distet, tamen nonnulli poetae hac in re Vergilium minime imitati sunt, sed cum Horatio qui in sermonibus castissimum se praebuit diligentissimumque Latini sermonis observatorem, facientes perraro terminationes Graecas admiserunt. Tibullus et Lygdamus qui dicitur, adeo Romani erant, ut in eorum centenis versibus singulae tantum formae Graecae nobis occurrant. si quis tamen sola e multitudine vel paucitate formarum Graecarum quae in eorum libris inveniuntur, de ratione quam singuli poetae inierunt, iudicium faceret, is mea quidem sententia erraret. quin potius

singulis generibus nominum quae Graecas declinationes sequebantur, cognitis de poetarum ratione esse iudicandum putamus.

Itaque non solum omnium nominum Graecorum quae terminationibus Graecis servatis in libris poetarum exstant, numerum in tabula prima scripsi (pag. 70/71), quorum multitudo cum versibus uniuscuiusque poetae in tabula Ia confertur (pag. 74), sed etiam in conspectum dedi nomina quae Graecas terminationes non mutarunt, et ea quae ori Latino adaptata sunt.

Vergilius aliam viam iniit in eclogis, aliam in georgicon libris atque in Aeneide, in qua multo pluribus nominibus Graecis terminatione servata usus est quam in carminibus ceteris, neque ab alio poeta praeter Ovidium, ne a Propertio quidem, superatus est. nonnullis quidem terminationibus magis abstinuit et castiorem se praebuit quam plerique posteri, aliarum eadem copia est atque apud reliquos poetas.

Multum distare rationes quas Horatius in carminibus et eas quas in sermonibus secutus est, iam supra identidem demonstravimus tabulaque probabimus. cum Horatius quem formis Graecis tam infensum se praestare videmus in saturis atque epistulis, in senis denis nominibus e centenis terminationem Graecam *-os* servaverit, quae omnia nomina esse geographica in priore parte huius opusculi vidimus, haec nomina geographica Graecorum more flexa non offenderunt. quin etiam Tibullus poeta castissimus in vicenis senis nominibus e centenis terminationem *-os* non mutavit, cum nomina locorum essent.

Hoc unum accuratius quaeri oportet, utrum omnino formae Graecae magis magisque poesin Latinam invaserint aevi Augustei ita ut continenter multitudo earum creverit apud singulos poetas necne. erant poetae qui Graecis formis quam maxime faverent, erant qui quantum fieri potuit, terminationibus Graecis abstinerent, erant qui utramque viam inirent diversis in generibus carminum. ratio quam Horatius quamque Tibullus et Lygdamus qui fertur secuti sunt, longe distat a Vergilio auctore panegyrici Messallae Propertio Ovidio.

Vergilius et Horatius in carminibus suis ipsi rationem mutarunt. nam Vergilius, ut supra demonstratum est, in Aeneide plures formas Graecas admisit, quam in bucolicis et georgicis, Horatius multo plures in carminibus quam in

saturis et epistulis. Catullus diversam ab Horatio viam ingressus erat, cum in lyricis Graeca minus amaret, in carminibus herois et in carmine 63 [1]) aliquanto plures adhibere non vereretur. tamen inter eos poetas numerandus est qui sermone satis casto usi sunt, minimeque admiratione dignum putavit, quod 'verbis Graeca Latinis' misceret.

Propertius eadem multitudine formarum Graecarum usus est qua Vergilius in eclogis et georgicis, Horatius in carminibus, nam in centenis versibus quinas admisit.

Ovidius eos secutus est qui a Graeca declinatione minime abhorrebant, plura nomina graece declinans quam quisquam ceterorum.

Alterum quod animadvertendum esse dixi, cuius generis formis Graecis vel terminationibus poetae usi sint et quot in nominibus Graecis quae ori Latino aut adaptare potuerint aut consueverint, Graecas terminationes servarint, id altera tabula ita exprimendum curavi, ut in sinistra quaque parte numerus nominum exstet quae Graecam terminationem servarunt, in media numerus eorum quae latine declinata sunt, in dextera, quot nomina e centenis Graecam terminationem non amiserint. hic autem quae haec tabula docet, comprehendam.

Nonnullae terminationes Graecae apud omnes poetas retinebantur [2]). erant tamen etiam huius generis nomina quae Latinam declinationem sequerentur. ut breviter repetam quae supra exposita sunt, Horatius *Marsya* pro *Marsyas* dicere metri ratione coactus est; eadem de causa Ovidius uni huic nomini terminationem Latinam dedit ita tamen, ut satyrum ipsum Marsyam nomine non appellet, sed flumen quod a satyro illo cui cutis detracta est, nomen cepit. Propertius contra consuetudinem poetarum *Atrida* dixit pro *Atrides*, quia haec

---

[1]) Carminis 63 ionico metro compositi et ampliorum heroicorum commune est, quod Catullus ea vel integra e Graecis hausit vel ad Graecorum exemplorum similitudinem fecit. nomina Graeca in utroque genere carminum lyricorum et heroicorum eodem fere modo adhibuit; nam in illis in sexagenis e centenis nominibus Graecis, in his in undeseptuagenis terminationes Graecas non mutavit.

[2]) Partem tantum talium nominum in altera tabula repetivi e tabula I.

forma nominis uno loco aptior hexametro videbatur[1]). reliqua omnia nomina in Graeco sermone in *–ας*, in genetivo in *–ου* exeuntia in nominativo non mutata sunt. omnes poetae nomina in *-es* et *-as* et *-eus* exeuntia Graeco more in nominativo et accusativo declinaverunt. sed non desunt terminationes quas multi poetae propter sermonis castitatem adhibere noluerunt. genetivus qui in *-es* excurrit, quem Catullus saepius in carmine 63, semel in 66 adhibuit, tamen in versum heroum multo posterius invasit et genetivum latine factum removit. simili modo genetivus per *-os* terminatus sermonem poeticum ita non occupare potuit, ut omnes eo uterentur. Vergilium paucis locis eum admisisse e codicibus elucet. Horatius et Tibullus ubique genetivum Latinum qui in *-is* desinit, praetulerunt. in panegyrico Messallae uterque genetivus et qui *-os* et qui *-is* syllabis terminatur, pari numero exstat. praeter Propertium et Ovidium omnes poetae nomina generis feminini quae in *-a* vocalem desinunt, in accusativo latine secundum primam declinationem declinaverunt. Propertius primus *Ossan* dicere ausus est et Ovidius quinque locis Graecam, decem Latinam terminationem adhibuit. e talium nominum usu cognoscitur Vergilium, quamquam multas formas Graecas admisit, etiam plures Propertio, tamen multo magis Graecis abstinuisse quam illum. quod autem Vergilius unus ex omnibus poetis genetivum nominum quae Graeci in *–ως* terminant, in genetivo in *–ω*, semel *-o* vocali finivit, ei vitio dandum non est. nam ne hoc quidem pro certo habemus, num talem formam inusitatam relicturus fuerit, si Aeneidi supremam manum indidisset. ceterum ut plura nomina Graeca graece flexit quam Propertius, ita in pluribus Latinam quoque declinationem servavit quam Propertius. nam e centenis Graecis nominibus propriis in Aeneide duodeseptuagena non mutavit, Propertius septuagena quina. hac in re Propertius multo propius ad Ovidium, qui in septuagenis quinis e centum nominibus terminationes Graecas reliquit, quam ad Vergilium accedit. illi autem poetae quos formas Graecas omnino non

---

[1]) In nomine *Atrida* ea licentia poetae usi sunt, ut primam syllabam modo longam modo brevem haberent, velut Propertius IV 1. $_{112}$, III 7. $_{23}$, II 14. $_{1}$; Ovidius XII 618, XIII 365 — XIII 189. 439. 655.

adamasse vidimus, adeo a ceteris discedunt, ut ne dimidiae quidem nominum Graecorum parti terminationem servaverint, sed Horatius quadragenis binis e centum nominibus, Tibullus quadragenis septenis, Lygdamus tricenis. Vergilius, auctor panegyrici Messallae, Propertius, Ovidius plus quam dimidiam partem nominum Graecorum non mutaverunt.

Nomina igitur Graeca quae Graecorum more flexa erant, primum quam maxime evitata ac reiecta postquam inde a Ciceronis et Catulli aetate in sermonem poeticum Romanorum introducta sunt, tanta vi versus heroos Latinos occuparunt, ut apud plerosque poetas rariora exstent illa nomina quae prisco more Latinae linguae adaequata sunt, et tres tantum poetae veterum vestigiis hac in re insistere ausi sint. sed eos quoque qui Graeca nimis amare videntur, excusari multis causis me probavisse spero.

Ta-

Apud:	Numerus nominum Graecorum: in nominativo singulari in										nominativo plurali in		in genetivo singulari	
	-η	-ης	-ας	-ος (-ον)	-ευς	-υς	-ω	-ως	-ους	-ων	-η	-ες	-ης	-ος
Catullum in carminibus lyricis	4	—	1	—	1	—	—	—	—	1	—	—	—	—
Catullum in carminibus herois, in elegiis in carmine 63.	4	1	—	2	10	2	—	1	—	3	—	1	5	2
Vergilium in eclogis et georgicis	24	2	19	6	8	2	1	1	1	24	2	11	—	2
Vergilium in Aeneide	30	109	167	10	47	8	45	24	5	52	1	23	—	2
Horatium in carminibus	27	7	5	2	11	—	3	2	—	9	3	1	1	—
Horatium in hexametris	5	4	—	9	6	—	3	2	—	8	—	—	—	—
auctorem panegyrici Messalae	3	3	—	1	—	—	—	—	1	—	—	—	1	1
Tibullum	6	—	—	5	—	—	1	—	—	1	—	—	—	—
Propertium	44	14	3	5 (+2)	5	—	9	3	1	20	—	2	16	18
Lygdamum	1	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	1	—
Ovidium	137	97	24	54 (+6)	122	18	16	40	3	101	3	21	36	20

bula I.

quae desinunt:

et plurali		in dativo sing. et plur.		in accusativo singulari et plurali										
-ους	-ων	-ει	-σι	-ην (nominat. -η)	-αν (nominat. -α)	-ην (nominat. -ης)	-αν (nominat. -ας)	-ον	-υν	-ιν	-ω	-ων	-α	-ας
—	—	—	1	2	—	—	—	1	—	—	—	—	2	1
—	1	1	—	1	—	1	—	—	—	2	—	1	7	1
—	—	3	—	11	—	3	4	2	—	2	—	1	23	6
1	—	—	—	13	—	54 (+ 2 declin. III)	43	7	4	6	2	1	105	27
—	—	—	—	17	—	13	1	15	1	5	—	—	18	11
—	—	—	—	2	—	6	1	—	—	2	—	—	8	2
1	1	—	—	—	—	1	—	—	—	—	—	—	3	1
—	—	—	—	—	—	1	—	1	—	1	—	—	1	2
1	—	—	3	8	1	8	4	4	1	8	—	—	31	6
—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	1	—
—	—	1	—	74	5	37	15	73	8	25	3	1	210	53

Ta-

	nominativo singulari et plurali, genetivo singulari,																				
	a	b	c	a	b	c	a	b	c	a	b	c	a	b	c	a	b	c	a	b	c
	-η -a		%	-ης -a		%	-ας -a		%	-ος -us (-ον -um)		%	-ω -o		%	-ξ -gs		%	-ης -ae		%	-ις -is		%
in carminibus lyricis **Catullum**	4	—	100	—	—	—	1	—	100	—	8	0	1	—	100	—	—	—	—	1	0	—	—	—
in carminibus herois, in elegiis, in carm. 63	4	2	66⅔	1	—	100	—	—	—	2	4	33⅓	3	—	100	1	—	100	5	1	83⅓	2	6	25
in eclogis et georgicis **Vergilium**	24	1	96	2	—	100	19	—	100	4	22	16	24	—	100	11	—	100	—	—	—	2	5	28
in Aeneide	30	7	81	109	—	100	167	—	100	10	128 + 8	7	52	—	100	24	—	100	—	4	0	2	34	6
in carminibus lyricis **Horatium**	27	—	100	7	—	100	5	1	100	2	39	5	9	2	82	1	—	100	1	2	33⅓	—	16	0
in versibus herois	4	1	80	4	—	100	—	1	0	9	46	16	8	—	100	—	—	—	—	2	0	—	3	0
in panegyrico Messallae	3	—	100	3	—	100	—	—	—	1	5	16	—	—	—	—	—	—	1	—	100	1	1	50
Tibullum	6	—	100	—	—	—	—	—	—	5	14	26	1	—	100	—	—	-	—	1	0	—	2	0
Propertium	44	4	91⅔	14	1	93	3	—	100	7	30	19	20	—	100	2	—	100	16	—	100	17	21	44
Lygdamum	1	1	50	—	—	—	—	—	—	—	6	0	—	—	—	—	—	—	1	—	100	—	—	—
Ovidium	187	5	96½	97	—	100	24	1	96	60	197	23	101	—	100	21	—	100	36	—	100	20	81	20

Huic tabulae omnia nomina inscripsi quae mutata sunt et ea quae quamquam mutari poterant, a poetis mutata non sunt. in columnis quibus **a** littera superscripta est, numerus nominum ostenditur quae Graecorum more flexa sunt, in columnis quibus **b** titulus est, numerus eorum quae ori adaptata sunt Latino. in columnis **c** adscripsi, quot nomina Graeca e centenis terminationem servaverint Graecam, velut in Properti elegiis terminationem -*ης* servatam invenimus quattuordecim locis, uno terminationem Latinam -*a* positam pro Graeca -*ης*; nonagenis ternis e centenis locis Propertius hanc terminationem Graecam -*ης* servavit. appellativa hac in tabula non numerata sunt, quia numerus eorum quae latine declinata sunt, maior est, quam ut eis additis de usu terminationum Graecarum recte iudicemus.

[1]) *Aetnam* XIII 868, XIV 188, *Helenam* XIII 200, *Ithacam* XIII 711, *Ledam* VI 109, *Europam* VI 104; quamquam multo verisimilius videtur Ovidium his locis Graecam terminationem retinuisse, cum *Aetnen* et *Europen* aliis locis XIII 770 XIV 1 V 648 dixerit — *Europen* scilicet de terra —, tamen mutare veritus sum, quia in Kornii editione lectiones varias ad hos versus adnotatas non inveni. *Creten* XIII 706 cum Heinsio legendum esse contra Kornium censui.

bula II.

accusativo singulari et plurali

ω-i a	b	c %	ην-am (nominat. -η) a	b	c %	αν-am (nominat. -α) a	b	c %	ην-am (nominat. -ης) a	b	c %	αν-am (nominat. -ας) a	b	c %	ον-um a	b	c %	α-em a	b	c %	α-um (nomin. -ευς) a	b	c %	ιν-im (em) a	b	c %	ας-es a	b	c %
—	—	—	2	—	100	—	1	0	—	—	—	—	—	—	—	2	0	2	—	100	—	—	—	—	1	0	1	—	100
—		—	1	2	33⅓	—	2	0	1	—	100	—	—	—	—	3	0	1	—	100	5	—	100	2	—	100	1	—	100
—		—	11	1	91	—	8	0	3	—	100	4	—	100	2	8	20	10	—	100	5	—	100	2	25	7	1	—	100
1	2	33⅓	13	6	68	—	21	0	54	—	100	43	—	100	7	107	6	46	5	92	18	—	100	6	21	22	14	—	100
—	—	—	17	2	90	—	4	0	13	—	100	1	—	100	15	80	33⅓	10	2	83	3	—	100	5	—	100	8	—	100
—	—	—	2	6	25	—	4	0	6	—	100	1	—	100	—	12	0	7	—	100	1	—	100	2	1	66⅔	1	—	100
—	—	—	—	—	—	—	—	—	1	—	100	—	—	—	—	1	0	1	—	100	1	—	100	—	—	—	1	—	100
—	—	—	—	—	—	—	—	—	1	—	100	—	—	—	1	1	50	—	—	—	1	—	100	1	3	25	2	—	100
—	—	—	8	1	89	1	1	50	8	—	100	4	—	100	4	14	22	26	1	96	4	—	100	8	—	100	2	—	100
—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	1	—	100	—	—	—	—	—	—	—	—	—
—	—	—	74	6 [1]	92½	5	10	33⅓	37	—	100	15	—	100	73	78 [2]	50	116	—	99	41	—	100	25	1 [3]	96	44	—	100

²) *Delon* ab Ovidio (III 597, IX 332) scriptum esse cum e corrupta codicum lectione apparet tum inde quod nomen est geographicum. eadem de causa cum Merkelio *Pylon* lego (XII 545), quo de nomine e Kornii adnotatione nihil certi cognosci potest. in eis nominibus quorum terminationem *-um* mutare veritus sum, quamquam nomina sunt locorum, numeranda sunt: *Cythnum* (VII 464) quod *Cythnon* legi codices valde corrupti vix vetant, et *Scyrum* XIII 156, 175, ad quos versus Kornius nihil adscripsit.

³) E nominibus quibus Kornius Graecam dedit terminationem, unum excepi *Thybrim* II 259, quo nomine a Vergilio Latina cum terminatione ubique adhibito fluvius Italiae significatur. neque codices Ovidiani huic formae accusativi obloquuntur, cum in codice M littera extrema erasa sit, codd. λ et ε *tibrī* et *tybrim* praebeant. rationem quam Kornius codices secutus non semel adhibuit, nullo modo probandam esse puto. nam XIV 75 *Charybdin* recte, ut sentio, legit contra codices M et h, XIII 258 *Prytanimque* cum codd. M et ε in textum recepit, quamquam hoc quoque loco Graecam terminationem ab Ovidio adhibitam esse verisimillimum est (cf. pag. 56).

Tabula Ia.

Apud		Numerus versuum	Numerus formarum Graecarum	In C versibus inveniuntur formae Graec.
Catullum	in carminibus lyricis	999	13	$1^{1}/_{3}$
Catullum	in carminibus herois in elegiis in carm. 63	1213	46	$3^{4}/_{5}$
Vergilium	in eclogis et georgicis	3017	158	5
Vergilium	in Aeneide	9895	789	8
Horatium	in carminibus	3192	152	5
Horatium	in versibus herois	4174	58	$1^{1}/_{3}$
auctorem panegyrici Messallae		211	17	8
Tibullum		1380	19	$1^{1}/_{3}$
Propertium		4006	217	$5^{2}/_{5}$
Lygdamum		262	3	1
Ovidium		11995	1206 [1]	10

[1] Accedit ad nomina quae in tabula I attuli, *Chaos* I 7, II 299, X 30.

Tabula IIa.*)

Apud		a	b	c
Catullum	in carminibus lyricis	12	8	60
	in carminibus herois in elegiis in carm. 63	45	20	69
Vergilium	in eclogis et georgicis	143	70	67
	in Aeneide	734	343	68
Horatium	in carminibus	144	98	59
	in versibus herois	56	76	42
auctorem panegyrici Messallae		16	7	69
Tibullum		19	21	47½
Propertium		221	73	75
Lygdamum		3	7	30
Ovidium		1143 [1])	375	75

a = numerus formarum Graecarum.

b = numerus formarum latine flexarum.

c = e centenis nominibus Graecis servarunt Graecam terminationem.

*) eorum tantum nominum formae Latinae afferuntur, quorum Graecas exstare formas in tabula II videmus, atque nulla nomina nisi propria.

[1]) Accedit ad nomina quae in tabula I attuli, *Chaos* I 7, II 299, X 30.

Buchdruckerei Maretzke & Märtin, Trebnitz in Schles.

BRESLAUER PHILOLOGISCHE ABHANDLUNGEN

HERAUSGEGEBEN

VON

RICHARD FÖRSTER
PROFESSOR DER CLASSISCHEN ALTERTUMSWISSENSCHAFT AN DER UNIVERSITÄT BRESLAU

NEUNTER BAND

DRITTES HEFT

DE EPICURI VOCABULIS AB OPTIMA ATTHIDE ALIENIS

SCRIPSIT

PAULUS LINDE

BRESLAU
VERLAG VON M. & H. MARCUS
1906

Breslauer Philologische Abhandlungen

Erster Band

1. **Zur griechischen Nominal-Komposition.** Von Prof. Dr. Konrad Zacher . . . . 2,— Mk.
2. **De Stoicorum studiis rhetoricis** scripsit Dr. phil. Franciscus Striller . . . . 1,20 Mk.
3. **De vi atque indole rhythmorum quid veteres iudicaverint** scripsit Dr. phil. Georgius Amsel . . . . 4,— Mk.
4. **Verrianische Forschungen.** Von Dr. phil. R. Reitzenstein . 2,40 Mk.

Zweiter Band

1. **De Minucii Felicis Octavio et Tertulliani apologetico** scripsit Dr. phil. Fridericus Wilhelm . . . . 1,80 Mk.
2. **Zu den Paroemiographen.** Von Dr. Leopold Cohn . . . . 1,80 Mk.
3. **De Senecae philosophi librorum** recensione et emendatione scripsit Otto Rossbach. Insunt Senecae fragmenta Palatina edita a Guilelmo Studemund . . . . . 4,20 Mk.
4. **De Q. Asconii Pediani fontibus ac fide** scripsit Dr. phil. Carolus Lichtenfeldt . . . . 1,80 Mk.

Dritter Band

1. **De pontificum Romanorum inde ab Augusto usque ad Aurelianum condicione publica** scripsit Paulus Habel . . . . . . 2,— Mk.
2. **Die Quellen von Ciceros Schrift de deorum natura.** Von Leopold Reinhardt . . . . 1,60 Mk.
3. **Arriani** *τῶν μετ' Ἀλέξανδρον* libri septimi fragmenta edidit Ricardus Reitzenstein . . . . 1,— Mk.
4. **De Hygini memoria scholiis in Ciceronis Aratum Harleianis servata** scripsit Dr. phil. Georgius Kauffmann . . . . 3,60 Mk.
5. **Die Darstellung der Unterwelt auf unteritalischen Vasen.** Von Dr. August Winkler . . . . 2,— Mk.

Vierter Band

1. **De** *ἀδείας* **notione et usu in iure publico Attico** scripsit Dr. phil. Goldstaub . . . . 3,— Mk.
2. **De Martiale verborum novatore** scripsit Dr. phil. Aemilius Stephani . . . . 2,— Mk.
3. **Supplementa ad Procli commentarios in Platonis de republica libros nuper vulgatos** edidit Ricardus Reitzenstein . 1,— Mk.
4. **Philonis Alexandrini libellus de opificio mundi** edidit Leopoldus Cohn . . . . 4,50 Mk.

BRESLAUER
PHILOLOGISCHE ABHANDLUNGEN

HERAUSGEGEBEN

VON

RICHARD FÖRSTER
PROFESSOR DER CLASSISCHEN ALTERTUMSWISSENSCHAFT AN DER
UNIVERSITÄT BRESLAU

NEUNTER BAND
DRITTES HEFT

DE EPICURI VOCABULIS AB OPTIMA ATTHIDE ALIENIS

SCRIPSIT

PAULUS LINDE

BRESLAU
VERLAG VON M. & H. MARCUS
1906

DE EPICURI VOCABULIS AB OPTIMA ATTHIDE ALIENIS

SCRIPSIT

PAULUS LINDE

VRATISLAVIAE
M. ET H. MARCUS
MCMVI

RICCARDO FOERSTER

EDUARDO NORDEN

sacrum

Πολλὰς γὰρ εἴληφε μεταβολὰς ἡ τῶν Ἀθηναίων διάλεκτος.
Galen. VIII 584 K.

Epicuri copiam verborum nemo adhuc peculiari dissertatione tractavit, Eduardus Norden obiter tetigit (Kunstprosa I p. 123 sq.). Neque tamen si quis veterum de illius dicendi genere testimonia [1]) cognoverit, de eius vocabulorum supellectile uberius quaerere supervacaneum existimabit. Cuius operis triplicem percepturi esse fructum videmur: primum enim spero studia lexicographiae Graecae nonnihil commodi captura esse, deinde aliqua subsidia praebebuntur interpretationi philosophi, cuius epistulam Herodoteam iuxta Theophrasti fragmenta metaphysica longe difficillimam esse periti norunt, denique, id quod summo labore dignum esse duxi, nonnulla ad quaestionem de communi Graecorum sermone promovendam conferre conabor.

Atque ita quidem rem institui, ut omnia vocabula quae in fragmentis nobis ad verbum traditis exstant, examinarem atque ea quae ab optima Atthide aliena sunt, hoc in opusculo congererem.

Perquisivi autem haec Epicuri fragmenta:

Epicurea ed. Usener, Lipsiae 1887.

Epikureische Spruchsammlung ed. Usener et Wotke in Stud. Vindob. X (1888) p. 175 sq.

Epikureische Spruchsammlung II ed. idem ibidem XII (1890) p. 1 sq.

Epikureische Schriften auf Stein: idem in Mus. Rhen. vol. 47, 412 sq. (ubi editur praeter alia Epicuri ad matrem epistula).

Quae fragmenta praebuerunt copiam a me sic dispositam:

[1]) Epicurea ed. Usener p. 88 sq.

4. The Oxyrhynchos Papyri ed. Grenfell et Hunt vol. I, II, III IV (a. 1898 sq.) = Pap. Ox.
5. The Flinders Petrie Papyri ed. Mahaffy vol. I 1891, vol. II 1893.
6. Notices et Textes des Papyrus Grecs du Musée du Louvre ... in: Notices et extraits des manuscrits de la bibliothèque impériale ... tom. XVIII, 2, 1858 (ed. Brunet de Presle) = Pap. Paris.
7. Aegyptische Urkunden aus dem Berliner Kgl. Museum ed. Wilcken aliique Berolini inde ab a. 1892, vol. I—III, IV fasc. 1, 2. = Pap. Berol.
8. Corpus Papyrorum Raineri ed. Wessely 1896 (I).
9. Griechische Zauberpapyrus ... ed. Wessely (Denkschr. d. Kaiserl. Akad. d. Wissensch. in Wien, phil.-hist. Classe, 1888 et 1893).

Neque minoris momenti quam papyri mihi videbantur tituli:

1. Inscriptiones graecae = I. G.
2. Corpus Inscriptionum Graecarum = C. I.
3. Collitz-Bechtel, Sammlung der griechischen Dialectinschriften, 1884 sq.
4. Bechtel, die Inschriften des ionischen Dialects (= Abh. der kgl. Ges. d. Wiss. zu Goettingen 1887), quorum titulorum indicem confecit Fuochi, Studi ital. di fil. classica II, 1894.
5. M. Letronne, Recueil des inscriptions grecques et latines de l'Égypte 1842—1848 (vol. I, II).
6. M. Fraenkel, die Inschriften von Pergamon, vol. I, 1890 = Inscr. Perg.
7. Kaibel, epigrammata gr. ex lapidibus collecta, Berolini 1878 = Kaib. epigr.
8. Dittenberger, Sylloge inscriptionum Graecarum.
9. eiusdem Orientis Graeci inscriptiones selectae, duo voll. 1905. = Ditt. orient. insc.

Reliqui libri, quos rarius adhibui, suo quisque nominabuntur loco.

Fuit tempus, cum homines etiam doctissimi mirarentur in libris auctorum posteriorum tantam inveniri vocabulorum copiam quibus antea poetae soli uterentur. Atque tum id genus vocabulorum ex poetis sumptum esse iudicaverunt. Qua de re quod nos

aliter statuimus, Wilamowitzii imprimis debemus studiis, qui eiusmodi voces communis Graecorum recentiorum sermonis esse censuit, in quem ex Ionum maxime dialecto irrepsissent. Sed de huius opinionis veritate tum demum iam non dubitabitur — video enim falso dubitare Guilelmum Schmid, qui opus de Atticismo confecit — cum Hippocratis, Aristotelis, Theophrasti, aliorum genus dicendi diligenter perquisitum erit.

Atque Eduardum Norden audio discipulis auctorem fore, si hoc opusculum peritis probatum erit, ut de compluribus eiusdem fere aetatis scriptoribus, veluti de eis libris, qui vel Platonis vel Demosthenis nomine falso feruntur, hunc in modum quaerant. Quod cum non solum ad linguae communis originem cognoscendam utile sit, sed etiam, ut genuini libri a spuriis secernantur magni sit momenti (cf. ταρβέω, συγγενικός, παραζεύγνυμι al.), prospere ut eveniat nemo magis optat quam auctor, qui ipse Chrysippi copiam verborum similiter perquirere in animo habet. Tamen etiam Epicurus hunc in modum acri castigatus examine nonnihil ad quaestionem illam promovendam mea quidem sententia valebit. Consideremus igitur primum quae vocabula Epicuri ante eum apud poetas tantum obvia sint.

A I 1a.

Δι-αθρέω Us. Ep. p. 3, 4 μείζους . . βύβλους διαθρεῖν] ante Epicurum tantum legitur Eur. frg. 102, 2 συμφορὰς τὰς τῶν πέλας πάντες διαθρεῖν; frg. trag. adesp. 26, 2; Aristoph. Equ. 543[1]* τοὺς ἀνέμους διαθρῆσαι; Nub. 700* φρόντιζε δὴ καὶ διάθρει; Thesm. 658* τὰς διόδους διαθρῆσαι; cum tamen inveniatur etiam in LXX interpretum versione Pentateuchi Num. 23, 10 nec non apud Diodorum, Aelianum, alios, id ex Euripide vel Aristophane decerptum esse negabimus.

Similis est condicio vocabulorum horum:

Κατα-ξαίνω Stud. Vindob. X 195, 17 ὅταν . . μήτε τὴν σάρκα καταξαίνῃς.

Proprie dictum: Hippocr. saepe εἴρια κατεξασμένα, Plat. com. apud Pollucem 7, 30 (frg. II 693, 52 M.; 245 ed. Kock).

---

[1]) Numeri sunt editionis Bergkianae alterius Lips. 1884; *asterisco significantur loci lyrici.

Translate, ut Epicurus, Aesch. Ag. 196 [1])* κατέξαινον ἄνθος Ἀργείων Soph. Ai. 728 πέτροισι πᾶς καταξανθείς; Eur. Med. 1017 κατεξάνθην πόνοις, idem saepius, Aristoph. Ach. 320* μὴ οὐ καταξαίνειν τὸν ἄνδρα τοῦτον εἰς φοινικίδα.

In communi sermone: Parthen. 32, 11 de amantibus — VT Iudith 8, 7 καταξανῶ τὰς σάρκας ὑμῶν ἐν ταῖς ἀκάνθαις et 8, 16 — Diod. 5, 38 alii.

Καταστροφή pro θάνατος *mors* 79, 7 μέχρι γὰρ καταστροφῆς ἄδηλον = Stud. Vind. X 191, 17. Similiter Soph. Oed. C. 103 (Dind.) βίου .. πέρασιν .. καὶ καταστροφήν — Thucydides loco poetico in oratione funebri Periclis 2, 42 ἡ νῦν τῶνδε καταστροφή.

In sermone recentiore:

Polyb. 2, 10, 5. 3, 19, 10 — VT Macc. 1, 2, 49. 3, 44, alibi. Cuius notionis usus amplior vel ex eo apparet, quod Antiatticista in Bekkeri Anecd. Gr. 104, 22 eam tueri conatur: καταστροφὴν ἐπὶ τελευτῆς.

Cf. καταστρέφειν *mori* Epic. 61, 18; προκαταστρέφειν 77, 5; προκαταστροφή *mors praematura* 81, 7.

Ματάζω 22, 5 (cf. apparatum criticum) οἱ λέγοντες ἀσώματον εἶναι τὴν ψυχὴν ματάζουσιν.]

Apud poetas: Aesch. Ag. 984*, Soph. Oed. R. 891*.

Apud posteros: Philonem I 178, 7 ed. Cohn, Iosephum B. I. 6, 2, 10, alios.

† [2])Ὀγκόω 41, 15 ταῦτ' ὀγκοῖ ματαίως translate usurpatum sicut apud poetas.

Soph. frg. 856, 2 N οἶκος .. ὀγκωθεὶς χλιδῇ; Eur. Heracl. 195; Androm. 319 βίοτον ὤγκωσας μέγαν et saepe apud eundem e. g. frg. 825, 2; Aristoph. Vesp. 1024 οὐδ' ὀγκῶσαι τὸ φρόνημα; Ran. 703 (in choris); Xenoph. comm. 1, 2, 25 loco poetico.

Raro apud recentiores: Plut. conv. 1, 2, 3, [Longin.] περὶ ὕψους 28 ὤγκωσε τὴν νόησιν.

Proprie dictum: Hippocr. de artic. 14 II 136, 20 ed. Kuehlewein = IV 122 L (ἐξ-ογκοῦν) — [Aristot.] probl. 24, 7. p. 936 b 11 — Babr. 86, 3.

Πάραυτα 283, 9 pro παραυτίκα ut poetarum (Aesch. Ag. 738),

---

[1]) Numeri sunt editionis Wecklinianae.

[2]) De cruce cf. p. 8 not. 2.

ita communis sermonis: Polyb. 10, 15, 4 — Pap. Ox. I 120 vers. 2 — Pap. Br. Mus. I 90, 195 = Wessely pap. 121 v. 195, alibi — Pap. Berol. III 950, 7.

Rarius a posteris atque ita, ut num sermonis cotidiani propria vocabula fuerint dubitemus, usurpantur haec:

βρυάζω τῷ κατὰ τὸ σωμάτιον ἡδεῖ 156, 4; 337, 24 (cf. Suidam βρυάζει· εὐφραίνεται).

frg. trag. adesp. 1 βρυαζούσης (?) λεαίνης[1]) — Cratini loco corrupto poetici ut videtur coloris 2, 20 Mein. = 9 Kock.

Timoth. frg. 7 Wilam.

E prosae orationis auctoribus habent Duris (Schol. Eur. Hec. 915) et Synesius.

ἡ φιλία περιχορεύει τὴν οἰκουμένην κηρύττουσα .. Stud. Vind. X, 195, 21 loco poetico. Similiter Lucianus imag. 9 — Clem. Alex. protr. 2, 17 — Libanius IV, 1070, 23 R. Primum legitur apud Euripidem (Phoen. 320).

ταρβέω 62, 17 ὅπως μήτε ἀλγῶμεν μήτε ταρβῶμεν.

Verbum apud poetas frequens in Cypriorum[2]) ore erat: cf. Glossarium inscriptum ποῖαι γλῶσσαι κατὰ πόλεις cod. Urbinatis gr. 157 fol. 276 Κυπρίων ταρβεῖ· φοβεῖται (cf. Bekk. Anecd. p. 1095). [Plat.] Ax. 370 A — Plut. Ant. 39, 4.

De nonnullis vocabulis non dubito quin Epicurus ea ut ornamenta poetica adhibuerit, velut ἱμερτός 158, 28 τὴν ἱμερτὴν καὶ ἰσόθεόν σου εἴσοδον; οὐρανομήκης 156, 23 οὐρανομήκη σημεῖα ἐνδέδειχθε].

Her. 2, 138 — Isocr. 15, 134 (nota eam orationem ab Isocrate sene conscriptam esse) — Aristot. rhet. 3, 7 p. 1408 b 13 συγγνώμη γὰρ ὀργιζομένῳ κακὸν φάναι οὐρανόμηκες ἢ πελώριον εἰπεῖν. — Lib. or. XI § 202 t. I 506, 13 ed. Foerster ἱερὸν οὐρανόμηκες.

A I 1b.

Sunt alia vocabula, quae ut a scriptoribus vere Atticis vitantur, ita apud poetas et apud Iones hic illic leguntur. Eorum

[1]) Servatum ab Hesychio: βρυαζούσης λεαίνης ἐν Ἀθάμαντι. ἀκμαζούσης ἢ ἐγκύμονος (*Aeschyli Athamas dici videtur:* Nauck.)

[2]) Ne Boeoti quidem voce carebant: cf. Herodianum II 930, 5 Βοιωτοὶ δὲ τάρβειμι (φασίν).

certe non exigua pars Ionicam originem prae se fert, attamen certi aliquid statuere in praesens nondum audeo.

Atque praemitto tria, quae a verbis Atticis praepositione tantum praefixa differunt:

ἐξ-ακριβόω[1]) quod Epicurus in deliciis habet cf. 3, 3. 4, 8. 22, 12. 27, 2. 28, 16. 31, 17; 20 al.] Soph. Trach. 426 ταὐτὸ δ'οὐχὶ γίγνεται/δόκησιν εἰπεῖν κἀξακριβῶσαι λόγον — Hippocr. prorrhet. IX 8 ἐξηκριβῶσθαι . . πάντες οἱ τρόποι λέγονται τῶν προῤῥησίων. —

Apud recentiores:

Aristot. Eth. Nic. 1, 12. p. 1101 b 34 et bis praeterea, Theophr. H. Pl. 9, 16, 6; Polyb. 2, 56. 4; VT Dan. 7, 19, alibi.

† [2]) Κατα-ῤ-ῥέπω 41, 15 μὴ καταῤῥέπῃ ἄλλοτε ἄλλως ἐπὶ τὸν μοναχὸν τρόπον . .]

Soph. Ant. 1158 τύχη γὰρ ὀρθοῖ καὶ τύχη καταῤῥέπει τὸν εὐτυχοῦντα. ubi alteri editores καταῤῥέπειν codicum corrigunt, alteri verbum transitive usurpatum esse annotant.

In sermone pedestri

a) Ionico: Hippocr. de artic. 43 II 168, 9 K = IV 184 L τὰ ἀκρώμια καταῤῥέποντα. —

b) communi: epistula Eumenis II (Ditt. Orient. inscr. 351, 51): πάντες κατέῤῥεπον εἰς τὴν αὐτὴν ἡμῖν γνώμην; Polyb. 6, 10, 7.

περι-κυκλόω 53, 20 τὰ δὲ τὴν αὐτὴν δίνην περικυκλοῦντα].

Aristoph. in choro Av. 346 πτέρυγά τε παντᾶ ἐπίβαλε περί τε κύκλωσαι.

Her. 8, 78 et ex recentioris auctoribus sermonis, inter quos Xenophon quoque numerandus est (cf. Rutherford Phryn. p. 160 sq.):

Xen. An. 6, 3, 11 — Aristot. H. An. 4, 8 p. 533 b 11 — VT Gen. 19, 4; Exod. 36, 20[3]).

Accedit Pap. Br. Mus. II 325. 328 et περικυκλόνω Graecorum nostrae aetatis.

---

[1]) De tragicorum more quo multis verbis ἐκ-praefigunt cf. Wilamowitz Eurip. Heracles[2] II pag. 41 sq., cui cum dicit p. 42: ‚Alkaios und Anakreon zeigen nichts dergleichen' assentiri nequeo, cf. ἐκ-χαυνοῦν Alc. frg. 60, 2 Hiller[4].

[2]) Cruce significavi locos ex Epicuri epistula II sumptos, quam Usener p. XXXIX ex Epicuri περὶ φύσεως libris compilatam dicit.

[3]) Cf. Anz, subsidia ad cognoscendum Graecorum sermonem vulgarem e Pentateuchi versione Alex. repet.-Diss. phil. Hal. XII (1891) p. 312 sq..

Cetera exempla haec sunt: a. verba:

Βαρέω pro βαρύνω Epicurus in epistula ad matrem Oenoandis lapidi incisa 12 B 9 = Mus. Rh. 47, 428 οὐκ οὖν ἑκάτερον ὑμῶν ἰδίᾳ δεῖ βαρεῖσθαι δι' ἡμᾶς.]

De quo verbo audias primum Thomam Mag. p. 62, 15 R: βαρύνειν χρήσιμον, βαρεῖν δὲ ἄχρηστον παρὰ τοῖς δοκιμωτάτοις τῶν παλαιῶν. Exstat autem:

Hom. γ 139; τ 122, in novo Sapphus fragmento Berolinensi col. II v. 15 (cf. Blass, Herm. XXXVII p. 475) βάρηται i. e. βαρεῖ.

Hippocr. de morbis IV 49; VII 578 L. βαρέεται — Plat. loco poetico Conv. 203 B τὸν τοῦ Διὸς κῆπον εἰσελθὼν βεβαρημένος ηὗδεν. —

In communi sermone frequentissimum verbum fuisse docent haec testimonia:

VT Ex. 7, 14; Paul. ep. ad Cor. II 1, 8 aliaque in Novo Testamento, titulus anni 174 p. Chr. CI 5853, 13 = Inscr. It. et Sic. 221, 15, usus Graecorum hodiernorum (cf. Hatzidakis l. l. p. 396), aliaque permulta, de quibus vide Anzium l. l. p. 266, qui de forma frequenti βεβαρημένος plura dicit.

Κοπιάω 59, 3 μηδὲ γέρων . . κοπιάτω φιλοσοφῶν] Probe Atticum fuit κάμνειν cum participio coniunctum.

Loci sunt hi: Aristoph. Av. 734 ὥστε παρέσται κοπιᾶν ὑμῖν/ὑπὸ τῶν ἀγαθῶν (in choro); Thesm. 795 κἂν καταδάρθωμεν ἐν ἀλλοτρίων παίζουσαι καὶ κοπιῶσαι (in parabasi) et in duobus eius fragmentis.

Κοπιῶ τὰ σκέλη dicit Alexis 3, 451 M = 147 K neque Menander voce caret.

In sermone pedestri:

Hipp. de victu sal. 7 VI 82 L ὁκόσοι κοπιῶσιν ἐκ τῶν δρόμων, ibidem τῷ κοπιῶντι, de victu II 66 VI 582 L (bis), de locis 10 VI 294 L, de affect. internis 50 VII 294.

Aristot. H. Anim. 9, 26 p. 605 a 30 et saepius.

VT Sir. 40, 31 δραμοῦνται καὶ οὐ κοπιάσουσι; ibidem 49, 4; in NT saepissime, ut ev. Io. 4, 6, et apud posteriores.

Accedunt titulus Inscr. Sic. et It. 1811 Λογγίνῳ κοπιάσαντι i. e. defuncto, et mag. papyrus Parisina v. 1766 (Wessely p. 88).

Χαυνόω 306, 18 ἡ ταπεινὴ ψυχὴ τοῖς . . εὐημερήμασιν ἐχαυνώθη.

Simili modo translate usurpatum ab Alcaeo frg. 60, 2 ed. Hiller[4]: ἐκ δὲ παίδων χαύνοις φρένας cum ἐκ-in tmesi, ab Euripide

Andr. 931 τούσδ' ἐχαύνωσαν λόγους, ab Hippocrate de artic. 42 II 167, 11 K=IV 182 L ἐκ-χαυνοῦν τὸν πολὺν ὄχλον.

Plat. loco poetico Lys. 210 E οὕτω χρὴ . . τοῖς παιδικοῖς διαλέγεσθαι ταπεινοῦντα καὶ συστέλλοντα, ἀλλὰ μὴ ὥσπερ σὺ χαυνοῦντα καὶ διαθρύπτοντα.

[Aristot.] de virt. et vit. 7 p. 1251 b 18 χαυνοῦσθαι τιμώμενον μικροψυχίας ἐστίν — Polyb. 6, 57, 7 — Babr. 95, 36 ὁ νοῦς ἐχαυνώθη.

Sensus proprius verbi est apud Ephippum comicum 3, 326 M = 6, 5 K χαυνοῦσ' . . . . .[1]) (τὸ στόμα) et Democritum cf. Aelian. N. A. XII, 17 Δημόκριτος λέγει . . χαυνοῦσθαι . . ὑπὸ τοῦ νότου τὰ σώματα ταῖς κυούσαις (cf. Diels Fragm. der Vorsokratiker p. 398).

b) substantiva:

Εὐθυμία in epistula ad matrem fg. 9, 1 (Mus. Rh. 47, 426) οὐδὲν οὕτως εὐθυμίας ποιητικόν, ubi Usener bene annotavit Epicurum de εὐθυμίῃ Democritea loqui (cf. Diels l. l. p. 440 frg. 191).

Primum legitur apud Pindarum Isthm. 1, 63; Ol. 2, 38, deinde apud [Hippocratem] epid. II, V 126 L; epid. IV, V 252 L et Xenophontem (ter in Cyropaedia).

Etiam Aristoteli, si quidem eius est problema 30, 1 p. 954 a 25, aliisque recentioribus in usu est.

πέμψον μοι τυροῦ

κυθρίδιον scripsit Epicurus in epistula quadam 156, 17, ad quam Usener annotat: *ut ad Ionicum amicum ionica utitur forma*, perbene, sed forma non solum Ionica fuit, sed etiam κοινῆς propria. Cf. Hatzidakis p. 161 qui ut Ioseph. A. I. 8, 3, 6; Clem. Al. paed. 2, 5 alia affert, ita omittit Hippocr. de morb. mul. I 51 VIII 110 L, ubi codex θ Vindobonensis formam κυθρίδιον praebet.

χυτρίδιον exstat Hippocr. VII, 238. 394 L, Aristoph. Ach. 463, 1175; Pac. 202; Eccl. 745 — Alex. com. 3, 494 M = 244 K — [Aristot.] mirab. 141 p. 845 a 5; in papyro magica Lugd. col. 13, 21. 32.

Notes quaeso etiam formam deminutivam. Cf. ἀκάτιον 150, 10. σωμάτιον 156, 4; ἐπιστόλιον 146, 14.

Περιπλοκή. 8, 4 αἱ ἄτομοι . . τῇ περιπλοκῇ κεκλιμέναι 8, 9: vox nota philosophiae atomisticae; cf. Democriti fragm. e. g.

---

[1]) χαυνοῦσ' libri; χανοῦσ' Meinekius et Kockius, non recte mea quidem sententia.

Diels p. 375, 38 et Galen. II 59 K.; primum apud Euripidem Phoen. 495 περιπλοκὰς λόγων.

Antiphan. 3, 41 M = frg. 74, 1 K περιπλοκὰς λίαν ἐρωτᾷς et Strat. com. 4, 546 = frg. 1, 35 K τί οὖν περιπλοκὰς λέγεις; i. e. *ambages*.

Sermonis pedestris auctores vocabulo usi sunt inde ab Aristotele H. An. 5, 4 p. 540 b 4 (de coitu), similiter Polyb. 2, 56, 7 (γυναικῶν), aliter Marcus Anton. 12, 1 ἵνα ἐλευθέρως καὶ χωρὶς περιπλοκῆς λέγῃς et Pap. Ox. III 533, 10 μὴ ἔχωμεν περιπλοκὰς πρὸς τὸν ἀντίδικον.

Huc etiam referendum videtur

† Περίστασις cuius sensus primarius τὸ περιεστηκέναι apparet Epic. 49, 13 διὰ τὴν ... ψυχρασίας περίστασιν, Teleclid. com. 2, 375 M = 35 K δόμων περίστασις; [Aristot.] probl. 2, 29 p. 869 a 21 διὰ τὴν τοῦ ψυχροῦ περίστασιν, paulo aliter VT Ezech. 26, 8 ποιήσει ἐπὶ σὲ κύκλῳ περίστασιν ὅπλων.

A posteris mutatur notio ita ut condicionem, res adversas, calamitatem significet: ut [Hippocr.] praec. 3 IX 254 L πάντα γὰρ τὰ πάθη διὰ πολλὰς περιστάσιας καὶ μεταβολὰς μονῇ τινὶ προσκαθίζει. — apud Epicurum 39, 13 τοιαύτης οὔσης τῆς περιστάσεως; Teletem 40, 1. 41, 7 (= *temporis ratio*) — apud Polybium saepe — Pap. Paris. 367, 164 κατὰ τὴν ὁμοίαν περίστασιν (II. saec. a. Chr.); Pap. Br. Mus. I 30, 21 ἐνβεβλοφέναι εἰς τὴν ἡμετέραν περίστασιν Pap. Paris. 217, 14 (a. 120 a. Chr.) in titulis, ut Ditt. syll.[2] 529, 2, 7 (Tomis I saec. a. Chr.) διὰ τὰς τῶν καιρῶν περιστάσεις.

De notione calamitatis, quamquam apud Epicurum non reperitur vide Phryn. 376 Lob. (473 Ruth.) περίστασις ἀντὶ τοῦ συμφορὰ τιθέασιν οἱ Στωικοί et Antiatticistam repugnantem (Bekk. Anecd. 112).

Cf. Inscr. Graec. II 1, 628 διὰ τὴν κοινὴν περίστασιν (cladem Sullanam).

Vocabulum † Πρηστήρ (Epic. 47, 7) cum nusquam fere in communi sermone occurrat — nam pap. mag. Paris. v. 1159 τοὺς πρηστῆρας ἀνάγων, v. 3059 ὁρκίζω σε τὸν τῶν γιγάντων τοῖς πρηστῆρσι καταφλέξαντα poetici coloris videntur — breviter tango: cf. Hes. Th. 846; Eur. frg. 384, 3. 1, 3, 1; Aristoph. Lys. 974 (in choro); Heraclitum frg. 31; Xenoph. Hell. Aristot. meteor. 1, p. 1339 a 4 Theophr. frg. 5, 53, Aelianum, Plutarchum.

Πρόσοψις Stud. Vind. X 192, 24 ἀφαιρουμένης προσόψεως ... ἐκλύεται τὸ ἐρωτικὸν πάθος.].

Apud poetas: Pindarum Pyth. 4, 29; Soph. El. 1286* φιλτάταν ἔχων πρόσοψιν; Ai. 70; Eur. Andr. 685 ἐς πρόσοψιν τῆς ἐμῆς ἐλθὼν / γυναικός.

In sermone pedestri

a) Ionico [Hippocr.] epid. V, V 208 οἵονπερ λέπρη τὴν πρόσοψιν.

b) recentiorum: VT Dan. 2, 31 (bis) πρόσοψις τῆς εἰκόνος φοβερά; Macc. 2, 6, 18.

C. I. add. 3846 l. 60, 4530.

Falso afferri videntur loci Thuc. 2, 89. 4, 29 cf. Krueger ad hunc locum.

† Ῥῆξις 44, 16 tonitrus fieri κατὰ ῥῆξιν . . νεφῶν].

Alc. frg. 149 Bergk.[4] Eur. Phoen. 1256: ἐμπύρους τ' ἀκμὰς | ῥήξεις τ' ἐνώμων . .

saepissime apud Hippocratem, velut progn. I 84, 11 K = II 126 L αἵματος ῥῆξιν διὰ ῥινῶν; aphor. IV 530 φλεβίου ῥῆξιν. Cf. etiam Aristot. de gen. an. 4, 4 p. 773 a 19; Theophr. frg. 3, 17; auctorem περὶ κόσμου 4 p. 394 b 17; Plutarchum. Alii permulti ῥῆγμα praeferunt.

† Ὑγρασία 50, 2. 9. Vocabula in ασία, velut θερμασία pro θερμότης (cf. infra s. v.), ψυχρασία pro ψυχρότης (cf. infra s. v.), ut Ionicae originis[1]), ita frequentia in κοινῇ ideoque ab Atticistis damnantur. Cf. quae de θερμασία dicemus et Hatzidakis l. l. 287.

Anaximander θάλασσαν dixit εἶναι τῆς πρώτης ὑγρασίας λείψανον (Diels Vorsokr. p. 20). Creberrima est vox apud Hippocratem, ut aphor. IV 552 L; de flatibus 12 VI 108.

Habent etiam Alexis comicus 3, 440 M (= 124 K) atque quinque locis Aristoteles, Theophr. H. Pl. 3, 13, 2. 6; C. Pl. 5, 11, 2; VT Ezech. 7, 17; Diodorus aliique.

c) adiectiva:

† Ἀραιός 37, 9 exstat quidem in additamento ab Usenero infra textum posito, sed Epicuro talis vocis usus vindicandus est propterea quod ipse 49, 14 ἀραιότης habet et quia ἀραιός apud omnes fere philosophos Ionicos, e quibus nostrum pendere constat, occurrit, cum mundi creationem describunt; cf. Anaxim. frg. 1; Empedocl. frg. 104 καὶ καθ' ὅσον ἀραιότατα ξυνέκυρσε πεσόντα, Melissum frg. 7 e. q. s.

[1]) Apud Hippocratem ingens est multitudo vocum in -ασίη, e. g. ξηρασίη φλεγμασίη, ἰσχνασίη, θερμασίη.

Propter locos Homeri, Hippocratis de vet. med. I 27, 2 K= I 626 L; epid. I 204, 18 K = III 688 L permultos alios apud eundem, philosophorum quos supra attuli, vocem ionicae originis esse arbitror, praesertim cum Attici usus nulla exstent vestigia. Nam Xenophon (rep. Lac. 11, 6) id ex Iade sumpsisse mihi cum aliis videtur; cf. Rutherf. Phryn. p. 166, Thumb l. l. p. 215.

E reliquis habent Aristoteles (cf. Bonitz s. v.), Chrysippus II 222, 23, Lucianus, Babrius 108, 6. Vivit vox etiam in sermone neograeco: ἀριά adv. (Thumb p. 215)[1]).

Εὐσταθής proprium Epicuri, e. g. 121, 34: τὸ ... εὐσταθὲς σαρκὸς κατάστημα, vituperatum ab Atticistis Phryn. p. 238 L, 347 R; Thom. M. p. 110, 8 neque immerito: exstat enim in sermone pedestri: Hippocr. epid. I 181, 13 K = II 600 L; aphor. IV 488 L εὐσταθέες νοῦσοι apud Democritum frg. 191 αἱ δ' ἐκ μεγάλων διαστημάτων κινούμεναι τῶν ψυχῶν οὔτε εὐσταθέες.. οὔτε εὔθυμοι. Hoc quoque in vocabulo adhibendo Epicurum a Democrito pendere apparet neque recte Rutherfordius Phryn. 347: *Epicurus re-introduced the words* (scil. εὐσταθής et εὐστάθεια) *and his example was followed by subsequent writers.* Primum enim virum illum doctum fugerat locus Democriteus; tum explicari non poterit, quomodo homines illiterati qui Veteris Testamenti Es. 3, 13; Sir. 26, 18 interpretati sunt vel is qui epigramma Kaib. 393, 1 fecit, illam vocem ex Epicuro depromere potuerint. Sed appono reliqua testimonia:

Hom. σ 374 μέγαρον; ψ 178 θάλαμος proprie, ut Kaib. ep. 618, 7 ἅρμα.

Dionis H. — Philonis — Procopii 117, 4[2]).

Ὁλοσχερής 3, 5 κατασχεῖν τῶν ὁλοσχερωτάτων (cf. Useneri annotationem) δοξῶν; 4, 1 τῶν ὁλοσχερωτάτων τύπων. Vocabulum ab Atticistis damnatum est, id quod elucet e verbis Antiatticistae in Bekk. Anecd. p. 110 ὁλοσχερῶς Δίφιλος. Adiectivi usus incipit a Sophocle (frg. 1026, 4 N) et Hippocrate de alimento 26 IX 106 L

---

[1]) Aquila in interpretatione VTi duobus locis ἀραιός pro ταπεινός LXX interpretum posuit: Psalm. 81, 3; Prov. 10, 15.

[2]) Cf. Luigi Galante, Studi sull'Atticismo II. L'Atticismo di Procopio di Gaza, Firenze 1904 p. 117, qui in eo errat, quod vocabulum inter bona Attica numerat.

αἷμα ὁλοσχερές = *integrum*. Eiusdem temporis est titulus apud Bechtelium, Ion. Inschr. no. 43, 9 = Ditt. syll.[2] 468.

Frequens est apud posteros: Theophr. H. Pl. 3, 18, 5 τῷ δὲ σχήματι τὸ ὁλοσχερές ..— [Theocritum] 25, 210 βάκτρον .. ὁλοσχερὲς ἔσπασα — Polyb. 2, 15, 3 ἡ ὁλοσχερεστάτη χορηγία (*praecipua pars commeatus*) et persaepe, alios.

His litterarum testimoniis magna papyrorum et titulorum addi potest copia: Pap. Paris. 364, 81 ὁλοσχερέστερον ἐπεσταλκέναι (2. saec. a. C.); C. I. I 1770, 4 ὁλο[σχερ]ῶς in edicto Flaminini cos. (2. s. a. C.)[1]).

Inscr. Perg. 163 B col. II, 7 (aetatis Eumenis II) τὰ μὲν ὁλοσχερῆ (*„die allgemeinen Gesichtspunkte“*, Fraenkel); C. I. III 4717, 20 (— ῶς) Aegypt. tit. primi saec. a. C., Pap. Berol. I 86,24 ὁλοσχερὴς ἐξουσία; Pap. Br. Mus. II 220.

Neque omittam locos VTi Ez. 22, 50; Macc. 2, 5, 31.

Προσεμφερής 19, 18 ἡ ψυχὴ σῶμά ἐστι λεπτομερὲς ... προσεμφερέστατον δὲ πνεύματι; 20, 1 προσεμφερές.]

Eur. frg. 382, 13 — Agath. 4, 3; Theodect. frg. 6, 4; frg. trag. adespot. 117.

Pollux 9, 130 etiam Aristophani vocem tribuit (frg. 2,1136 M = 460 K).

Herodotus 4, 2, Xenophon Conv. 4, 19, Aristoteles tribus locis, Theophrastus decies usurpant illud vocabulum, quod post eos ex ore hominum evanuisse videtur. Non ita

Προσηνής. λεῖα καὶ προσηνῆ κινήματα τῆς σαρκός Epicurus voluptates dixit (279, 22 alibi quoque).

In poesi:

Anacr. frg. 12 ed Hiller[4]: οὐ δηὖτ' ἔμπεδός εἰμι οὐδ' ἀστοῖσι προσηνής.

Pind. Pyth. 3, 52 — Emped. frg. 130 ed. Diels: ἦσαν δὲ κτίλα πάντα καὶ ἀνθρώποισι προσηνῆ — Serap. frg. trag. 1, 2 — Menand. 4, 251 = 584 K.

In sermone pedestri:

Her. 2, 94 — Hippocr. I. 113, 22 K = II 244 L; I 120, 4 K = II 272 L; II 227, 20 = IV 294 ἱμάντι ... ἰσχυρῷ, προσηνεῖ et saepissime.

---

[1]) Cf. P. Viereck, Sermo Graecus quo senatus populusque Rom. ... usi sunt, Gott. 1888 p. 75.

Ex Atticis unus Thucydides (6, 77 in oratione) nominandus est; e recentioribus: Teles 20, 3 — [Aristoteles] physiogn. 5 p. 809 a 31 — Marcus Antoninus 5, 9 — Lucianus — Libanius, alii;

e titulis: Inscr. Perg. 167, 11 (a. 165 a. C.); CI 6306 = Kaib. epigr. 610, 2; CI add. 2113 c = Kaib. 538, alii.

Λιτός (Epic. 63, 12 λιτοὶ χυλοί) quoque huc referendum est. Quanquam enim in Ionum sermone pedestri non prius quam apud auctorem recentiorem libri de honestate, qui in corpore Hippocratico servatur, exstat, tamen λιτότης iam a Democrito dictum est: frg. 274 καλὸν . . κόσμου λιτότης.

Atque primum quidem legitur in fragmento Euripidis (327, 3 N): ὅταν δέ τις λιτῶν (λεπτῶν = λειτῶν libri) ἀπ' οἴκων εὖ λέγῃ πένης ἀνήρ, deinde apud Moschionem (frg. 9, 2 N.): Ἄργους δυνάστης λιτὸς ἐκ τυραννικῶν θρόνων.

Similiter Menand. 4, 200 M = frg. 422 K λιτὸν . . χλαμύδιον; 4, 258 = frg. 633 κἀπραξία γὰρ λιτὸν οὐ τρέφει βίον; Dionysius 3, 555 = frg. 7 K — Callimachus h. in Apoll. 1059: ὅς μιν ἴδῃ μέγας οὗτος · ὅς οὐκ ἴδε λιτὸς ἐκεῖνος · ὀψόμεθ', ὦ 'Εκάεργε, καὶ ἐσσόμεθ' οὐκέτι λιτοί; Lav. Pall. 25 λιτὰ . . χρίματα.

In sermone pedestri:

[Hippocr.] de honest. 8 IX 236 παρέξοδος λιτοτέρη; ibidem 228 L ἐστάλθαι λιτῶς (cod. Q, videtur glossa).

Aristot. rhet. 3, 16. p. 1416 b 25 λιτὸς λόγος. — Cynicorum proprium cf. Telet. 9, 13; 32, 18; saepius a Polybio usurpatum, deinde a multis, ut a Iosepho B. I. 5, 5, 7 (ἐσθῆτα . . λιτοτέραν), Epicteto, Plutarcho.

Varia lectio est in LXX VTi interpretatione: Iudic. 11, 3 ἄνδρες λιτοί A (κενοί B). Accedunt titulus Creticus tertii a. C. saeculi Ditt. syll.[2] 463, 116 αἱ δὲ λισσὸς εἴη *si solvere non poterit,* pap. Ox. II 281, 11 ἐπιδεξαμένη αὐτὸν . . λιτὸν παντελῶς ὄντα; sim. ibid. 22.

Cf. etiam Hesychium λιτός · ἁπλοῦς, εὐτελής et λισσούς · δεομένους. De etymologia v. Prellwitz, Wörterb. s. v. λεῖος.

Συγγενικός hunc in ordinem redegi, quamquam e numero poetarum unus testis Alexis comicus (3, 397 M = 30.7 K) est: τί τῶν κοινῶν κάτω καὶ συγγενικῶν δύναιτ' ἂν ἄνθρωπον φυγεῖν, ubi notionem eandem quam apud Epicurum 63, 2 ἀγαθὸν πρῶτον καὶ συγγενικόν videmus = σύμφυτον (Plat.) *congenitus.* Simili modo Hippocrates de

umoribus 12 492 L οἱ τρόποι τῶν νούσων, τὰ μὲν συγγενικά ... τὰ δὲ ἐκ τοῦ σώματος . . [Hipp.] epid. IV, V 174 L. Hipp. epid. III, I 221, 2 K =III 52 L συγγενικὸν φθινῶδες. Nausiphanes dixit frg. 2 τὸ συγγενικὸν τέλος, quem locum magistri Epicurus l. l. respexit. Cf. deinde Aristot. probl. 4, 18 p. 878 b 27 συγγενικαὶ τρίχες; Dionys. Hal. A. R. 2 10; Plut. Pericl. 22 συγγενικὰ νοσήματα.

Titulus: Ditt. Orient. Inscr. 470, 20 συγγενικοῖς . . στεφάνοις κεκοσμῆσθαι aetatis Augusteae est.

[Demosthenes] 25, 89 συγγενικῶς καὶ φιλανθρώπως οἰκεῖτε τὴν πόλιν notionem familiaritatis subesse vult, quam Aristoteles quoque posterioresque exhibent.

A I 1 c.

Transeo ad ea vocabula quae ante Epicurum occurrunt et apud poetas, plerumque eos, qui fines sermonis cotidiani vix excedunt, et apud nonnullos scriptores non probe Atticos.

Huius generis haec habeo exempla:

Ἁ δ ρ ό τ η ς 31, 16 ἀσύμβλητον αὐτὸν (scil. τὸν λόγον) πρὸς τοὺς λοιποὺς ἀνθρώπους ἁδρότητα λήψεσθαι].

Hom. Π 857 ψυχὴ δ'ἐκ ῥεθέων πταμένη Ἀιδόσδε βεβήκειν ... λιποῦσ'ἁδρότητα καὶ ἥβην; Ω 6 Πατρόκλου ποθέων ἁδρότητά τε καὶ μένος ἠύ. Quid de Aristarchi lectione ἀνδρότητα iudicandum sit, nemo est quin sciat. Significat autem ἁδρότης *maturitatem* (cf. Her. 1, 17 ἁδροὶ καρποί; Arist. Metaph. 4, 7 p. 1017 b 8 σῖτος μήπω ἁδρός; de pueris Plat. Polit. 5, 466 E, — ἁδρότης frugum Theophr. H. Pl. 4, 12, 1), deinde omnia, quae vastitate quadam et robore praedita sunt (cf. Alexidem 3,461 M = 170 K ἰχθὺς ἁδρός), unde Epicuri notio translata: *vis, gravitas.*

In NTo Paul. ep. ad Cor. II 8, 20 i. q. copia.

Apud Aeschylum primum leguntur haec:

Ν ε ά ζ ω 59, 8 φιλοσοφητέον .. τῷ νέῳ ὅπως γηράσκων νεάζῃ τοῖς ἀγαθοῖς.]

Cf. Aesch. Ag. *761 φιλεῖ δὲ τίκτειν ὕβρις μὲν παλαιὰ νεάζουσαν ἐν κακοῖς βροτῶν, Suppl.* 111 — Soph. Trach. 144 νεάζων καὶ χρόνῳ μείων γεγώς — Eur. Phoen. 714. [Anacr.] 37, 5 φρένας νεάζει.

Sermonis communis deinde factum esse verbum docent hi loci: Menand. 4, 276 M = 749 K — Aristot. de plantis 1, 1. p. 815 a 33 — Philonis aliorumque.

Π ί σ τ ω μ α 81, 5 τὸ βεβαιότατον — ἔχοντες].

Raro id quidem vocabulum legitur: Aesch. Pers. 174; Cho.

975; Eum. 214 (semper in plurali numero); Empedocl. frg. 5 ὡς δὲ παρ' ἡμετέρης κέλεται πιστώματα Μούσης.

In recentiore sermone: Aristot. Rhet. 1, 15 p. 1376 a 17 — in litteris Iudaicis bis: in Talmud cf. Sam. Krauss, Griech. und lat. Lehnwörter im Talmud, Berol. 1898/9, II p. 469, in Midrasch cf. Fuerst, Gloss. graeco-hebr. I p. 175.

Euripides haec duo verba primus praebet:

1. Καρπίζομαι 61, 17 ὁ σοφὸς.. χρόνον οὐ τὸν μήκιστον, ἀλλὰ τὸν ἥδιστον καρπίζεται.] Verbum a probae Atthidis studiosis spretum tuetur Antiatticista in Bekk. Anecd. p. 104, 5 καρπίσασθαι ἀντὶ τοῦ καρπώσασθαι. Exstat autem Eur. Hel. 1328*, Bacch. 401*, active = *fecundare*, unde notio generis medii, quae est *fructum percipere*, facile derivatur: sic Theophr. H. Pl. 8, 9, 1 — Theopompus apud Athenaeum VI 261 a — in V T Iob 5, 11 (A R); Prov. 8, 19 — neque ea voce abstinuit Hyperides frg. 119 Blass[3]. Cf. Hermog. III p. 382 W ἴδιον δὲ Ὑπερείδου τὸ.. ταῖς λέξεσιν ἀφειδέστερόν πως καὶ ἀμελέστερον χρῆσθαι..

Accedunt permulti tituli (v. Ditt. syll. indicem s. v.) et papyri: pap. Berol. I 101, 7; 179, 15; pap. Rain. I, 27, 27; pap. Ox. II 174, aliae.

In ore Graecorum nostrae quoque aetatis est.

2. Παρα-ζεύγνυμι 116, 7 (φύσεις) ἑτέραις παραζυγεῖσαι]. Similiter Eur. Ion. 22 κείνῳ γὰρ ἡ Διὸς κούρη φρουρὼ παραζεύξασα φύλακε σώματος; idem frg. 520 εἰ παραζεύξειέ τις χρηστῷ πονηρὸν λέκτρον et frg. 1055, 2 de conubio adhibuit.

Deinde verbum apud [Demosth.] prooem. 55 — apud LXX interpretes Iud. 10, 18, alios exstat.

In Alexidis fragmento (3, 477 M = 205 K) primum occurrit ἀσχολέομαι: ἐπειδὰν ἀσχολουμένους λάβω. Similiter Epicurus 162, 7 = Stud. Vind. X 192, 14 ὁ δὲ βίος μελλησμῷ παραπόλλυται καὶ εἷς ἕκαστος ἡμῶν ἀσχολούμενος ἀποθνήσκει [1]).

Cf. etiam Menand. 4, 315 M = 999 K med., Philem. 4, 66 M = 220 K act. — Aristot. Polit. 8, 3 p. 1338 a 4, alibi, active, Eth. Nic. 11, 7 p. 1177 b 4 med. ἀσχολούμεθα, ἵνα σχολάζωμεν — Polyb. 8, 5, 5 ἀσχολεῖσθαι ἐκ τοῦ καιροῦ *improvisis laboribus occupari* — Diodorus — Iosephus — permulti alii usque ad hunc diem. — In papyris: pap.

[1]) Nordenus me monuit et in hac sententia (ἕκαστος ἡμῶν ἀσχολούμενος) et in sequenti (s. v. ἀλυπία) vestigia trimetri iambici inesse, qua ex re recte conicit esse aliquam rationem inter Epicurum et illius aetatis comicos.

Paris. p. 320, 25, pap. Berol. II 665 II 8, saepe οἱ ἀσχολούμενοι significat „*Die Beamten*", ut pap. Ox. I 44, 7. 23 (I saec. a. C.) pap. Greek Br. Mus. 299, alibi.

Ἀλυπία 325, 32 τὸ εὔδαιμον ... οὐ χρημάτων πλῆθος ... ἀλλ' ἀλυπία]

Primum in poesi legitur in fragmento Menandri (4, 238 M = 549 K) μηδέποτε τὴν ἀλυπίαν | αἰτοῦ παρὰ θεῶν, deinde in Menandri quae vocantur monostichis 318 ἀλυπία δ' ὅρμος βίου (cf. Epicuri locum allatum).

In sermone pedestri inde ab Aristotele Rhet. 1, 7 p. 1365 b 13 rarum est.

Apud Theophrastum (H. Pl. 2, 4, 2) valet idem atque ἀβλάβεια.

A I 2 a.

Maior est copia eorum vocabulorum, quae ut a poetis vitantur, ita in Ionum aliorumque pedestri occurrunt sermone. Haec ita disposui, ut primum ea tractarentur, quae ante Epicurum apud Iones tantum leguntur, deinde ea, quae etiam apud alios non probae Atthidis auctores, Aristotelem praecipue, exstant. Atque cum id maxime agam, ut communis sermo melius perspiciatur, ea ex tanto numero copiosius explicabo, quae aliqua de causa a κοινῇ non aliena sunt, brevius ea, quae vel nusquam apud posteriores occurrunt vel ita, ut in usu doctorum quorundam mansisse videantur.

α.

Apud Iones solos occurrunt:

Ἀταραξία notissima Epicuri ethicorum vox num iam ante hunc in usu fuerit, pro certo non habeo.

Occurrit enim, si Iones respicimus, primum in Praeceptis [1]), quae quamquam Hippocrati tributa sunt, tamen auctoris recentioris videntur esse (cf. Littrei praefationem IX p. 246 sq.) vel interpolatorum fraude corrupta (cf. eundem p. 252 ann. 5). Equidem e nonnullis eius libelli locis mihi persuasi Praecepta Hippocratica post Epicurum ita conscripta esse, ut is, qui illum librum edidit, veteri doctrinae nova quaedam admisceret.

Vocabula enim ἀταραξία, περίστασις (translate), κατεργασία, χορηγία transl., περίπτωσις, quae in ceteris corporis Hippocratici libris non leguntur, sed inde ab Aristotele demum vel Epicuro, in Prae-

[1]) V 270, 13 L νούσου ἀταραξίη μῆκος σημαίνει Littreus iure coniecit ἀταξίη.

Praeceptis illis occurrunt. Quin etiam tota sententia p. 252, 6 sq. cum Epicuri quodam loco paene ad verbum consentit.

Deinde ἀταραξία in epistula spuria Hippocratis ad Damagetum legitur, quam ut ceteras rhetorum scholam sapere omnes sciunt.

Vocabulum alibi quoque exstat: in pap. Parisina magica 685 (Wessely p. 62), Maccab. 4, 8, 26, apud Clementem Alexandrinum, Epictetum, alios, et in lingua neograeca.

Ἐκχώρησις 74, 13 ἡ ἐκ τῆς ἡσυχίας καὶ ἐκχωρήσεως (ἐγχωρήσεως Diogenis L. codices BFPQ) τῶν πολλῶν ἀσφάλεια.

Quae vox legitur [Hippocr.] 8, 86 L ποιήσασθαι τὴν ἐκχώρησιν i. e. ἐκχωρεῖν, in titulo Smyrnaeo C. I. II 3394 b κατὰ τὴν γεγονυῖαν ἐκχώρησιν (= *cessionem*), apud Georgium Pachymerem.

† Ἐπινέμησις (40, 7 ἐπινέμησιν τοῦ πυρός) occurrit primum [Hipp.] Praec. 8 IX 262 (sed cf. supra s. v. ἀταραξία) ἄκεσις γὰρ καὶ ἐπίτασις νοσέοντος ἐπινέμησιν ἰητρικὴν κέχρηνται (vulgo κέκτηνται), raro praeterea in litteris, e. g. Plut. Lys. 12, frequenter in papyris = *indictio* Cf. pap. Ox. I 126 ann. 10: *„which is most infrequent in literary writers, is almost as common as* ἰνδικτίων *in the Oxyrhynchos Papyri."*

Legi etiam pap. Rain. I 95, 5.

Εὐστάθεια Epicuri propium. Cf. 283, 27 τὴν τῆς σαρκὸς εὐστάθειαν.

Quae vox ab Atticistis improbata ut Ionum fuit (Hippocratis), ita in communem sermonem recepta est: VT Sap. Sal. 6, 26, alibi in VTo, apud Philonem, Iamblich. v. Pyth. p. 134, 18 N.

Accedunt quattuor tituli:

Ditt. Orient. Inscr. 244, 15 τοῦ σώματος (aetatis Antiochi III), 669, 4 τὴν Αἴγυπτον ἐν εὐσταθείᾳ διάγουσαν, 45 τὴν Αἴγυπτον ἐν εὐσταθείᾳ διαμένειν (primi p. C. saeculi); Ditt. syll. 737, 15 (II vel III saec. p. C.) CI II 2071, 10 saepe τῆς πόλεως (tit. Olbiopolit.).

† Λαμπηδών 45, 8 λαμπηδόνα ταύτην i. e. *fulgur*.

Hippocr. Coac. Praen. 214 V 632 L τῶν ὀμμάτων — Diodor. 3, 37, 9 — Plut. Aem. Paul. 18 — Aquil. interpret. VT Es. 58, 11. Apud Libanium t. II 591, 22 in editione Reiskiana falso λαμπηδόνος pro λαμπάδος legitur. Cf. Foersterum ad. t. IV 7, 20.

pap. Parisina mag. 531 τῆς ἀθανάτου λαμπηδόνος (cf. Wessely p. 58).

Λίπασμα Epicuro vitio vertit Cleomedes (Us. Ep. 89, 22) suo ille quidem iure. Vocabulum autem legitur et apud Hippocratem de alimento 16, IX 104 et in VTo Nehem. 8, 10 φάγετε λιπάσματα, alibi quoque; nota etiam Maneth. 4, 345.

Ὁμορέω † 51, 5 τὰ ὁμοροῦντα τοῦ ἀέρος; 81, 3 τὸ θαρρεῖν ἐκ τῶν ὁμορούντων παρασκευάσασθαι] Her. 2, 33; 7, 123; 8, 47 (ὁμουρέω), VT Ezech. 16, 26. Chron. 1, 12, 40. Ierem. 27, 40 — Strabo — Diodorus — Plutarchus — alii.

Titulorum exempla: Ditt. Orient. Inscr. 199, 32 τὰ ἔθνη τὰ ὁμοροῦντα τῇ ἐμῇ γῇ (tit. Adulit. I saec. p. C.) 221, 22. 31 (tit. Ilii inventus, aetatis Antiochi I); Ditt. syll. 614, 16 = Collitz-Bechtel, gr. Dial. III 3705 (tit. Dor. Coi insulae).

Ὄχλησις 73, 8 τὰ τινῶν ἡδονῶν ποιητικὰ... ἐπιφέρει τὰς ὀχλήσεις τῶν ἡδονῶν] Democrit. frg. 212 ἡμερήσιοι ὕπνοι σώματος ὄχλησιν σημαίνουσιν.

Strab. p. 704; Dion. H. de Thucyd. propr. c. 10 ὅταν τὴν μὲν ταραχὴν τάραχον καλῇ.. καὶ τὴν ὄχλησιν ὄχλον (scil. Thucydides, cf. τάραχος infra); Marc. Ant. 4, 3 — Lucianus — alii.

Audiamus Moeridem p. 289 P: ὄχλον ἐπὶ πλήθους Ἀττικῶς τὴν μὲν παρὰ τοῖς Ἕλλησι λεγομένην ὄχλησιν.

† Ἀνείλησις 44, 14 βροντὴν.. γίνεσθαι κατὰ πνεύματος ἐν τοῖς κοιλώμασι τῶν νεφῶν ἀνείλησιν

et δυσφορία 291,10 μηδ' εἰς τὰ πράγματα τρέπωμεν τὰς δυσφορίας apud nullum alium scriptorem inveni nisi apud Hippocratem, illud epid. III, I 228, 16 K = III 88 L (= *convolutio in febribus*), hoc saepius, ut de umoribus 3 V 480 L, Coac. Praen. V 588 L.

β.

His subiungere liceat ea, quae praeter Iones etiam aliorum in usu fuere neque tamen eorum, qui pro norma purae Atthidis habendi sunt.

a) verba:

† διεκ-πίπτω 45, 13 φωτὸς.. διεκπίπτοντος διὰ τῶν νεφῶν Hippocr. Coac. Praen. V 596. 646 — [Aristot.] probl. 14, 14 p. 910 a 17: 16 p. 910 b 5 — Theophr. de igni 1, 17 — Diod. 4, 54 — Galen. III 715 K — alii.

† Ἐκ-θλίβω 50, 20] Hippocr. VI 292, saepius — Xen. An. 3, 4, 19. 20 — Aristot. Hist. An. 6, 28 p. 578 b 4 al. — Theophr. de od. 24 — in VTo Gen. 40, 11; Lev. 22, 24 — Diod. 20, 71 — Phil. 4, 147, 3 ed. Cohn etc.

Κ α τ α - μ ε τ ρ έ ω 17, 10 τὰ μεγέθη καταμετροῦντα; 75, 11 ἐάν τις τὰ πέρατα καταμετρήσῃ] Her. 3, 91 — Xen. Oec. 4, 21 — Aristot. Metaph. 4, 25 p. 1023 b 15, alibi — LXX Num. 34, 7; Amos 7, 17 — Archimed. II 254, 9 H — Polyb. — et posteriores.

Usum vulgarem ostendunt pap. Flinders P. I p. 37, 2 (III saec. a. C.) καταμεμετρη[μένων κλήρω]ν et titulus Pergamenus 158, 2 τά τε καταμετ[ρ] ...; cf. 157, D 18 (ἡ καταμέτρησις τῆς χώρας).

† Κ α τ - ε ι λ έ ω 40, 13 ἐξ ἀρχῆς τοιαύτην δίνην κατειληθῆναι τοῖς ἄστροις .. Herodotus passim — Hippocr. I 226,23 K (V) -- Xen. de re eq. 10, 7 — [Aristot.] problem. 2, 29 p. 869 a 21 — LXX Chron. 2, 9, 20 πάντα τὰ σκεύη .. χρυσίῳ κατειλημένα — Parthen. 46, 2 ed. Sak. — Plut. Cam. 31 — Lucian. conv. 47; dial. deor. 10, 11.

De origine variisque verbi formis v. Hoffmann gr. Dial. III 397. 400.

Σ η μ ε ι ό ω 5, 10 ὅπως ἂν καὶ τὸ προσμένον καὶ τὸ ἄδηλον ἔχωμεν οἷς σημειωσόμεθα *ut habeamus, quibus rebus et futura et incerta nobis notemus.*

Usum vulgarem ostendit Thomas M. 337, 7 σημεῖον λέγοντες σημειοῦσθαι οὐ λέγομεν, ἀλλ' ἀποσημαίνεσθαι.

Hic usus incipere videtur ab Hippocrate Coac. Praen. V 672: τὰ δὲ συντόμως ῥηγνύμενα σημειοῦσθαι τοῖσι ἐπιγενομένοις, abest ab Aristotele, invenitur autem apud Theophrastum C. Pl. 1, 21, 6 med. τὰ τοιαῦτα σημειούμενος, ὅτι .. — apud Polybium 5, 78, 2 σημειωσάμενος τὸ γεγονὸς *in omen vertere*; 22, 11, 12 ἐσημειώσαντο τὸν τόπον *sibi notare*; 3, 39, 8 pass. — V T Ps. 4, 7 ἐσημειώθη . . τὸ φῶς, apud V Ti interpretes Aquilam, Symmachum, Theodotionem — permultos alios, imprimis grammaticos in scholiis.

Conferas titulos: Ditt. syll. 653, 71 (tit. myster. Andan. a. 92 a. C.) τὰ σαμειωθέντα (ἱερεῖα). Ditt. Orient. inscr. 629, 18 (tit. Palmyren. a. 137 p. C.) (med.)

et usum creberrimum papyrorum omnium, quas in praefatione attuli. (act. et med.)

b) substantiva:

Ἀ κ ρ ι σ ί α 76, 7 πάντα ἀκρισίας καὶ ταραχῆς ἔσται μεστά]. Eadem substantiva coniuncta habes Xen. Hell. 7, 5, 27.

Proprium medicorum: Hippocr. epid. I, I 188, 3 K = II 626 L, saepe. tum idem fere valebat ac ταραχή: Polyb. 30, 14, 6; 40, 2, 8 al. (i. q. *temeritas, iudicii inopia* 11, 8, 7 al.) et apud permultos

recentiores ut Aristidem, Libanium. Theophrasti locus frg. 5, 55 πνευμάτων ἀκρισίαι συμβαίνουσι propius accedit ad notionem primariam.

Ἀ π ο ν ί α 91, 9 ἡ μὲν γὰρ ἀταραξία καὶ ἀπονία καταστηματικαί εἰσιν ἡδοναί;

Hippocr. de flat. VI 92 πόνον δὲ ἀπονίη (ἔπαυσε), ἀπονίην δὲ πόνος de umor. V 478 παίδευσις . . πόνων, ἀπονίης . .

Chrysipp. III, 33, 30 τὴν ὑγίειαν καὶ ἀπονίαν . . . τοῦ σώματος — Dioscorid. 1, 147. 2, 69 — Plut. de tranq. an. 2 p. 465 C κακὸν φάρμακον ἀπονία.

Apud Xenophontem Cyr. 2, 2, 25. — Aristotelem rhet. 1, 11 p. 1370 a 14; H. An. 4, 6 p. 775 a 37, alios significat *fugam laboris*.

Ἀ π ό ῤ ῥ ο ι α 9, 16 quam formam in -οια non tam probam esse quam in -ροή docet Phrynichus (Bekk. An. p. 28: ἀποῤῥοὴ σεμνότερον τοῦ ἀπόῤῥοια (cf. Lobeck, Par. ad. Phr. 496). Exstat autem Xen. Hell. 5, 2, 5, apud Aristotelem saepius, iuxta ἀποῤῥοῇ, quod etiam Platoni in usu est, VT Sap. Sal. 7, 25 ἀπόῤῥοια τῆς τοῦ παντοκράτορος δόξης — pap. Br. Mus. I 109 (magica), pap. Parisina mag. 217: αἵματος.

Utram formam philosophi Ionici, quos hic Epicurus sequitur, (cf. Empedoclis frg. 89 D et Diels l. l. p. 389. 400) praebuerint, iam non indagari potest; certe [Hipp.] de ulceribus VI 104 ἀποῤῥοὴ τοῦ αἵματος legitur.

† Ἐξ ἀ π ο σ τ ή μ α τ ο ς 39, 7 i. q. *eminus*, item Polyb. 10, 30, 7. Iam Anaximander τὸν περὶ ἀποστημάτων λόγον εὑρηκέναι dicitur (cf. Diels pag. 19). Aristoteli quoque (cf. Bon. ind.) et Archimedi II 264, 22 pro *intervallo* et *distantia* est.

Secessus vel *abscessus:*

Hipp. I 130, 16 K = II 316 L et saepe.

† Κατὰ ἔ κ π τ ω σ ι ν μέρους πνευμάτων ἐπὶ τοὺς κάτω τόπους fulgur fieri 46, 16.]

Hippocr. de fract. II 46, 2 K = III 412 L *luxatio membri*; similiter de artic. II 128, 16 = IV 106.

Aristot. Hist. an. 11, 5 p. 637 a 26 τοῦ γυναικείου σπέρματος; meteor. 2, 9 p. 370 a 5 τοῦ θερμοῦ; probl. 26, 48 p. 945 b 18 τοῦ πνεύματος; Theophr. frg. 5, 20 similiter.

Aliter Polyb. 4, 1, 8. 4, 7, 7 *expulsio*; 4, 35, 5. 23, 6, 2 *exsilium*; Strabo — Diodor. 13, 65 — posteriores.

† Θερμασία (40, 7). Quid de eo vocabulo iudicandum sit, docet Phrynichus 198 R (= Thom. M. p 179, 8) θερμότης καὶ θέρμη Ἀττικοί, θερμασία Ἕλληνες.

Hipp. de vuln. cap. 21 II 28, 4 K = III 258 L et saepe — Xen. An 5, 8, 15, — Aristot. de gen. an. 4, 1 p. 764 b 7 et persaepe, — Theophr. H. Pl. 8, 11, 7 — Diod. 3, 34 — Pausan. 2, 34. 6 — Herodian. II, 456, 20. 21. 23.

Usus vulgaris optimum testimonium: VT Ier. 28, 39; Dan. 3, 46. — Apud Neograecos i. q. *febris*.

† Καταφορά 44, 10 nubes fieri posse πνευμάτων καταφορᾷ] Hipp. I 227, 24 K = III 82 L *somnolentia*; IV 606 L κοιλίης καταφορή i. e. διαῤῥοίη [Arist.] de mundo 4 p. 394 b 3 νιφετὸς βρῖθος εἰς καταφορὰν ταχυτέραν λαβών — Theophr. de ventis 12 ἡλίου — similiter Polyb. 3, 37, 5; sed 10, 48, 5 τοῦ ῥεύματος, 6, 23, 4 τῆς μαχαίρας *ictus caesim illatus*, similiter alibi — Ioseph. A. I. 6, 6 τῆς χαλάζης; Aquila Gen. 2, 21 al. ἐπέβαλεν ὁ θεὸς καταφορὰν (LXX : ἔκστασιν) ἐπὶ τὸν Ἀδὰμ καὶ ὕπνωσε (cf. Hippocr.) — in Talmud cf. Krauss l. l. p. 526: *verbera*.

Aliter Inscr. graec. II, 1, 167, 66 (ol. 112) τὸ μέτωπον ποιήσας πρὸς τὴν καταφοράν.

Κατεργασία 9, 15 πρὸς κατεργασίας τῶν κοιλωμάτων] [Hippocr.] praec. 9 IX 206 χυμῶν — Aristot. de part. an. 3, 14 p. 675 b 5 τῆς τροφῆς; similiter probl. 22, 14 p. 931 a 32 — Theophr. C. Pl. 1, 69, 9 γῆς — VT Paral. 1, 28 — Polyb. 34, 9, 10 τοῦ ἀργυρίου = *ratio conficiendi argenti*.

Κίνημα 141, 18 ὦ πάντα τἀμὰ κινήματα τερπνὰ νομίσας ἐκ νέου [1]); 279, 23 προσηνῆ κινήματα τῆς σαρκός] Hippocr. de fract. II 101, 15 L, III 540 L; VI 580 nonnulli codices κινήματα praebent, ceteri ἀνακινήματα (sequitur καὶ ἀνακουφίσματα), quem locum, quo κινήματα retinendum esse ego quidem censeo, fortasse respexit Zwingen, cum VI 620 codicum lectione κινήμασιν expulsa ἀνακινήμασι coniecit. Quorum omnium locorum in lexicis nostris vestigium nullum.

Aristot. Phys. 7, 10 p. 241 a 4; ibidem 1 p. 232 a 9. — Theophr. frg. 89, 1 — [Isocr.] ep. 10 — VT Macc. 1, 13, 44. 4, 1, 35 — Plut. Aem. P. 18.

Ὄρεξις 161, 26 πρὸς δὲ τὰς ἀορίστους ὀρέξεις καὶ ὁ μέγιστος πλοῦτός ἐστι πενία]. Democrit. frg. 219 χρημάτων ὄρεξις... μέζονες γὰρ ὀρέξεις; frg. 284

[1]) De rhythmis huius sententiae v. Norden, Kunstprosa I p. 124.

σμικρὰ γὰρ ὄρεξις πενίην ἰσοσθενέα πλούτῳ ποιέει (vide quam sit simillima sententia illa Democritea Epicuri loco supra allato).

Saepissime apud Aristotelem, e. g. eth. Nic. 7, 2 p. 1139 a 22 — Theophr. H. Pl. 2, 7, 2 — [Plat.] defin. 413 c — recentiores. Cf. etiam Neograecorum illud: καλὴν ὄρεξιν *guten Appetit*.

† Περιφέρεια 49, 4] Heraclit. frg. 103 ξυνὸν γὰρ ἀρχὴ καὶ πέρας ἐπὶ κύκλου περιφερείας al.]; [Hipp.] epid. IV, V 174 L — persaepe apud Aristotelem — Theophr. H. Pl. 3, 10, 5 — translate VT Eccl. 9, 3 περιφέρεια καρδίᾳ αὐτῶν i. q. *stultitia*; similiter ibidem 10, 13.

Accedit titulus C I III 4437 aetatis Romanae: τοῦ σταδίου et pap. magica apud Wesselyum p. 134 v. 313 et pap. Parisina (II saec. a. C.) τὴν μηνιακὴν περιφέρειαν (p. 66).

† Συναφή 36, 2 τῶν μετεώρων εἴτε κατὰ συναφὴν λεγομένων εἴτε αὐτοτελῶς] Hipp. de articulis II 151, 18 K = IV 150 L — Aristot. saepe — Theophr. C. Pl. 4, 12, 8 — Polyb. 6, 23, 11. 12, 18, 10 — Plutarchus, Ptolemaeus, alii habent. Cf. Lobeck ad Phryn. p. 497.

Τάραχος, non ταραχή 28, 11. 29, 5. 30, 9. (forma in — ή e. g. 30, 17. 76, 7.)]

Hippocr. de vet. medicina I 16, 21 K = I 604 L; de flatibus VI 112 L; de morb. mul. VIII, 38 L.

Xenoph. An. 1, 8, 2 al. — saepe in VTo, e. g. Iudith 11, 35 — N T velut Luc. act. 12, 18. 19, 23 — apud alios, cf. Rutherf. Phryn. p. 174.

† Τελείωσις 38, 5] [Hippocr.] de sept. mens. p. VII, 436; 448 L — Aristot. de plant. 8, 3 p. 246 a 26 et saepe. — Theophr. H. Pl. 3, 4, 3 — saepe in LXX interpretatione VTi, ut Iudith 10, 9 τῶν λόγων, at Ex. 29, 22. 34; Lev. 8, 22. 28 i. q. *consecratio* — N T Luc. ev. 1, 45, alibi i. q. *initiatio sacra*, quam significationem receperunt auctores ecclesiastici. — Horapollinis Hieroglyph. I, 64 ed. Leemans.

Accedit titulus Cyzici repertus I saec. p. C. τὴν τελείωσιν τοῦ ἔργου Ditt. syll. 366, 29.

c) E numero adiectivorum haec accuratius mihi tractanda esse videbantur:

Εὐλόγιστος adverb. 66, 2 εὐλογίστως ἀτυχεῖν]. Democrit. frg. 236 ἀνδρὸς δὲ τὸ κρατέειν εὐλογίστου — similiter Aristot. Rhet. 2, 8 p. 1385 b 27, passive Metaphys. 13, 5 p. 1092 b 27 (ἀριθμὸς —) — Polyb. 10,

2, 7 (adi.) — Philo — adverb.: Dion. H. — Epictet. — Marc. Antonin.

Κεφαλαιώδης 31, 11 ταῦτά σοι . . ἔστι κεφαλαιωδέστατα; ipsum superlativum damnavit Phrynichus 271 L 339 R, ad quem locum Lobeckius, cum eos annotat qui ita dixerunt, omittit [Hipp.] de honest. IX 236 L τὸ . . κεφαλαιωδέστατον et Diog. L. X 83, neque Epicurum nominavit.

E numero auctorum nomino Aristot. Rhet. 3, 19 p. 1419 b 32 — Polyb. 1, 5, 4. 2, 14, 1. 2, 35, 10. — Socratem (H. E. 1, 9).

Λεπτομερής 19, 17 ἡ ψυχὴ σῶμα λεπτομερές ἐστιν, alibi quoque.]

Eorum qui de natura mundi disseruerunt proprium est; cf. e. g. Diels l. l. p. 233.

Reperitur corporis Aristotelici quindecim locis — Chrysipp. II 222, 23 — Diod. 2, 36 ὕδωρ λεπτομερέστατον — Galen. I p. 24 K τούτων ἔτι λεπτομερέστερον ἀκούειν — apud alios.

Στερέμνιος Epic. saepe, ut 9, 12 τύποι ὁμοιοσχήμονες τοῖς στερεμνίοις εἰσί . . 10, 1. 11, 6.]

Hippocr. de alim. IX 100 (adv.) — [Plat.] Epin. p. 981 d — Diod. 1, 30 — Aquila Gen. 41, 2 — alii non multi habent.

His addatur

Ἀμετάβλητος 7, 1 ἄτομα καὶ ἀμετάβλητα].

Hippocr. de alim. IX 112 L σιτίον . . ἀκμάζουσιν ἀμετάβλητον — Aristot. Metaph. 4, 4 p. 1014 b 28, saepius — Theophr. frg. 12, 1 — Anth. Pal. 12, 30 — schol. Hom. Δ 11 — alii habent.

pap. Paris. p. 253, 12 (a. 599 p. C.) ἀμεταβλήτῳ σκοπῷ.

Sequitur eorum vocabulorum copia, quae quia nullius fere momenti ad naturam linguae vulgaris cognoscendam mihi quidem videntur, quam brevissime ordine alphabetico affero:

† Ἀραιότης 49, 14 ἐν τοῖς νέφεσιν ὁμαλῆ ἀραιότητα ἔχουσιν].

Hippocr. de locis . . VI 344 L; aphor. IV 556 — Aristot. — De ceteris v. Schmid, Atticismus IV 635.

Γεννητικός 11, 9 τρόποι τινὲς γεννητικοὶ τῶν τοιούτων φύσεων].

Apud doctos inde ab Hippocrate (v. Steph.) et Aristotele (v. Bonitzii indicem) exstat.

† Διάρθρωσις 38, 3 σπερμάτων . . προσθέσεις τε καὶ διαρθρώσεις καὶ μεταστάσεις . . ποιούντων].

Hippocr. de nat. inf. VII 504 (bis) — τῶν μελέων — Aristot. decies, e. g. de part. an. 2, 17 p. 660 b 20 — Epictet. 2, 17 — Origenes.

Δυσεντερικός 143, 18 δυσεντερικὰ πάθη]
Hipp. Coac. Praen. V 686 L — Epictet. 2, 21, 22 — Plut. —

† Ἔκθλιψις 50, 15 (cf. ἐκθλίβω)] Hippocr. V 632 (bis) — Aristot. — LXX Ez. 12, 18 (cod. A); Neem. 3, 21 (A), — Hero I 22, 16 ed. Schmidt.

Ἔκκλισις Stud. Vind. X, 196, 20 τὸ πρὸς ἔκκλισιν τὴν ἀλογίαν <ἄγον> fortasse ἔγκλισιν cum editore legendum] Hippocr. de artic. IV 264 L *luxatio* — [Aristot] uno loco probl. 1, 39 p. 863 b 24 — Stoicorum proprium, quos sequitur Epictetus — Aquila Ier. 28, 16; Ezech. 9, 9.

† Ἐκπιασμός 45, 9 κατ' ἐκπιασμόν, θλίψεως τῶν νεφῶν γενομένης tonitrum fieri posse].

Hipp. de nat. inf. VII 512 L ὁκόταν κοιλίης πλήρεος οὔσης ὁ ἐκπιεσμὸς γένηται — [Aristot.] de mundo 4 p. 394 a 28 loco simili atque Epicuri, ubi cod. Q ἐκπιασμός praebet, sicut πιέζω transit in πιάζω. — πενήτων ἐκπιεσμοῖς Isidorus Pelus. (cf. Steph. thes.)

Ὁμόχροος 11, 20 τόπων ὁμοχρόων coni. Rossius] Hippocr. Coac. Praen. V 674; epid. VI, V 318 — Arist. Hist. an. 5, 10 p. 543 a 25 et ter praeterea — Theophr. H. Pl. 9, 4, 10 — Lucian. pisc. 51 — Paul. Sil. Anth. Pal. 5, 301.

Οὔρησις 154, 23 οὐχὶ ἀποκεχώρηκεν δὴ κατὰ τὴν οὔρησιν] Hippocr. Coac. Praen. V 640 — Aristoteles.

Παλμός (scil. τῶν ἀτόμων) 8, 3] Hippocr. Coac. Praen. V 640 φλεβῶν; epid. III, I 245, 1 K = III 148 L καρδίης, al. — Aristot. de respir. 20 p. 479 b 21 (νόσος τις) — Nicand. Ther. 774 — Alciphro — Nonnus. Cf. Diels Dox. Gr. p. 311 et 319 (de Democrito)

† Παρεισ-δύομαι pro παρείσειμι comicorum aliorumque 48, 12] [Hippocr.] epid. V, V 252 ὄφις ἐς τὸ στόμα παρεισεδύετο — [Aristot.] probl. 23, 14 p. 933 a 16 — (Theophr. frg. 3, 22 παρείσδυσις, quod Metrodorus quoque habet: Stud. Vind. X, 195, 2 — Plutarchus — Apollon. D. synt. 314, 16 — alii. παρεισδύνω Demades 1, 3.

Περίβλεψις Stud. Vind. 198, 5 οὐ λύει τὴν τῆς ψυχῆς ταραχὴν οὐδέ τιν' ἀξιόλογον ἀπογεννᾷ χαρὰν . . . ἡ παρὰ τοῖς πολλοῖς τιμὴ καὶ περίβλεψις] Quam significationem passivam nusquam praeterea indagare potui:

apud [Hippocratem] epid VII, V 384 L, ibidem V 386 vocabulum περιβλέψιες significat *aegrotorum vultus territos*, item [Aristot.] physiogn. 3 p. 808 a 16 (ὀμμάτων). At περιβλεπτότης saepe postremis linguae graecae temporibus dignitatem significat, ut pap. Berol. II 547, 3 (temporum Byzantinorum) παρακαλῶ τὴν ὑμετέραν περιβλεπτότητα ‚*Ew. Spectabilität*'.

† Πνευματόω 47, 1 τοῦ πυρὸς.. πνευματωθέντος (cf. ἐκπνευματόω 48, 5, quod etiam apud Aristotelem et Theophrastum legitur)].

Hippocr. prorrh. V 570 L πνευματούμενοι *qui plenioribus haustibus spiritum ducunt* — Aristoteles frequenter — Theophr. frg. 4, 49.

Στραγγουρικὰ παρηκολούθει πάθη 143, 17] Hippocr. V 684 al. et medici.

† Ὑδατοειδής 49, 1] Hippocr. mochl. II 248, 11 = II 346 L et alibi forma in -ώδης, de morb. mul. VIII 74 L. -οειδής (-ώδης C) — Aristot. de col. 3 p. 793 b 30 — Theophr. — Galen. XIV 712, 14 K, alii, apud quos omnes forma in -οειδής saepe confunditur cum forma in — ώδης, id quod omnino in adiectiva sic formata cadit (cf. Wackernagel, Dehnungsgesetz der griech. Nominal-Komposita pag. 44 sq.) Addas pap. Par. mag. 1142.

Ψυκτικός 116, 18 ψυκτικὸν... τὸν οἶνον] θεραπεύειν τοῖσι ψυκτικοῖσι *remedia refrigerantia adhibere* Hipp. aph. VII, 37 IV 588, similiter alibi.

A I 2 b α.

Tertium est genus vocabulorum eorum, quae vel apud Xenophontem vel apud Aristotelem vel apud Theophrastum primum leguntur neque apud scriptores pure Atticos occurrunt.

Inter quos Xenophontem non esse numerandum iam Hermogenes vidit, qui dixit (π. ἰδεῶν p. 419, 21): ἴδιον δὲ Ξενοφῶντος καὶ τὸ ... χρῆσθαι ποιητικαῖς πως λέξεσιν .. neque id nostrorum temporum viros doctos fugit (cf. Rutherford Phryn. p 160 sq., Thumb l. c. p. 215 al.). Nos quoque Xenophontem saepe vel cum poetis vel cum Ionibus facere iam intelleximus (cf. supra περικυκλόω, εὐθυμία, ἀραιός, προσεμφερής).

Ea autem quae nunc affero exempla e Xenophonte repetita nos quidem hodie neque apud poetas neque apud scriptores τῆς Ἰάδος invenimus.

† Ἀντροειδής 48, 4 εἰς ἀντροειδεῖς τόπους].

Xen. An. 4, 3, 11 ἐν πέτρᾳ ἀντρώδει — [Aristot.] problem. 13, 5 p. 932 a 2 ἀντρώδης τόπος — Macc. 2, 2, 5 -- pap. Lugd. mag. Z 15. 18. — alii pauci.

Βράδος 10, 5 Codd. FH^2P^2] semel omnino dictum esset, nisi exstaret Xen. de re equ. 11, 12.

Ἐξαρέσκομαι 81, 1 ἐξηρέσατο ὅσα τούτων λυσιτελῆ πράττειν. ut Usener codicum ἐξηρίσατο vel ἐξορίσατο probabiliter emendavit]. Xen. Oecon. 5, 3; 19 τοῖς θεοῖς — [Demosth.] 60, 25. 26.

Εὔοδος 97, 20 οὐκ εὔοδον τὸ ἁπλοῦν ἐστι κατηγόρημα] Xen. An. 4, 8, 10; 5, 8, 8 proprie — ceteri translate, sicut Epicurus: VT Prov. 30, 29; Num. 14, 41 οὐκ εὔοδα ἔσται ὑμῖν al. — Ptolemaeus math. comp. I p. 5 ed Halma — Eustathius ad Od. p. 1879, 52 (τὸ μέτρον).

In titulo christiano metrico Augustoduni reperto IG Sic. et It. 2525, 8 εὐόδῳ ἰητήρ coniecit Kirchhoffius.

Epitheton Panis dei: cf. e. g. Letronne, recueil des Inscr. II p. 244. (εὐοδέω Soph. Oed. C. 1435 — Her. 6, 73 — Aristot. — alii. Cf. Anz l. l. p. 290).

Κακοδαιμονέω 305, 33 διὰ φόβον τις κακοδαιμονεῖ] quam verbi in — έω formam noluerunt Atticistae: Phryn. 79 L 152 R et Thom. M. p. 201, 5 κακοδαιμονέω οἱ νόθως ἀττικίζοντες. Exstat autem Xen. Hier. 2, 4 — apud Teletem 36, 7 — Plutarchum — alios.

† Κωλυτικός 52, 15 δίνην . . . ἡ κωλυτικὴ γίνεται τοῦ περιπολεῖν].

Xen. comm. 4, 5, 7 -- Aristoteles octo locis --- Theophr. de igni 45 — Clemens Alexand., alii.

Τάγμα 24, 9 συμπτώματα . . καθ' ἑαυτὰ τάγμα ἔχοντα].

Quo verbo proprie de militum agmine dicto hic Epicurus translate utitur; similiter Paulus ep. ad Cor. I 15, 23 ἕκαστος ἐν τῷ ἰδίῳ τάγματι.

Sensus autem primarii exempla sunt haec: Xen. comm. 3, 1, 11 — Polyb. 2, 69, 5 al. — permulti tituli et papyri e. g. I. G. II 1, 444 (ca. a. 200 a. C.), pap. Br. Mus. II, 172, 7. — Aristoteli *institutum* significat Polit. 4, 9 p. 1294 b 6, *vectigal* ei qui Oeconomica scripsit, 2 p. 1349 a 24.

A I 2b β.

Iam descendimus ad genus vocabulorum Epicureorum examinandum, quae primum apud Aristotelem[1]) usurpata videmus. Qui omnino tam ingentem primus ostendit vocum numerum, ut si omnes ipse de suo prompsisset, summus omnium fabricator novatorque vocabulorum ducendus esset. Eo magis dolendum est, quod nemo adhuc de eius genere dicendi agere conatus est[2]). Nam si quis et Hippocratem, philosophos, sophistas vel potius eorum reliquias et titulos perquisivisset, multa quamvis magno detrimento litterarum ad eos, qui vel ante Aristotelem vel cum eo fuere, referri possent.

a) verba.

Αἰτιολογέω 29, 20 αἰτιολογητέον ὑπέρ τε τῶν μετεώρων καὶ παντὸς τοῦ ἀδήλου: 31, 8 ὑπέρ τε μετεώρων αἰτιολογοῦντος] Theophr. frg. 52 — Strab. p. 302; 327 — Galenus — alii.

Ἐμ-περι-λαμβάνω 4, 7 ἅπαν ἐμπεριλαβεῖν ἐν αὐτῷ: 22, 11. 26, 3. 38, 13.

Aristot. de part. an. 2, 6 p. 652 a 5, 23; de gen. an. 2, 3 p. 737 a 9; Rhet. 3, 15 p. 1416 a 20, 22 et saepe — Theophr. C. Pl. 5, 3, 4 — Chrysipp. III 8, 31 — Dionysius Hal. — Plutarchus — Origenes — alii.

Usus vulgaris hisce probatur testimoniis:

Decreto de fastis provincial. Ditt. Orient. inscr. 458, 27 (I saec. a. C. exeuntis) — pap. Berol. I 194, 14 — pap. Br. Mus. I 96.

Exstat etiam in una ex epistulis Hippocraticis, quas aetatis Romanorum esse notum est (IX 392 L).

Ἐν-υπ-άρχω 21, 1] Aristot. H. An. 7, 22 p. 577 a 14 et triginta fere locis — Theophr. C. Pl. 3, 1, 6 qui (de sens. 27) Anaxagorae sententiam πάντα ἐνυπάρχειν ἐν ἡμῖν et (ibid. 77) Democriti τὸ μέλαν καὶ τὸ ἐρυθρὸν αὐτῷ (τῷ πορφυρῷ) ἐνυπάρχει non ad verbum videtur reddidisse — alii non pauci.

Atticistae (cf. Thomam M. 152, 3) ἐνεῖναι maluerunt.

---

[1]) Brevitati concedatur, si hoc capite et omne corpus Aristotelicum et Theophrasti libri atque fragmenta comprehenduntur.

[2]) Etiam Aristoteles e numero auctorum est, quos Nordeni discipuli tractabunt (cf. supra pag. 5).

Εὐγνωμονέω Stud. Vind. 196, 21] [Arist.] Rhetor. ad Alex. 1 p. 1420 a 16 — Diod. 13, 22, 8 — Plutarch. septem locis — Nicephor. Constant. Hist. 11, 9.

Adiciantur papyri Berol. II 614, 23 — Br. Mus. II 328, 74.

Unum ex frequentissimis posteriorum vocabulis est:

Καταντάω 63, 3 ἀπὸ ταύτης (scil. τῆς ἡδονῆς) καταρχόμεθα ... καὶ ἐπὶ ταύτην καταντῶμεν].

Primum legitur apud Aristotelem in dialogorum frg. 11 ed. Rose (καταντᾶν εἰς τοὺς λιμένας) et apud Alexidem (3, 503 M = 261 K) πᾶς δ' ἀγὼν ἐς ἐμὲ κατήντα. — LXX Reg. 2, 3, 29; Macc. 2, 4, 21 al. — Polyb. 6, 4, 12; saepe — Diodor. 4, 52; 4 — NT act. Apost. 16, 1 al. — apud permultos alios usque ad hunc diem.

In titulis: Ditt. syll. 929, 50 (tit. Cretic. II a. C. saeculi); C. I. II 2195 (Mytilen.).

In papyris: pap. Rain. 94, 4; 95, 7 pap. Ox. I 75 τὰ κατηντηκότα εἰς ἐμέ (a. 129 p. C.); pap. Ox. II (saepe), pap. Berol. I 5 II 14, 17. 326 I 12; III 710, 15; 902, 5; 903, 14 al.

Κατα-πυκνόω 73, 10 εἰ κατεπυκνοῦτο πᾶσα ἡδονή .. quam doctrinam Damoxenus comicus iocose perstrinxit in Syntrophis (frg. 2 K = 4, 530/2 M) v. 4: τάλαντ' ἐγώ σοι κατεπύκνωσα .. v. 62: Ἐπίκουρος οὕτω κατεπύκνου τὴν ἡδονήν.] Aristot. analyt. post. 3, 14 p. 79 a 30 συλλογισμὸς καταπυκνοῦται; meteorol. 1, 8 p. 346 a 29 proprie. — Polyb. 8, 7, 6 καταπυκνοῦν τρήμασι τὸ τεῖχος *crebris foraminibus perforare.* — Diod. 3, 44 — Dion. H. — alii, ut Marcus Antoninus 5, 9.

Πιθανολογέω 165, 6 (in testamento): ὅταν τις τὸ πιθανολογούμενον ὑπὲρ αὐτῶν δεόντως καταλίπῃ].

Aristot. Eth. Nic. 1, 1 p. 1094 b 26 πιθανολογοῦντος μαθηματικοῦ ἀποδέχεσθαι — Diod. 1, 39 — Eustathius.

Πιθανολογία [1]) Plat. Theaet. 162 e.

Συμφιλοσοφέω 165, 6 (in testamento): τοῖς συμφιλοσοφοῦσιν αὐτῷ (scil. Ἑρμάρχῳ)].

Aristot. Eth. Nic. 9, 12 p. 1172 a 5 — Strabo — Dion. H. A. R. 2, 51 — Lucianus.

---

[1]) Sapit hoc vocabulum sophistarum scholas (cf. Plat. Phaedr. 267 C Πώλου ... διπλασιολογίαν καὶ γνωμολογίαν καὶ εἰκονολογίαν) idque eo apertius, quia coniungit πιθανολογίαις τε καὶ εἰκόσι, nam τὰ εἰκότα Tisias invenerat; cf. ‚*sophistice operantologia*‘ Varr. sat. 144.

Usitatius est

Συν-τηρέω 328, 13 πῶς ἄριστα τὸ τῆς φύσεως τέλος συντηρήσει].
Aristot. de plant. 1, 1 p. 816 a 8 τὴν ζωὴν .... συντηρεῖ ἡ φύσις — Theophr. H. Pl. 8; 11, 7 — Polyb. 4, 60, 10 τὰ πρὸς τὴν κοινὴν πολιτείαν δίκαια; 31, 6, 5 τὴν γνώμην παρ' ἑαυτῷ — VT Dan. 3 23; Tob. 1, 11 Sir. 13, 12; 13, 13 συντήρησον καὶ πρόσεχε, ὅτι.. — N T ev. Matth. 9, 17 al. — Plut. Marc. 12 — alii.

His litterarum exemplis addi possunt nonnulli tituli: Ditt. syll. 655, 8; 929, 43 (tit. Cret. secundi a. C. saeculi) 930, 48. Inscr. Pergam. 246, 53 (aet. Attali III); C I 2335, 44 (tit. Teni primi a. C. saeculi); I. G. II 1, 551, 47 (ca. a. 100 a. C.) et papyri: Berol. I 180, 13, 18; Paris. p. 47 (bis).

Σωρεύω 304, 25 ἐξ ἐργασίας θηριώδους οὐσίας μὲν πλῆθος σωρεύεται, βίος δὲ ταλαίπωρος συνίσταται].
Aristot. Rhet. 2, 15 p. 1390 b 18 al. — V T Iudith 15, 11; Prov. 25, 22 ἄνθρακας πυρὸς σωρεύσεις ἐπὶ τὴν κεφαλὴν αὐτοῦ, quod repetivit Paul. ad Rom. 12, 20 — Polyb. 16, 11, 4; 16, 8, 9 — Babr. 136, 2 — alii. Σώρευμα iam Xenophon habet (Cyri inst. 7, 1, 32).

Τελεσιουργέω 4, 2 ἐπεὶ καὶ τοῦ τετελεσιουργημένου τοῦτο κυριώτατον γίνεται] Aristot. de gen. an. 2, 1 p. 732 a 25 τῶν ζώων . . τὰ μὲν τελεσιουργεῖ . . ὅμοιον ἑαυτῷ al. — V T Prov. 19, 7 — Polyb. 5, 4, 10; 21, 4, 11; frg. 181 — Diod. 5, 4, 6 — Lucian. Philops. 14 — alii.

Accedit titulus Caesareae Philippi aet. Rom. C I III 4537.

Φυσιολογέω 36, 13 al.] non raro inde ab Aristotele (de caelo 3, 1 p. 298 b 29 al.)

Iam affero vocabulum, quod quamquam ab Aristotele abest, tamen eius temporibus primum apparet:

Ἀπελπίζω quod iam apud Hyperidem 5, 35 legitur: τὴν σωτηρίαν ἀπελπίσαντα; Epic. 62, 6 τὸ μέλλον . . μήτε . . προσμένωμεν ὡς ἐσόμενον μήτε ἀπελπίζωμεν ὡς πάντως οὐκ ἐσόμενον]. Chrysippus quoque sic dixit III 118, 25; tum occurrit in LXX Iudith 9, 11: ἀπεγνωσμένων (id est vere atticum) σκεπαστήρ, ἀπηλπισμένων σωτήρ. Es. 29, 19; Sir. 27, 21; Macc. 2, 9, 18 — et apud Polybium saepe, ut pateat, quam perversa sit sententia Goetzeleri [de Pol. elocutione, diss. Wirceb. 1887] imitationem verbi latini *desperare* esse dicentis. Cf. etiam Diod.

17, 106 — N T Luc. ev. 6, 35 (qui locus saepe falso explicatur) — Pastor Hermae Vis. III 12, 2 – Ioseph. B. I. 5, 9, 1 — Plut. an seni . . c. 7 p. 787 D — Babr. 43, 18; 107, 17 — alii.

Quae testimonia augentur titulo apud Ditt. syll. 807, 7, 11 = C. I. III p. 804, 7. 11 (secundi p. C. saeculi).

b) De substantivis

ita agam, ut ea, quae frequentius inveniuntur vel aliqua de causa graviora sunt, primo afferam loco.

Αἰσθητήριον 12, 8 τῇ διανοίᾳ ἢ τοῖς αἰσθητηρίοις] inde ab Aristotele (e. g. de part. an. 2, 1 p. 647 a 12) et Theophrasto non solum a philosophis (Chrys. II 101, 25 al. — [Plat.] Ax. p. 366 A, aliis) usurpatum est, sed etiam in sermonem vulgarem irrepsit: Mach. 4,496 M = 2,5 K: ἐπὰν ᾖ καθαρὰ τἀσθητήρια, οὐκ ἂν διαμάρτοις — Diphil. (sive Sosipp.) frg. 18 K = 4,383 M — LXX Ierem. 4, 19 τὰ αἰσθητήρια τῆς καρδίας μου μαιμάσσει ἡ ψυχή — N T ep. ad Hebr. 5, 14 τὰ αἰσθητήρια γεγυμνασμένα πρὸς διάκρισιν καλοῦ τε καὶ κακοῦ.

Ἀποκατάστασις 8, 9 . . ἡ περιπλοκὴ τὴν ἀποκατάστασιν ἐκ τῆς συγκρούσεως διδῷ . .]

Aristot. eth. magn. 2, 7 p. 1204 b 36 (– εἰς φύσιν) al. — [Plat.] Ax. p. 370 b — Polybius frequenter — Diodorus — NT Luc. act. 3, 21 — Ioseph. A. I. 11, 3, 8; de ceteris vide Sophoclis lexicon s. v.

In titulis: Inscr. Perg. 18, 12 (aet. Eum. I) — C. I. IV 1 8963 (bis) (tit. Bethlehemi aet. Christ.) τῶν ψυχῶν; in papyris: pap. Ox. I 67, 9; 70, 11; 144, 9 συνέβη δὲ ἀποκατάστασίν με ποιήσασθαι πρὸς αὐτόν *„it happened that a balancing of accounts took place between us“* — pap. Paris. p. 371, 41 (II a. C. saeculi.) μετὰ τὴν ἀπὸ τῶν πραγμάτων νυνεὶ ἀποκατάστασειν.

Δαψιλεία Stud. Vind. 197, 3] Aristot. H. An. 7, 18 p. 572 a 3; de gen. an. 5, 3 p. 782 b 18; meteor 1, 6 p. 343 a 10 — Polyb. 2, 15, 5; 5, 70, 2 — Diod. 5, 13 — Plut. Cim. 3 — Artemid. 1, 76 — alii.

Adde titulum Ditt. 366, 16 Cyzici repertum a. p. C. 37 τῇ τῶν ἀναλωμάτων δαψιλίᾳ.

Διάληψις i. q. *distinctio, differentia*[1]) 13, 3 κίνησιν . . . συνημ-

[1]) Sic interpretatur Zeller. Die Philos. der Griechen [3] III. 1 p. 424 ubi vide cetera.

μένην μὲν [τῇ φανταστικῇ ἐπιβολῇ], διάληψιν (διάλειψιν F) δὲ ἔχουσαν; 17, 4 διάληψιν δὲ μερῶν]

Similiter Aristot. de itin. an. 3 p. 705 a 25 ποιήσοντος ἐν αὐτῷ διάληψιν cf. ibid. 4 p. 705 b 26, at probl. 8, 12 p. 918 b 1 *intervallum*, aliud alibi (cf. Bon. ind.) significat. De Polybii loco difficili (16, 33, 4) ἐκ διαλήψεως χρώμενοι ταῖς μαχαίραις vide Schweighaeuseri lexicon. Apud Diodorum significat *capacitatem* (3, 37). Plerumque tamen occurrit notio translata iam apud Epicurum p. 23, 10 ἐπιβολὰς μὲν ἔχοντα ἰδίας πάντα ταῦτά (scil. τὰ μέρη τοῦ σώματος) ἐστι καὶ διαλήψεις i. e. *perceptiones*; cf. διαλαμβάνω i. q. *intellegere, percipere* 5, 12 ταῦτα δεῖ διαλαβόντας συνορᾶν; 35, 16 καλῶς δὲ αὐτὰ διάλαβε al.

Deinde διάληψις id est quod *opinio*, ut Polyb. 2, 50, 11 al. — Macc. 2, 3, 32 — in multis titulis, de quibus cf. Herwerdeni lexicon s. v. Fortasse etiam loco Hippocr. de artic. IV 158 L: διαρρωγὰς καὶ διαλείψιας τοῦ χρωτός i. e. *intervallum*) lectio nonnullorum codicum διαλήψιας in textu ponenda est, quae etiam commendatur lectione cod. H διαλάμψιας; cf. tit. Cumanum C. I. 3524 v. 29 διάλαμψις i. q. διάληψις.

† Διαμονή 38, 6 σπερμάτων ῥυέντων ἀφ' ἑνὸς κόσμου ἢ μετακοσμίου ... κατὰ μικρὸν προσθέσεις τε καὶ διαρθρώσεις καὶ μεταστάσεις ποιούντων ἐπ' ἄλλον τόπον, ἐὰν οὕτω τύχῃ, καὶ ἐπαρδεύσεις ἐκ τῶν ἐχόντων ἐπιτηδείως ἕως τελειώσεως καὶ διαμονὴν (Us., διαμονῆς codd.) ἐφ' ὅσον τὰ ὑποβληθέντα θεμέλια τὴν προσδοχὴν δύναται ποιεῖσθαι] Aristot. de plant. 1, 3 p. 818 a 40; 7 p. 822 a 1 al. — Theophr. de od. 34 τῆς ἀκμῆς al. — Diod. 1, 63 al. — Dio Chrys. — Plutarch.

In titulis saepe: Ditt. syll. 365, 20 (I a. C. s.) — 373, 16 (tit. Byzantii repertus I p. C. s.) — 378, 3 Ephesi eiusdem temporis — 757, 5 Eleusine aet. Augusti — Letronne, Inscr. de l'Épypte I 15: ὑπὲρ τῆς εἰς αἰῶνα διαμονῆς Ἀντωνείνου; similiter ibid. 46. In papyris: pap. Ox. I 138, 34 σωτηρίας καὶ διαμονῆς .. τῶν δεσποτῶν; pap. Berol. I 176, 12 II 362IV 12 (a. p. C. 213/14) ὑπὲρ σωτηριῶν καὶ αἰωνίου διαμονῆς Σεουήρου; pap. Paris. mag. 2391 v. 298 αἰωνία διαμονή.

Ἐγκατάλειμμα 12, 10 (φαντασία) γινομένη κατὰ τὸ πύκνωμα ἢ ἐγκατάλειμμα τοῦ εἰδώλου] Aristot. frg. 13 ed. Rose φιλοσοφίας .. ἀπολομένης ἐγκαταλείμματα περισωθέντα — LXX Deut. 28, 5; Psalm. 36, 37 φύλασσε ἀκακίαν καὶ ἴδε εὐθύτητα, ὅτι ἐστὶν ἐγκατάλειμμα ἀνθρώπῳ εἰρηνικῷ: 75, 11 — pauci alii scriptores.

Inveni etiam in papyro quadam: pap. Flinders P. II p. 14, 2 (ca. a. 250 ante C.) τῆς ἐξαγωγῆς . . . ἣν ἐσκάψαμεν . . ἐγκατάλειμμα (*,a silting up'*) γέγονεν.

'Ε λ ά τ τ ω σ ι ς Inscr. Oenoandis repert. frg. 11 A a 3 ἀντιλάβηται τῆς ἐλαττώσεως cf. Useneri explicationem, ann. 1.]. Similiter Aristot. de virt. . . 6 p. 1251 a 5 ὀλιγωρήσεις καὶ ἐλαττώσεις al. — [Plat.] defin. p. 412 b — paulo aliter Polyb. 4, 47, 3 *damnum*; 31, 7, 4 *clades*, al. — similiter V T Tob. 4, 13 (A B) ἐν τῇ ἀχρειότητι ἐλάττωσις καὶ ἔνδεια; Sir. saepe. — Basilic. 16, 8, 39 ed. Heimbach i. q. *capitis deminutio.*

†"Ε μ φ α σ ι ς 41, 16 ἡ δὲ ἔμφασις τοῦ προσώπου ἐν αὐτῇ . . δύναται γίνεσθαι[1])]; similiter de imaginibus rerum in oculi pupilla apparentium philosophi, ut Aristoteles meteor. 1, 8 p. 345 b 15 al. — Theophrastus de sens. 27 ὁρᾶν μὲν γὰρ τῇ ἐμφάσει τῆς κόρης. Quae notio a posterioribus paululum immutatur, cf. Polyb. 9, 24 3 ἔμφασιν λαβεῖν *notitiam capere*; 5, 63, 2 κατὰ τὴν ἔμφασιν *specie*; alibi aliter — VT Macc. 2, 3, 8 τῇ ἐμφάσει *specie* — e. q. s.

'Ε ν ό τ η ς 13, 14 ὁμοιομερεῖς ὄγκους *(corpuscula)* . . τινὰ διασώζοντας συμπάθειαν πρὸς ἀλλήλους καὶ ἑνότητα ἰδιότροπον . .] Aristot. de part. an. 3, 5 p. 667 b 30 al. — postea a Christianis frequentatum; cf. Pauli quae fertur ep. ad Eph. 4, 3, 13 τηρεῖν τὴν ἑνότητα τοῦ πνεύματος.

'Ε π ι λ ο γ ι σ μ ό ς 25, 6 οὐκ ἀποδείξεως προσδεῖται ἀλλ' ἐπιλογισμοῦ].

Aristot. Polit. 7, 8 p. 1322 b 35 ἐπιλογισμοὶ καὶ ἐξετάσεις — Ptolem. math. comp. 188, 5 ed. Heiberg — alii, ut Aquila Cant. 7, 4.

Quam Dionysius Hal. de Thuc. propr. c. 3 scribit unam ex numero vocum Thucydidis γλωσσηματικῶν esse ἐπιλογισμόν, ea corrigenda est, cum nusquam apud Thucydidem legatur. Atque mihi quidem neque placuit, quod C. Fuhr in recensenda Useneri et Radermacheri editione Dionysii (Gött. gel. Anz. 1901 p. 123 sq.) proposuit, ἀναλογισμός (Thuc. 3, 36, 4) — non enim est ἀπηρχαιωμένον vel γλωσσηματικόν — neque coniecturam Useneri ἐπηλύτης in dubitationem vocari posse nego. Emendationem autem in praesens ego quidem non habeo.

† Θ λ ῖ ψ ι ς 45, 9 τῶν νεφῶν] similiter Aristot. meteor. 4, 4 p. 382 a 13 al., simillime [Aristot.] de mundo 4 p. 394 a 30 τοῦ νέφους — Septuag. Gen. 35, 3; 42, 21 τῆς ψυχῆς — Strab. p. 52 — saepe in N To translate — Galen. VII 37, 1 K.

[1]) Quod Cobetus parum recte vertit *faciei manifestatio.*

Confer titulum apud Ditt. Orient. Inscr. 444, 15 I a. C. s. Iliensium: διὰ τὰς τῶν πόλεων θλίψεις. Etiam apud Neograecos: φλῖψι; cf. Hatzidakis l. l. p. 158.

Ἰ δ ί ω μ α 25, 2 τὴν αὐτὴν οὐσίαν ἔχον ἰδιώματι τούτῳ]

Aristot. de plant. 1, 7 p. 821 b 22 τὰ φυτὰ γνωρίζεται διὰ τῶν ἰδιωμάτων — Polyb. 2, 14, 3 al. — Diodor. — alii permulti deinceps.

Accedit titulus Bethlehemi inventus aet. Christ. C. I. IV 1, 8964, 13 τὰ φυσικὰ ἰδιώματα τῆς θεότητος.

Κ ο ί λ ω μ α 9, 16 πρὸς κατεργασίας τῶν κοιλωμάτων (scil. ἐν τῷ περιέχοντι)]

Aristot. de vento 5 p. 483 b 23 — Theophr. H. Pl. 3, 8, 3 — Polyb. 12, 20, 4 al. — [Aristot.] de mundo 4 p. 395 b 34 — Diod. 3, 44 — Lucian. — Galen. — alii. Usus vulgaris probatur locis V Ti Gen. 23, 2; Ezech. 43, 14 al., papyro Flinders P. II 43, 13 (a. a. C. 255/44) ἵνα ἀναχωσθῇ τὰ κοιλώματα, papyro Parisina mag. v. 1846, titulo apud Lebasium, Inscriptions receuillies en Grèce, no. 281.

Addas Archimedem II p. 242, 13 H et Babrium 86, 1.

† Π α ρ ά τ ρ ι ψ ι ς 45, 1 νεφῶν] Theophr. de lap. 45 — [Aristot.] de mundo 4 p. 395 b 5 — Diodor. 3, 36 — Phil. — Marc. Ant. 5, 13 — alii pauci.

Π ε ρ ί λ η ψ ι ς 16, 4 ἵνα μὴ πάντα ἀσθενῆ ποιῶμεν κἂν ταῖς περιλήψεσιν τῶν ἀθρόων εἰς τὸ μὴ ὂν ἀναγκαζώμεθα τὰ ὄντα θλίβοντες καταναλίσκειν] cf. Zonaram (lex. p. 1553): περίληψις ἡ περισσοτέρα νόησις et Plat. Soph. p. 249 d περιλαμβάνειν τῷ λόγῳ τὸ ὄν.

Similiter Aristot. de gen. an. 3, 11 p. 762 a 25 αἱ διαφοραὶ τοῦ τιμιώτερον εἶναι τὸ γένος καὶ ἀτιμότερον τὸ συνιστάμενον ἐν τῇ περιλήψει τῆς ἀρχῆς τῆς ψυχικῆς ἐστιν — non raro apud posteros, translate plerumque.

Proprie in V To: Eccl. 3, 5 (R S) καιρὸς τοῦ περιλαβεῖν (cf. Xen. An. 7, 4, 10 περιλαβὼν τὸν παῖδα) καὶ καιρὸς τοῦ μακρυνθῆναι ἀπὸ περιλήψεως (A περιλήμματος).

† Π ε ρ ι ο χ ή 37, 7 κόσμος ἐστὶ περιοχή τις οὐρανοῦ].

Corporis ambitum significat [Aristot.] probl. 2, 34 p. 870 a 10 (loco dubio) — Theophr. C. Pl. 1, 75, 5; 1, 19, 2 i. q. περικάρπιον; de col. 45 ἡ ἐκτὸς περιοχὴ τοῦ σώματος — LXX Ps. 107, 11 (πόλιν περιοχῆς) i. q. *moenia*, al. — Diod. 1, 91 τῶν σωμάτων; 17, 58 τῶν ἐθνῶν; Plut. Lys. 12 τῆς σφαίρας — alii aliter. Pap. Berol. II 492 τοῦ ἀγροῦ.

Σ ω μ ά τ ι ο ν 156, 4 βρυάζω τῷ κατὰ τὸ σωμάτιον ἥδει].

Aristot. H. An. 4, 1 p. 525 a 2 ἐρυθρὰ ἄττα σωμάτια; probl. 24, 14 p. 937 a 36 de homine τὸ σωμάτιον φρίττειν ποιεῖ (scil. τὸ ὕδωρ) al. — [Isocr.] ep. 4, 11 — Telet. 11, 1 — De aliis notionibus vide lexica. Adde pap. I, Ox. 37 I 7 (a. 49. p. C.) ἀνεῖλεν ἀπὸ κοπρίας ἀῤῥενικὸν σωμάτιον i. e. *infantem expositum* — similiter ibidem 38, 8.

c. adiectiva:

Ἀκουστικός 13, 12 ἀκουστικὸν πάθος] similiter Aristot. de anima 3, 2 p. 426 a 7 ἡ τοῦ ἀκουστικοῦ ἐνέργεια, at eth. Nic. 1, 13 p. 1103 a 3 ἀκουστικὸς τοῦ πατρός — alii deinceps usurpaverunt adiectivum, quod mutata forma etiam in sermonem nostrum receptum est.

Ἀν-επί-μικτος 81, 1 ὅσα δὲ μηδὲ τοῦτο δυνατὸς ἦν, ἀνεπίμικτος ἐγένετο].

Aristot. de vento 5 p. 483 b 1 — Theophr. C. Pl. 6, 8, 4 — Strab. p. 333 — Diod. 5, 17 — Ioseph. A. I. 4, 8, 20 e. q. s.

Ἄστατος 65, 10 τὴν δὲ τύχην ἄστατον ὁρᾶν]

Similiter Aristot. Metaph. 11, 8 p. 1073 a 31 ἄστατον τὸ κύκλῳ σῶμα — Com. anon. 4, 615 = 1324 K: δῆμος ἄστατον κακόν — Polyb. 6, 57, 2 θεωρία — Diod. 18, 67 — Phil. — Dio Chrys. — alii. Cf. etiam Kaib. epigr. 502 (III a. C. s.) — i. q. *non pensus*, saepe in titulis antiquis, etiam Atticis, cf. Ditt. syll. 21, 56 (quinti saec. exeuntis).

Ἀτάραχος 14, 13 ὄγκοι *(corpuscula)* . . ἀταράχως ἔχοντες, — 29, 18 τὸ ἀτάραχον] Aristot. Eth. Nic. 3, 12 p. 1117 a 31 al. — LXX Es. 3, 13 al. — Strab. p. 61 — alii.

In papyro Paris. mag. v. 69. Atque adverbium primum apud Epicurum occurrit.

Ἰσοταχής 18, 15 ἰσοταχεῖς τὰς ἀτόμους εἶναι].

Aristot. Phys. 8, 4 p. 249 a 13 al. saepe — Polyb. 10, 44, 9 al. — Strab. — Phil.

Accedit titulus (Kaib. epigr. 939): . . νίκης κρίσις ἀμφοτέροισιν | ἔλ(λ)αχεν ἰσοταχής . .

Adverbium post Aristotelem Archimedes nonnullis locis habet.

† Πνευματικός 39, 1 φύσεων πνευματικῶν].

Philosophi inde ab Aristotele — Nicom. com. 4, 584, 31 M = 1 K βρωμάτων πνευματικὰ καὶ δύσπεπτα — Strab. p. 51 — pap. Paris. mag. v. 1779 πνευματικὴ αἴσθησις; hinc via expedita ad notionem translatam, quam apud Christianos valere notum est (cf. Paul. ep.

ad Cor. I 15, 44). Origo autem vocis a philosophis Ioniae repetenda videtur esse (cf. Diels l. l. p. 397, eundem Dox. Gr. p. 370.)

Σύ-στοιχος 27, 18 ἀνατολὴν καὶ δύσιν καὶ τὰ σύστοιχα τούτοις . .]

Aristot. de caelo 3, 1 p. 298 a 30 al. — Theophr. C. Pl. 6, 4, 2 — Polyb. 13, 8, 1 — alibi.

His subiungere liceat copiam vocabulorum eorum quorum certa latioris usus testimonia non repperi.

† Διάσπασις 44, 16 νεφῶν]

Aristot. de caelo 4, 6 p. 313 b 20; meteor. 3, 3 p. 372 b 19 — Theophr. de lassitudine 18.

† Διήθησις 45, 14 κατὰ διήθησιν <διὰ> τῶν νεφῶν τοῦ λεπτομερεστάτου φωτός . . fulgur fieri.]

Theophr. C. Pl. 6, 1, 1 διήθησις τοῦ ξηροῦ διὰ τοῦ ὑγροῦ; similiter frg. 2, 2; 50 — Dio Chrys. — Plut. Mor. p. 693 e.

† Δίνησις 38, 15 δινήσεις λεπτομερῶν φύσεων]

Aristot. Phys. 8, 2 p. 243 a 17 al. — Stoici (cf. Diog. L. 7, 132) — Poemand. 94, 12 ed. Parthey — Erotian. p. 100, 17 K. Vide etiam Diels Dox. Gr. p. 353 b 14 (de Democrito).

† Ἐκ-πνευματόω 48, 5 ἐδάφη ἐκπνευματοῦντα τὸν . . ἀέρα.]

[Aristot.] probl. 1, 53 p. 866 a 3 τὸ . . ψυχρὸν συνίστησι . . τὸ δὲ θερμὸν ἐκπνευματοῖ al. — Theophr. C. Pl. 4, 9, 3 al. — Plut. de recta rat. aud. 4 p. 39 D δεῖ τῶν νέων μᾶλλον ἐκπνευματοῦν τὸ ἄημα . . ἢ τῶν ἀσκῶν τὸν ἀέρα, translate.

† Ἐκπύρωσις 45, 16 τὴν τοῦ . . . πνεύματος ἐκπύρωσιν] similiter Aristot. meteor. 1, 5 p. 342 b 2 — Chrysipp. II 222, 24 III 186, 9 = *interitus mundi* — i. q. *eruptio ignis e monte*: Strab. p. 247 τῆς Αἴτνης; Ioseph. A. I. 20, 7, 2 — alii.

† Ἐμ-περίληψις 45, 10 κατ' ἐμπερίληψιν τοῦ φωτός fulgur fieri, quam doctrinam Empedoclis vituperat Aristoteles meteor. 2, 9 p. 369 b 12. 19 ἄλογος ἡ τοῦ πυρὸς ἐμπερίληψις (scil. in nubibus) — Dion. H. de Demosth. c. 38 χρόνων τε ἀξιολόγων ἐμπεριλήψει διορίζεσθαι θάτερα (scil. τῶν ὀνομάτων) ἀπὸ τῶν ἑτέρων.

Ἐναπόληψις 28, 13 τὰς ἐξ ἀρχῆς ἐναπολήψεις τῶν συστροφῶν τούτων ἐν τῇ τοῦ κόσμου γενέσει.]

Aristot. de vento 4 p. 482 b 31 ὅταν ἐν ὑγρῷ πλῆθος ᾖ θερμότητος, ἀνάγκη τὸ ἐκπνευματούμενον διὰ τὴν ἐναπόληψιν ποιεῖν σφυγμόν.

Theophr. de sens. 62; 74 (ubi de Democriti doctrina agit).

Ἐπίβλεψις 3, 10 ἐν τῇ τῶν ὅλων ἐπιβλέψει.]

Aristot. Analyt. pr. 1, 29 p. 45 a 26 al. — Io. Chrys. ep. 61.

† Ἑτεροίωσις 43, 14 cf. Diels Dox. Gr. p. 395 b 27.]

Aristot. Phys. 4, 9 p. 217 b 26 — Plut. de def. orac. 37 p. 430 c τῆς οὐσίας — Marc. Ant. 4, 39 τοῦ περιέχοντος.

Εὐδιάχυτος 77, 8 ἐπιθυμιῶν ὅσαι... εὐδιάχυτον τὴν ὄρεξιν ἔχουσιν transl.] proprie [Aristot.] problem. 1, 42 p. 864 a 29, 35 φάρμακα — Theophr. C. Pl. 4, 12, 2 τέραμον — Dioscorid. l. I c. 18 — Plut. de primo frig. c. 11 p. 949 b ὕδωρ.

† Κάθεσις 47, 7 νέφους] Aristot. meteor. 2, 2 p. 356 a 11 *descensus (aquarum)* — apud Galenum aliosque: τοῦ καθετῆρος — schol. Ar. Ran. 1060 — δράματος i. e. *actio.*

† Νεφοειδής 51, 15; † ὁμιχλοειδής 54, 8; ὁμοιοσχήμων 9, 12; † ὀξυγώνιος[1]) 50, 17, similia quae raro inde ab Aristotele leguntur breviter tangere liceat.

Πάρωρος 59, 4 οὔτε γὰρ ἄωρος οὐδείς ἐστιν οὔτε πάρωρος πρὸς τὸ κατὰ ψυχὴν ὑγιαῖνον.]

Theophr. C. Pl. 3, 29; 5, 1, 3. 4 — alii pauci; v. Herwerdeni lexicon.

† Παχυμερής 51, 18 τὸ περιφερὲς .. καὶ παχυμερές] Aristot. de caelo 3, 5 p. 304 a 31 al. — Strab. transl. p. 66 ταῦτα γὰρ εἴρηται παχυμερῶς — Galen. VI 175, 12 K — Sext. Emp. p. 743, 1 — Constantin. Porphyr. Novell. 264.

Περιαίρεσις 15, 5 ἐν τοῖς παρ' ἡμῖν μετασχιζομένοις κατὰ τὴν περιαίρεσιν τὸ σχῆμα ἐνυπάρχον λαμβάνεται.]

Cf. Aristot. Categor. 7 p. 7 a 32 περιαιρουμένων τῶν ἄλλων ὅσα συμβεβηκότα ἐστί, καταλειπομένου (cf. Epic. 15, 7 καταλείπεται) δὲ μόνου τούτου, πρὸς ὃ ἀπεδόθη οἰκείως . . .

Substantivum apud eundem non occurrit; apud Theophrastum autem proprio sensu dictum est, ut significet *plantarum circumcisiones,* H. Pl. 4, 15, 4; C. Pl. 5, 17, 1. Proprie etiam apud Oribasium et Galenum (II 394 K) i. q. *circumcisio.*

† Πολύκενος 37, 16 ἐν πολυκένῳ τόπῳ.]

[Aristot.] probl. 15, 22 p. 940 a 4, 7 — Plut. quaest. conv. 8, 2 p. 731 c εὔφωνος ὁ χαλκός, ᾗ πολυκενώτερος ὁ ἀήρ. — pauci praeterea.

† Πρόεσις 49, 15 πρόεσις ἐκ τῶν νεφῶν]

---

[1]) Astronomiae peritum auctor pap. mag. Br. Mus. I 135, 76 (ἡ σελήνη .. ὀξυγώνιος) se exhibet.

Aristoteles, Theophrastus, Galenus: πρόεσις τοῦ σπέρματος cf. Plut. de Is. et Osir. c. 34 p. 364 d: Ἕλληνες τὴν τοῦ σπέρματος πρόεσιν ἀπουσίαν καλοῦσιν καὶ συνουσίαν τὴν μῖξιν — Aristot. Eth. Nic. 2, 7 p. 1107 b 12, 13 *effusio pecuniae.*

Πύρωσις 116, 28 ἄτομοι . . παρέσχον θερμότητα καὶ πύρωσιν τῷ σώματι (ubi de vino calefaciente loquitur.)]

Aristot. meteor. 2, 9 p. 369 b 6: τὸ πνεῦμα . . ἐκπυροῦται . . πυρώσει al. — Theophr. H. Pl. 7, 7 — LXX Amos 4, 9 ἐπάταξα ὑμᾶς ἐν πυρώσει; Prov. 27, 21 δόκιμον ἀργύριῳ καὶ χρυσῷ πύρωσις — Plut. de facie in orbe lunae 6 p. 923 d — i. q. φλεγμονή apud medicos.

Addas pap. mag. Berol. II v. 110 (ed. Parthey, Abh. d. Berl. Ak. d. Wissensch. 1865 p. 120 sq.)

† Σβέσις 39, 12 de solis occasu] similiter Aristot. de vita 5 p. 469 b 23 al. — Theophr. de igni 11 al. — similiter Phil. IV 36, 7, transl. idem IV 56, 21 θάνατον σβέσιν τῆς ψυχῆς — alii pauci.

Συμπλήρωμα 11, 9] [Aristot.] probl. 11, 18 p. 901 a 4 — Tim. Locr. p. 96 b. Cf. συμπληρωτικός.

Σχημάτισις 7, 21] Aristot. de hist. an. 4, 10 p. 537 a 26 ἰχθύες καθεύδουσιν ἐν τῇ ἄμμῳ, γιγνώσκονται δὲ τῇ σχηματίσει τῆς ἄμμου. — Iamblich. in Nicom. p. 83 B; 86 D.

Hic inserere liceat duo adverbia:

Πλεοναχῶς 29, 2; 30, 2] Aristot. Eth. Nic. 5, 1 p. 1129 a 23 al. — Theophr. frg. 12, 24 — Strab. — posteriores. Adiectivum autem quod 36, 11; 17 legitur, alibi nusquam invenire potui.

Ποσαχῶς 29, 19]

Aristot. Rhet. 2, 23 p. 1398 a 28 al. — Theophrastus ea voce caret — V T Sir. 10, 31 (bis) — Strab. — alii.

A II 1 a.

Haec sunt quae ante Aristotelem non leguntur; quodsi quis hoc vel illud desideraverit, non quam plurimis, sed quam certissimis exemplis opus esse sciat.

Nunc venio ad illa vocabula quae Epicurus primus videtur adhibuisse. Ea autem ita digerere conatus sum, ut primo loco omnia enumerarem, quae apud posteros, Plutarchi temporibus non recentiores, primum occurrunt in litteris, secundo ea quae post illum demum leguntur — rara plerumque sunt — tertio ἅπαξ λεγόμενα quae dicuntur.

a) verba:

'Α ν α φ ω ν έ ω 24, 16: αὐτὸ τὸ ἐνάργημα, καθ' ὃ τὸν πολὺν ἢ ὀλίγον χρόνον ἀναφωνοῦμεν et 27, 14: φθόγγους.

Polyb. 3, 33, 4 *exclamare* — [Aristot.] de mundo 6 p. 400 a 18 οὐ κακῶς κἀκεῖνο ἀναπεφώνηται — Artemidor. 1, 58 — pauci praeterea.

'Α σ φ α λ ί ζ ω 164, 22 med. ἀσφαλίζου σεαυτόν]

V T Es. 41, 10; Neem. 3, 15; Sap. Sal. 13, 15 (et bis praeterea) semper medium verbi genus — Herond. 1, 88 ἀσ[φα]λίζου[σα?] σαυτήν.[1])

Polyb. 18, 13, 3 act., 2, 54, 8; 6, 22, 4; 9, 3, 3 al. med. — Diod. 18, 52 — N T Luc. act. 16, 24 τοὺς πόδας ἠσφαλίσατο αὐτῶν εἰς τὸ ξύλον — Ioseph. B. I. 2, 24, 4 med. — alii multi. Hic litterarum usus firmatur et titulis et papyris:

Inscr. Perg. 333 B 5 med. — Ditt. Orient. inscr. 515, 25 (tit. Mylasensium tertii saeculi p. C. ineuntis) pass., 613, 4 (a. 392 p. C.) med.

Pap. Ox. II 257, VIII6; 298, 60; pap. Berol. III 893, 21 (s. III/IV p. C.) 923, 4 (s. I/II p. C.) IV 1036, 11 (a. 108 p. C.) pap. Rain. I 20 col. II 14; 232, 7; pap. Paris. mag. 121, v. 189: in quibus omnibus medium verbi genus praevalet.

'Α τ α ρ α κ τ έ ω 30, 4; 30, 6 ἀταρακτῆσαι; 30, 7 ἀταρακτήσομεν (derivatum de ἀτάρακτος cf. Stud. Vind. X 192, 7 ὁ δίκαιος βίος ἀταρακτότατος.)

Ioseph. A. I. 15, 10, 3 — Marc. Ant. 9, 41 — Sext. Emp. p. 5, 9.

'Ε μ π ο δ ο σ τ α τ έ ω 9, 10 οὐδὲν τὸ ἐμποδοστατῆσόν ἐστι πρός .. † 41, 11 οὐδὲν ἐμποδοστατεῖ.

V T Iudith 11, 35 (codex A) — Phil. I 249, 18 ed. Cohn — ἐμποδιοστατεῖν papyr. 24, 54 (a. 117 p. C.) collectionis quae inscribitur: The Tebtunis Papyri I ed. Grenfell Hunt Schmyly Lond. 1902 — perraro praeterea.

Κ α τ α σ τ ρ έ φ ω (cf. supra p. 6 καταστροφή) pro ἀποθνήσκω 61, 18; 75, 20 cf. προκαταστρέφειν 77, 5 (quod simili modo pro *praemature mori* uno loco invenitur: Diog. L. 2, 138) et προκαταστροφή i. e. *mors praematura* 81, 7 (quod omnino nusquam dictum est)] simili ratione Plut. Them. c. 31 — Arrian. exped. Al. 7, 3, 2 — cf. Photium, lex. s. v.: καταστρέψαντες τελευτήσαντες.

---

[1]) Sic Buecheler et Crusius.

† Παρα-βιάζομαι 36, 5 τὸ ἀδύνατον . . παραβιάζεσθαι] LXX Reg. 1, 28, 23; Amos 6, 10 — Polyb. 22, 10, 7 al. — N T Luc. ev. 24, 29 al. — Plut. quomodo adulescens . . c. 11 p. 31 e.

Δυσελπιστέω Stud. Vind. 192, 22 ὁ δὲ γέρων καθάπερ ἐν λιμένι τῷ γήρᾳ καθώρμικεν, τὰ πρότερον δυσελπιστούμενα τῶν ἀγαθῶν ἀσφαλεῖ κατακλείσας χάρακι.]

Polyb. 2, 10, 8. 2, 44, 3. 4, 60, 6. 5, 74, 3. — Ioseph. A. I. 4, 8, 3. — Georg. Pachymer. Andron. p. 149 a.

Ἐνδελεχίζω 159, 26 διὰ τὸ μ[η]δὲ τὸν Εὐδ[ημ]ον ἱκανῶς ἐνδελεχίζειν ἐν φιλ[οσο]φίᾳ]. Raro legitur: LXX Ex. 30, 8; Sir. 9, 4 alibi — Ephraim Syr. I 4 B.

Ἐξ-ακολουθέω 156, 6 τὰ ἐξακολουθοῦντα αὐταῖς (scil. ταῖς ἡδοναῖς) δυσχερῆ].

Quater apud LXX, ut Iob 31, 9 — Polyb. 4, 5, 6. 5, 78, 4. 17, 10, 7 — permultos posteriores, e quibus nomino [Petr.] ep. 2, 1, 16; 2, 2, 2.

In titulo primi saeculi p. C. Hierosolymitano apud Ditt. Orient. inscr. 598, 6.

In papyris: pap. Berol. I 282, 38; II 542, 15; III 825, 9 (a. 191 p. C.); 1007, 15 (tertii saeculi a. C.); pap. Ox. I 94, 20. 95, 32; pap. Rain. I 5, 15; pap. Paris. p. 357, 10 (secundi saeculi a. C.) e. q. s.

Πολυτελεύομαι 156, 18 πέμψον μοι τυροῦ κυθρίδιον, ἵν' ὅταν βούλωμαι πολυτελεύσασθαι δύνωμαι].

Exstat apud unum Diodorum 19, 71 loco non recte in suspicionem vocato: τῶν προσόδων τὸ πλέον μέρος ἀνήλωσε τὰ μὲν πολυτελευόμενος (sic codex Z excerptorum Peirescianorum), τὰ δὲ διανοσφιζόμενος, ubi Dindorfius et Vogelius πολιτευόμενος ceterorum codicum in textu posuerunt, quamquam explicare nequeunt, quomodo scriba in verbum tam singulare pro tritissimo inciderit. Accedit quod πολυτελευόμενος huic loco aptissimum est.

Ἐν-απο-σφραγίζομαι 11, 16 οὐ γὰρ ἂν ἐναποσφραγίσαιτο τὰ ἔξω τὴν ἑαυτῶν φύσιν . .]

Macc. 4, 15, 4 (sive Ioseph. de Macc. VI 296, 3 ed. Bekker) χαρακτῆρα ἐναποσφραγίζοντα act. — Clemens Alex. — Sext. Emp. p. 57, 11 — alibi raro.

Μωκάομαι med. 62, 3 πῶς οὐκ ἀπέρχεται τοῦ ζῆν; ἐν ἑτοίμῳ γὰρ αὐτῷ τοῦτ' ἐστίν, εἴπερ ἦν βεβουλευμένον . . . εἰ δὲ μωκώμενος, μάταιος ἐν τοῖς οὐκ

ἐπιδεχομένοις]. Telet. p. 2, 15 ed. Hense. — V T Ierem. 28, 18 ἔργα μεμωκημένα pass., Sir. 31, 21 προσφορὰ μεμωκημένη — Aquila Ierem. 10, 15 ἔργα μεμωκημένα pro ἔργα ἐμπεπαιγμένα substituit — Aelian. N. A. 1, 29 — Alciphr. ep. 1, 39. Cf. Zonaram (p. 1383) μωκῶ τὸ λοιδορῶ.

b. substantiva:

† Αἰτιολογία 42, 14 ἡ τῶν μετεώρων αἰτιολογία ματαία ἔσται]. Strab. p. 49 Στράτωνος.. ἁπτομένου τῆς αἰτιολογίας, ὅτι φησίν..; p. 830 τίς οὖν ἡ πιθανότης τῆς αἰτιολογίας; similiter Phil. III p. 145 (Wendland) aliique. Cf. αἰτιολογέω supra pag. 29.

Loco rhetoricae ad Alexandrum [Aristot.] 7 p. 1428 a 7 Halmius αἰτιολογία pro ἀντιλογία substituit, an non recte, dubito. Neque certius est, num illud Democriti βούλεσθαι μᾶλλον μίαν εὑρεῖν αἰτιολογίαν ἢ τὴν Περσῶν οἱ βασιλείαν γενέσθαι (frg. 118 D) ad verbum relatum sit.

Ἀκρίβωμα 3, 15 τὸ κατὰ μέρος ἀκρίβωμα; 4, 3; 31, 14] nemo nisi Philodemus isque Epicureus usurpavit (de musica p. 90, 9 ed. Kemke).

Ἀνακοπή 7, 14 εἴτε γὰρ ἦν τὸ κενὸν ἄπειρον, τὰ δὲ σώματα ὡρισμένα οὐδαμοῦ ἂν ἔμενε τὰ σώματα . . . οὐκ ἔχοντα τὰ ὑπερείδοντα . . . κατὰ τὰς ἀνακοπάς.] Strab. p. 143 θάλασσα . . . ἀνακοπὰς λαμβάνει — Dion. H. de comp. v. 16 ἀνακοπὰς συλλαβῶν = *elisiones* (Reiske) al. — Phil. IV 147, 1 de Nilo fluvio — Ioseph. B. I 1, 21, 6 (τοῦ κύματος) — transl. Plut. de profectu in virtute p. 76 F.

Ἄναμμα legit Usener p. 28, 6 πυρὸς ἀνάμματα].

Cf. Plut. plac. phil. p. 890 A Στωικοὶ ἄναμμα νοερὸν ἐκ θαλάσσης (*solem*) et Diels, Dox. Gr. p. 351 b 16 (de Heraclito).

Raro usurpatum, ut a Clemente Alexandrino.

Ἀναφώνησις 92, 11 Ἐπίκουρος ἐν ταῖς ἀναφωνήσεσιν]. Plut. de comm. not. p. 1071 c i. q. *exercitatio vocis*, similiter apud Galenum aliosque medicos.

† Ἄναψις 39, 12 κατὰ ἄναψιν.. καὶ σβέσιν solis ortum et occasum fieri] Dion. H. A. R. II c. 66 τὰς ἀνάψεις τοῦ μεταρσίου πυρός — Plut. de Iside . . c. 11 p. 355 c τὴν ἐξ ὑγρῶν ἡλίου γιγνομένην ἄναψιν.

Ἀντικοπή 10, 5 (bis) 10, 12 scil. τῶν εἰδώλων]

Strab. p. 222 ποταμῶν — Plut. de profectu in virt. c 4 p. 77 A translate, al.

Ἀρέσκευμα 154, 29] Plut. Demetr. c. 11 περιττῶν καινουργὸς ἀρεσκευμάτων.

'Α φ θ α ρ σ ί α 60, 3 τὴν μετὰ ἀφθαρσίας μακαριότητα al.] similiter VT Sap. Sal. 2, 23; (6, 19. 20 = *innocentia.*) —

Strab. p. 712: περὶ ἀφθαρσίας ψυχῆς — Phil. I 53, 22 ed. Cohn — Paul. ep. ad Rom. 2, 7 aliique auctores ecclesiastici — Plut. plac. phil. p. 881 B εὐδαιμονία καὶ ἀφθαρσία.

C. I. IV 1, 8813 (tit. metr. christ.); 9153, 10 (septimi p. C. saeculi) ἀυθαρσία.

Β λ έ ψ ι ς 63, 14 τῇ . . συμφερόντων καὶ ἀσυμφόρων βλέψει; recte Usener in apparatu critico: „*an* ἐπιβλέψει ?“ — Plut. Pelop. c. 32 — Basil.

Γ ῆ θ ο ς 283, 9 τὸ γὰρ ποιοῦν ἀνυπέρβλητον γῆθος . . .]

Plut. Ages. 29 al. — Sext. Emp. p. 567, 2 γῆθος προσηνές τι τυγχάνον κατάστημα — alii. Γηθέω et apud poetas et apud Platonem, Demosthenem, alios paucos legitur.

Cf. Marmor Parium 27 (p. 7 ed. Iacoby) [τὸ γῆ]θος τῶν ὑποδεξαμένων τὸν καρπόν sic Boeckh; πλῆθος Wilamowitz et Iacoby, ἔθος Diels.

† Δ ι ά ῤ ῥ η ξ ι ς 49, 3 σύνωσιν καὶ διάῤῥηξιν (scil. ὑδατοειδῶν τινων].

Unus vocabuli testis est Iosephus (A. I 18, 9, 1) εἴς τι χωρίον διάῤῥηξιν ποταμῶν λεγόμενον.

Ἔ λ π ι σ μ α 121, 35 τὸ γὰρ εὐσταθὲς σαρκὸς κατάστημα καὶ τὸ περὶ ταύτης πιστὸν ἔλπισμα τὴν ἀκροτάτην χαρὰν . . ἔχει].

Dio Chrysost. or. 20 § 24 (II 265, 27 Arnim) ἐπιθυμήματα καὶ ἐλπίσματα. Vituperatur propter vocabuli usum Epicurus a Cleomede (cf. Us. Ep. p. 89, 22.)

† Ἔ μ π τ ω σ ι ς 46, 10 ἔμπτωσιν ἀμφοτέρων (scil. ἀστραπῆς καὶ βροντῆς) ἅμα . .] Dion. H. A. R. 9, 23, 7 οἱ Τυῤῥηνοὶ . . . τῶν ἐφεστηκότων κατόπιν ἐμπτώσει πολλῇ συνεργούμενοι . . — Erotian. — Plutarch. — alii.

Ἐ ν έ ρ γ η μ α 4, 10 τὸ συνεχὲς ἐνέργημα ἐν φυσιολογίᾳ.]

Polyb. 2, 42, 7 al. — Diod. 4, 51 — Paul. ep. ad Cor. I 12, 6 διαιρέσεις ἐνεργημάτων — alii. Pap. mag. Berol. 1 ed. Parthey v. 194.

Ἐ ν ό χ λ η μ α 148, 22 οὐ[κ ἀνά]ξιον φόβ[ου] τὸ κατὰ μετάπ[τ]ωσιν ἐνόχλ[η]μα;]

Oribas. II 67, 4 ed. Bussemaker et Daremberg, alii medici.

† Ἔ ν σ τ η μ α ῥᾳδίως διαλυθήσεται 39, 8 Stoicorum proprium — Sext. Empiric.

Ε ὐ ε λ π ι σ τ ί α Stud. Vind. X 194, 10 τὴν περὶ τοῦ μέλλοντος . .

Polyb. 11, 3, 6 al. — Phil. non semel — alii.

Ἐ π ι σ τ ό λ ι ο ν 146, 14]

pap. Paris. p. 311, 10 (a. 153 a. C.) p. 312, 3 (eiusdem fere temporis) — Plut. Ages. 13 — Marc. Anton. 1, 7 — alii.

Adde pap. Berol. III 775, 10.

Εὐημέρημα 306, 18 ἡ ταπεινὴ ψυχὴ τοῖς εὐημερήμασιν ἐχαυνώθη]

Primum exstat in duobus titulis Pergamenis 167, 7 (a. a. C. 165) et 246, 5 (paulo recentior est titulus) — Polyb. 3, 72, 2 — Diod. 13, 13 — Ioseph. — alii.

Εὐκινησία 20, 5 τὰ πάθη καὶ αἱ εὐκινησίαι καὶ αἱ διανοήσεις καὶ ὧν στερούμενοι θνῄσκομεν.]

Polyb. 8, 28, 3 τῶν ἵππων καὶ τῶν πεζῶν τοὺς διαφέροντας εὐκινησίᾳ καὶ τόλμῃ — Oribas. — pauci praeterea.

† Ἴχνευσις 42, 1 ἐπὶ πάντων γὰρ τῶν μετεώρων τὴν τοιαύτην ἴχνευσιν οὐ προετέον].

[Xen.] Cyneg. 3, 4; 10, 5 quem librum aetatis Romanae posterioris esse Radermacher mihi persuasit (cf. Rh. M. 51, 1896 p. 596 sq. et 52, 1897 p. 13 sq.) — Poll. 5, 11.

Κατάστημα 121, 34 τὸ γὰρ εὐσταθὲς σαρκὸς —]

V T Macc. 3, 5, 45 κατάστημα μανιῶδες; Polyb. 6, 50, 2 οὐδὲν αἱρετώτερον τοῦ Λακωνικοῦ καταστήματος — [Paul.] ep. ad Titum 2, 3 πρεσβύτιδας ἐν καταστήματι ἱεροπρεπεῖς — Ios. A. I. 15, 7, 5 ἀτρεμαίῳ τῷ καταστήματι πρὸς τὸν θάνατον ἀπῄει (Ἀλεξάνδρα); Ptolem. math. comp. p. 193, 3 ed. Heib. — Poll. 1, 113 — alii.

Accedit titulus primi saeculi p. C. Aegypti apud Ditt. Orient. Inscr. 669, 3: πᾶσαν πρόνοιαν ποιούμενος τοῦ διαμένειν τῷ προσήκοντι καταστήματι τὴν πόλιν (est edictum praetoris).

Καταστηματικός 91, 9 ἡ ἀταραξία καὶ <ἡ> ἀπονία καταστηματικαί εἰσιν ἡδοναί] apud Plutarchum demum recurrit: Ti. Gracch. c. 2 — cf. Maxim. Planud. (Walz, rhetores Graeci V p. 458): καταστηματικώτερον μέλος τὸ καλούμενον σπονδεῖον.

Καύχησις 130, 3 ubi in Nausiphanem magistrum invehitur: ἀλλ' ἴτωσαν· εἶχε γὰρ ἐκεῖνος ὠδίνων τὴν ἀπὸ τοῦ στόματος καύχησιν σοφιστικήν . . .] Mirum quod praeter Philodemum, qui ex Epicuro pendet, nusquam nisi in libris sacris inveniri videtur: V T Ier. 12, 13; Par. 1, 29, 13; Prov. 16, 31; Sir. 34, 10 — N T Paul. ep. ad Rom. 15, 17 ἔχω οὖν τὴν καύχησιν ἐν Χριστῷ; 3, 27 ποῦ οὖν ἡ καύχησις;

Κενοδοξία 78, 7] V T Sap. Sal. 14, 14 — Pol. 3, 81, 9 al. — Diodor. 17, 107 — Phil. — [Paul.] ep. ad Phil. 2, 3 — Lucian. multique alii.

† Λόξωσις 40, 10 τροπὰς ἡλίου καὶ σελήνης ... γίνεσθαι κατὰ λόξωσιν οὐρανοῦ]. Plut. plac. phil. 2, 23 p. 890 e — Ptolemaeus et quorum est id describere (cf. Diels, l. l. p. 239, 32).

Μελλησμός 162, 6 ὁ δὲ πάντων βίος μελλησμῷ παραπόλλυται (eadem sententia Stud. Vind. X frg. 14).]

Dion. H. A. R. 7, 17 — Paus. 4, 31, 3 — Alciphr. III 39, 2 — Poll. 1, 43; 3, 122; 9, 137; v. Lobeck, Parerga ad Phr. p. 512.

Νύγμα 280, 20 τοὺς γαργαλισμοὺς καὶ τὰ νύγματα voces voluptatis definiendae] Nicand. Ther. 362. 446 — Galen. I p. 239, 4 K εἰ δ'ὀξὺ καὶ λεπτὸν εἴη τὸ τιτρῶσκον, ὀνομάζεται νύγμα — alii.

Οἰκείωμα St. Vind. X 194, 15 φιλοσοφεῖν καὶ οἰκονομεῖν καὶ τοῖς λοιποῖς οἰκειώμασι χρῆσθαι] Strab. p. 269 i. q. *affinitas* — Dion. H. V 7 p. 275, 14 Ri. q. ἰδίωμα (τὴν πόλιν παραβαλεῖς πρὸς τὰς ἄλλας ἀπὸ μεγέθους, ... ἀπ' οἰκειώματος).

Πάλσις 12, 7 τῶν ἀτόμων]

Chrysipp. II 247, 36 τῆς καρδίας — Porphyr. apud Euseb. pr. ev. p. 112 b — alii perraro.

† Παράθεσις 48, 1 terrae motus fieri κατὰ πνεύματος ἐν τῇ γῇ ἀπόληψιν καὶ . . αὐτῆς παράθεσιν καὶ συνεχῆ κίνησιν] e versione Cobeti: *quum haec (*scil. *terra) parvis corporibus perpetuoque motu se obicit* —

Variae sunt notiones vocis: ad Epicuri locum maxime appositi sunt hi: Aet. I 17, 2 = Diels l. l. 317 οἱ περὶ . . Δημόκριτον τὰς κράσεις κατὰ παράθεσιν γίγνεσθαι τῶν στοιχείων . . — Chrys. II, 153, 2 παράθεσιν . . σωμάτων συναφὴν . . ὡς ἐπὶ τῶν σωρῶν; [Archimed.] III 80, 29 H κανόνος παραθέσει *regula applicata*. —

Polyb. 3, 36, 3 τῶν ὀνομάτων; 5, 24, 5 οἷς ἐπιμιγνύμενοι κατὰ τὴν παράθεσιν Κελτοί i. q. *vicinitas;* cetera vide apud Schweighaeuserum — VT Macc. 1, 9, 52 ἔθετο ἐν αὐταῖς (scil. ταῖς πόλεσι) δυνάμεις καὶ παραθέσεις βρωμάτων al. — cetera v. apud Sophoclem l. l. et Herwerdenum l. l.

Cf. tit. apud Ditt. Orient. Inscr. 90, 22 (est monumentum Rosettanum) πόλις . . ὠχυρωμένη . . ὅπλων . . παραθέσει . .

Pap. Flinders P. II p. 80 (4) 6 εἰς τὴν παράθεσιν (?) τῶν κατὰ Πτολεμαΐδα ἔργων (III s. a. C.). Ox. Pap. IV 713, 35 (a. D. 97) πρὸς παράθεσιν *„for registration."*

† Παρέκτασις 53, 7 ἀέρος] Dion. H. de comp. v. c. 15 τῇ παρεκτάσει τῶν συλλαβῶν τὸν ἄπαυστον ἐμφαίνειν βουλόμενος ἦχον (scil. Ὅμηρος)· Ἠιόνες βοόωσιν — [Nicomach.] Theolog. Arithm. p. 52 ed. Ast.

Ῥεῦσις 11, 3 — ἀπὸ τῶν σωμάτων τοῦ ἐπιπολῆς συνεχής].

Dioscorid. 2, 180 κοιλίας — Cornutus — apud Basilium, alios i. q. *emanatio*; vide Sophoclis lexicon.

Στοιχείωμα 4, 5 i. q. στοιχεῖον] Philodem. rhetor. I 140, 42 ed. Sudhaus — Astrologi posteriores, cf. Passovii lex. s. v.; cf. Diels, Elementum p. 8[1].

Στοιχείωσις 4, 12 ἐποίησά σοι . . ἐπιτομὴν καὶ στοιχείωσιν τῶν ὅλων δοξῶν] similiter: Posidonius (Diog. L. 7, 138) — Phil. II 123, 3. Wendl. — Galenus — alii.

Aliter: VT Macc. 2, 7, 22 οὐκ οἶδ' ὅπως εἰς τὴν ἐμὴν ἐφάνητε κοιλίαν . . καὶ τὴν ἑκάστου στοιχείωσιν οὐκ ἐγὼ διερύθμισα; cf. Diels, Elementum p. 46.

† Συγκύρημα 54, 4 κατὰ συγκύρημα τοῦ καιροῦ]

Pol. 4, 86, 2 — Cic. ad Att. 2, 12 — Symmachus interpres VTi: Reg. 1, 20, 26; Ps. 90, 6 — alii.

† Συγκύρησις 42, 9]

Pol. 9, 12, 6 — Sext. Emp. Pyrrh. I § 141.

Συζήτησις St. Vind. X 197, 18 ἐν φιλολόγῳ συζητήσει πλεῖον ἤνυσεν ὁ ἡττηθείς, καθ' ὃ προσέμαθεν.]

Philodem. voll. Herc. I p. 52 D — Cic. ep. 16, 21, 4: *non est enim seiunctus iocus a* φιλολογίᾳ *et cotidiana* συζητήσει — Phil. I 258, 4 Cohn Κάϊν . . τὸν Ἄβελ εἰς συζήτησιν ἀγαγών — NT Luc. act. 15, 7 (v. l.) 28, 29; 15, 2 (v. l.)

Συμφόρησις 18, 1 συμφόρησιν δὲ ἐκ τούτων κίνησιν ἐχόντων οὐχ οἷόν τε γενέσθαι]

Plut. Per. 34 ἡ τοῦ χωριτικοῦ πλήθους εἰς τὸ ἄστυ συμφόρησις — Plotin. — alii.

Συναναστροφή Stud. Vind. X 192, 24 ἀφαιρουμένης προσόψεως καὶ ὁμιλίας καὶ συναναστροφῆς ἐκλύεται τὸ ἐρωτικὸν πάθος]

VT Sap. Sal. 8, 16; Macc. 3, 2, 33 τῆς κοινῆς συναναστροφῆς ἐστέρουν — Diod. 3, 18 — Epictet. 1, 9, 5 — posteriores multi.

Ὑπεναντιότης 28, 12 τάραχον ἐν ταῖς ψυχαῖς αὐτὴ ἡ ὑπεναντιότης παρασκευάσει].

Strab. p. 344; 454 — Ioseph. contra Apionem 1, 25 — Nicomach. arithm. p. 151, 36 ed. Ast: τῆς πρὸς τὴν γεωμετρικὴν ὑπεναντιότητος.

Ὑπεξαίρεσις 72, 2 ὅρος τοῦ μεγέθους τῶν ἡδονῶν ἡ παντὸς τοῦ ἀλγοῦντος ὑπεξαίρεσις].

Diod. 12, 21, 2 ὑπεξαίρεσιν ἀπέτρεψε τῆς βλαβερᾶς τρυφῆς —

Epict. enchir. 2, 2 κούφως καὶ μεθ' ὑπεξαιρέσεως — Sext. Emp. p. 390, 28: πολλὰ.. καθ' ὑπεξαίρεσιν λέγεται.. ὡς τὸν Δία φαμὲν θεῶν.. εἶναι πατέρα καθ' ὑπεξαίρεσιν αὐτοῦ τούτου — al.

c. adiectiva:

Ἀνεπιλόγιστος Stud. Vind. X 196, 22] [Plat.] Ax. p. 365 d; 369 e i. q. *temerarius*, *inconsultus* — aliter Eusebius, de quo vide Sophoclis lexicon...

Ἀνοίκειος 60, 2 μηδὲν τῆς μακαριότητος ἀνοίκειον αὐτῷ (scil. τῷ θεῷ) πρόσαπτε] Chrys. II 243, 35 — Polyb. 5, 96, 8; 6, 10, 1; 24, 5, 13 — Diod. 3, 56 — [Longin.] περὶ ὕψους c. 43 — alii.

Ἀνύπαρκτος 100, 1 μαντικὴ οὖσα ἀνύπαρκτος..]

ἀνύπαρκτος καὶ ὑπαρκτός voces Stoicorum propriae sunt, cf. e. g Plut. de Stoic. repugn. 1046 BC et Posidonium apud Diog. L. 7, 191 — Phil. III 162, 26 Wendl. al. — Plut. Lyc. 31 al. — Symmachus interpres VTi: Iob 24, 17 al. — Sext. Empiric. — alii.

De adiectivis verbalibus, ut est ὑπαρκτός (100, 1) hoc loco disserere in animo non est; hoc tantum dico apud Epicurum ceterosque auctores posteriores, quos quidem norim, magnam eorum multitudinem exstare atque ex omnibus fere verbis talia derivata existere: cf. e. g. ὁρατός Ep. 15, 18; διαληπτός 16, 13; θεωρητός 16, 14; 19, 11; γνωστός 22, 16; αἱρετός 63, 12; φευκτός 63, 13 e. q. s.

Ἀπερίληπτος 7, 19 τὰ ἄτομα ... ἀπερίληπτά ἐστι ταῖς διαφοραῖς τῶν σχημάτων; 8, 1 (αἱ ἄτομοι) οὐχ ἁπλῶς ἄπειροι ἀλλὰ μόνον ἀπερίληπτοι]

Strab. p. 830: τῶν ἀπεριλήπτων τὸ πλῆθος — Phil. II 163, 22 — Plut. Pomp. 25 — Apollon. Dysc. — Christiani.

Ἀποτελεστικός 14, 7 ἔγκλισιν.. ῥεύματος πνευματώδους ἀποτελεστικήν.]

[Plat.] defin. 412 c — [Longin.] περὶ ὕψους 16, 1 — Sext. Emp. p. 125, 16 — Basil. e. q. s.

Ἀπερινόητος 10, 5 ἐν ἀπερινοήτῳ χρόνῳ]

Pol. 4, 57, 10 ἀπερινοήτως i. q. *improviso* — Phil. III 159, 13 ἀπερινόητον καὶ ἀκατάληπτον — auctores ecclesiastici, apud quos de deo dicitur.

Pap. mag. Paris. v. 1138 ἀπερινόητον σχῆμα κόσμου.

† Ἀσείστως 36, 17 πάντα . . γίνεται —]

ἀσείστως Epict. 2, 17, 33 — Origen. — Basil. — ἄσειστος primum apud Maximum Tyrium.

Δυσπόριστος 77, 9 al.] Dion. H. A. R. 1, 37, 4 — Philo — Plut. an seni.. p. 786 A al. — Galen.

† Εὐπερίγραφος 35, 7 σύντομον καὶ εὐπερίγραφον διαλογισμόν].

Adverbium iam Attalus apud Hipparchum p. 78, 20 ed. Manitius — adiectivum Strab. p. 78; 171: νησίδια.. ἔχοντα τὸ εὐπερίγραφόν τε καὶ σημειῶδες. — Lucian. — posteriores pauci.

Εὐπόριστος 63, 21 τὸ μὲν φυσικὸν πᾶν εὐπόριστόν ἐστι; 65, 5 τὸ μὲν τῶν ἀγαθῶν πέρας.. εὐσυμπλήρωτον καὶ εὐπόριστον; 74, 15; 76, 1; 300, 27].

Cic. ad Att. 7, 17 — Phil. III 231, 22 W — Plutarch. —

Ἰδιότροπος 13, 15]

Strab. p. 823 — Diod. 5, 10 al. — Phil. — Ioseph. A. I. 4, 6, 8 — alii non pauci.

† Κρυσταλλοειδής 45, 2 πῆξιν.. κρυσταλλοειδῆ]

VT Sap. Sal. 19, 21 κρυσταλλοειδὲς γένος ἀμβροσίας τροφῆς — Strab. p. 204 — Dio Cass. 49, 31 — Galen. II, 71 K.

Συμπληρωτικός 64, 4 τὸ συνεθίζειν.. ἐν ταῖς ἁπλαῖς.. διαίταις.. ὑγιείας ἐστὶ συμπληρωτικόν].

Habent stoici veteres, cf. Arnim l. l. III 35, 29 — Philo — Iamblichus — Athanasius II 228 c — alii horum similes.

Denique appono adverbium προσφάτως i. q. *nuper*, quod a posterioribus saepissime usurpatum est (de adiectivo πρόσφατος eiusque notionibus cf. Phrynichum 113 R). Epicurus in epistula ad matrem frg. 11 B 4 Rh. M. 47 p. 428: προσφάτως δὲ δὴ καὶ διὰ τοῦ Κλέωνος τὰς ἐννέα μνᾶς ἀπεσταλκότος — VT Deut. 24, 5 al. — Polyb. 5, 62 al. — Parthen. 43, 7 — Babr. 30, 3 — alibi.

A II 1b.

Sunt alia vocabula, quae post Epicurum per longum tempus quasi latere videntur neque prius occurrunt quam apud auctores Plutarcho recentiores.

Ἑτεροφρονέω Stud. Vind X 192, 21 ὁ.. ἐντὸς ἀκμῆς πολὺς ὑπὸ τῆς τύχης ἑτεροφρονῶν πλάζεται]. Io. Cinnam. Hist. VI 2 p. 251, 18 Mein. ἑτεροφρονῶν τὰ τῇδε διετείνετο ἔθνη. Cf. ἀλλοφρονέω i. q. *delirare* Hippocr. 7, 30 L.

† Συμπαράκειμαι 49, 16 πρὸς ἄλληλα θλιβομένων <τῶν> ὑδατοειδῶν καὶ συμπαρακειμένων] Anna Comn. p. 35 A aliique Byzantini — συμπαρατιθέναι Polyb. 2, 66, 7.

† Ἀθροότης 49, 4]
Alex. Aphrod. ter — Oribas. II 65, 11 ed. Bussemaker et Daremberg.

Ἀνταναπλήρωσις 11, 5 ῥεῦσις ἀπὸ τῶν σωμάτων . . οὐκ ἐπίδηλος διὰ τὴν ἀνταναπλήρωσιν]. Gregor. Palam. p. 15.

Ἀοχλησία 62, 12 τοῦ σώματος] Clem. Alex. p. 180, 19 βίου — Sext. Emp. p. 5, 3 ἀταραξία δέ ἐστι ἀοχλησία καὶ γαληνότης (quae definitio Epicuri doctrinam sapit) — Eustathius.

† Ἀπόπαλσις 50, 1 κατὰ τρῖψιν δὲ νεφῶν πῆξιν εἰληφότων ἀπόπαλσιν ἂν λαμβάνοι τὸ τῆς χιόνος τοῦτο ἄθροισμα] Galen. II 51, 10; 59, 15 ubi de Epicureis loquitur — Archigenes apud Oribas. II 157, 12 τὰς ἀποπάλσεις τὰς ἐν τῷ ψαλισμῷ.

† Ἀποτέλεσις 50, 9 ὑγρασίας. [Nicomach.] Theolog. Arithm. p. 44 ed. Ast.

Ἐπαίσθησις 13, 16 ὁμοιομερεῖς ὄγκους . . τὴν ἐπαίσθησιν ἐπ᾽ἐκείνου (scil. τοῦ ἀποστείλαντος) ποιοῦντας et 14, 2] Porphyr. de abstinentia 1, 57; 3, 15 ed. Nauck ἥτις ἐκ συνέσεως λογικῆς παραγίνεται.

† Ἐπάρδευσις 38, 4 σπερμάτων . . ἐπαρδεύσεις . . ποιούντων] Cyrill. c. Iulianum I p. 30 B; cf. Lobeck ad Phryn. p. 763.

Ἐπιμαρτύρησις 76, 17 εἰ δὲ βεβαιώσεις καὶ τὸ προσμένον ἅπαν ἐν ταῖς δοξαστικαῖς ἐννοίαις καὶ τὸ μὴ τὴν ἐπιμαρτύρησιν, οὐκ ἐκλείψει τὸ διεψευσμένον] Marc. Anton. 7, 62 οὐκ ἐπιμαρτυρήσεως δεήσῃ — Sext. Emp. p. 40, 17; 237, 20. Cf. ἐπιμαρτυρεῖσθαι 12, 12.

Θνητότης Inscr. Oenoandis rep. frg. 10 B b 4 (Mus. Rh. vol. 47 p. 427) διὰ τὴν θνητότητα τῆς ἀφθάρτου καὶ μακαρίας φύσεως]
Didym. Alexandr. v. 39 p. 1117 D (Migne) e. q. s.

Κροτοθόρυβος 146, 13 οἵου κροτοθορύβου ἡμᾶς ἐνέπλησας]. Cuius vocabuli ab Epicuro audacter ficti Plutarchus et Eunapius meminerunt.

Πολυμιξία 184, 12 τῶν σπερμάτων] de coitu Theophilus Antiochenus p. 1100 A (Migne) et Epiphanius.

† Πρόσκρισις 38, 15 κατὰ προσκρίσεις . . λεπτομερῶν τινων φύσεων] Artemidor. Oneir. p. 204, 7 ed. Hercher (πρόσχρησις V in margine).

† Πρόσλαμψις 51, 1 Ἶρις γίνεται κατὰ πρόσλαμψιν τοῦ ἡλίου πρὸς ἀέρα ὑδατοειδῆ; 51, 6] Georg. Pisid. de opificio mundi p. 346. — Man. Phil. I p. 112 (Miller) πρόσλαμψις ἡλίου.

Σέμνωμα 28, 8 πᾶν τὸ σέμνωμα τηρεῖν; 28, 11 ὑπεναντίαι . . τῷ σεμνώματι δόξαι]. Eustath. ad Il. p. 18, 25 ἕκαστοι τῶν ἐξ ἔθνους ἡμιλλῶντο τοῖς

οἰκείοις βασιλεῦσιν ἐπινοήσασθαι πλείω τῶν λοιπῶν σεμνώματα — alii Byzantini similiter.

† Τεχνιτεία 40, 19 μὴ φοβούμενος τὰς ἀνδραποδώδεις ἀστρολόγων τεχνιτείας].

Athen. 4 p. 130 a — Herm. Trism. apud Stob. phys. I 389, 8 W — Sext. Emp. p. 743, 29.

Ὑπέρεισις 8, 6 ἡ .. τοῦ κενοῦ φύσις .. τὴν ὑπέρεισιν (scil. τῶν ἀτόμων) οὐχ οἷα τε οὖσα ποιεῖσθαι] Iamblich. vit. Pyth. p. 16, 12 (Nauck) τὴν τῶν ἀτόμων ὑπέρεισιν καὶ χειραγωγίαν — Euseb.

† Φυσιολόγημα 36, 21 ἐκ παντὸς ἐκπίπτει φυσιολογήματος, ἐπὶ δὲ τὸν μῦθον καταρρεῖ] Tzetz. chil. V 478 τὸ δὲ φυσιολόγημα τὸ περὶ ἡλίου; VII 592 σοφὸν φυσιολόγημα διδάσκουσιν εὐτέχνως.

† Χρῶσις 51, 5] Poll. VII 169 ἐρεῖς δὲ βαφή, χρῶσις e. q. s.

† Ψυχρασία 49, 13 τῶν νεφῶν] Galen. XIV p. 555, 4 K. De forma videas quae de ὑγρασία supra p. 12 protulimus.

† Ἀλληλοῦχος 44, 4 περιπλοκὰς ἀλληλούχων ἀτόμων] Lexicis quae Iulianum et Hesychium afferunt addas papyrum magicam Parisinam v. 2917 ἀλληλοῦχα πυρὸς μεγάλου περιδεινήτειρα.

Ἀφυσιολόγητος 145, 2 προσέπεσεν ἐπιθύμημα ἀφυσιολόγητον τοῦ περιπλακῆναι ἡμῖν γονάτων ἐφαπτόμενον ..] Gregor. Nyss. I p. 19 A.

Ἐπιβλητικῶς 12, 7 vide infra p. 53 sq. sub ἐπιβολή.

† Στυλοειδῶς 47, 8 νέφους εἰς τοὺς κάτω τόπους στυλοειδῶς[1]) ὑπὸ πνεύματος .. ὠσθέντος fieri πρηστῆρα].

Adiectivum Galeno II 271, 18 K pro osse quodam bracchii est, deinde exstat apud Stephanum Diaconum p. 1148 c (vol. C Migne).

A II 2.

Relinquitur, ut ea enumeremus quae apud nullum auctorem nisi apud Epicurum exstare videntur.

Atque hic ordine alphabetico omisso ita agam, ut quomodo vocabula formata sint clare perspiciatur.

a. substantiva in —μα:

Ἀνακραύγασμα] 89, 23: ἱερὰ ἀνακραυγάσματα. Cleomedes Epicuro vitio dedit, κραυγάζω κραυγασμός similia Phrynichus (337 L) vetuit.

---

[1]) Sic Usener probabiliter, ἀλλοειδῶς libri.

Διαλόγισμα 22, 9 τὰ διαλογίσματα <τὰ> περὶ ψυχῆς; † 35, 13 τὰ διαλογίσματα ταῦτα] cf. 35, 2. 7 διαλογισμός, quod vix differt notione.

Καταμέτρημα 17, 18] cf. supra p. 21 καταμετρέω.

Λήκημα 89, 24 vituperatur a Cleomede.

b. substantiva in —μός:

Ἀποπαλμός 8, 8 ἥ τε στερεότης (scil. τῶν ἀτόμων) τὸν ἀποπαλμὸν ποιεῖ] cf. παλμός et πάλσις.

Γαληνισμός 32, 5] cf. infra p. 53 ἐγγαληνίζω.

Iam Hippocrates VI 114 L γαλήνη translate usurpaverat: γαλήνη ἐν τῷ σώματι — deinde Plato vocem ad animae tranquillitatem significandam adhibuerat (leg. VII 791 A). Verbum autem Hippocrates, Euripides, Alexis, alii praebent.

† Ἐκριπισμός 45, 7: fulgur fieri κατ' ἐκριπισμόν] cf. ἐκριπίζω Aristot. meteor. 1, 8 p. 346 a 9.

Ἐπερεισμός 12, 6.

Καταιγισμός 280, 18] cf. 280, 24: ὥσπερ ἡ θάλασσα χειμῶνας ἴσχει καὶ καταιγισμοὺς τὸ σῶμα (sic Plutarchus vocem explicavit).

Hoc vocabulum Epicureum derivatur e καταιγίζω, quod inde ab Aeschylo (Sept. 63 πρὶν καταιγίσαι πνοὰς | Ἄρεως) non raro legitur.

c. substantiva in —σις:

† Ἀντέξωσις ἀέρος 40, 11.

† Ἐκπνευμάτωσις 54, 8] cf. supra p. 37 ἐκπνευματόω.

† Ἐκέκρηξις τῶν περιεχόντων 54, 9.

† Ἐπιπροσθέτησις 40, 1; 41, 2 (κατὰ προσθετήσεις libri); 41, 18; 42, 6. Cf. Kumanudis συναγωγήν s. v. ἐπιπροσθετέω.

† Κράδανσις 48, 2 coniecit G. Hermannus, κράδυνσιν vel κράδαστον vel κραδαστόν praebent libri.

† Μέρισις 48, 17.

Ὁμούρησις 20, 17 κατὰ τὴν ὁμούρησιν καὶ συμπάθειαν; num iure Usener p. 49, 2 ὁμούρησιν pro ὁμοῦ ῥῆξιν in textu posuerit dubito.

Sane ego quoque censeo locum esse corruptum, id quod vel inde apparet, quod Usener praeter coniecturam illam etiam <πνευματωδῶν δέ τινων> de suo addere cogitur. Sed ne priore quidem loco ὁμούρησις tenendum esse existimo. Primum enim vocabulum Ionum more formatum (cf. supra p. 20 ὁμορέω) ne Epicurus quidem, quamquam κυθρίδιον in epistula quadam (cf. supra pag. 10) admisit, dicere

ausus sit in libro qui est de philosophia. Deinde facile fieri potuit, ut ὁμούρησιν pro ὁμοῦ ῥύσιν irreperet. Ῥύσις enim, quod 47, 12 (ῥύσεως, cod. H[1] ῥήσεως) exstat, eo loco non tam ineptum mihi videtur. Certe graves obstant dubitationes num illud ἅπαξ λεγόμενον iure lexicis mandemus[1]).

Προσδέησις 28, 5 ἐν ἀσθενείᾳ καὶ φόβῳ καὶ προσδεήσει τῶν πλησίον.

Προσκατανόησις 29, 12] cf. infra p. 53 προσκατανοέω.

Σέβασις 145, 4.

d. in —ία:

† Ἀλλοφυλία 48, 11 τὰ δὲ πνεύματα συμβαίνει γίνεσθαι κατὰ χρόνον ἀλλοφυλίας .. παρεισδυομένης]. Adiectivum ἀλλόφυλος vetustissimum est.

Διαπορίαι inscribebatur unus ex Epicuri libris, cuius fragmenta Usener p. 97 sq. collegit.

† Συμφυλία 54, 5.

In —σία exit:

Διαθερμασία 115, 30 τὰς ὑπὸ τοῦ οἴνου διαθερμασίας = 116, 5. Cf. supra p. 23 θερμασία, quod atticum esse negavimus; διαθερμαίνω autem apud Hippocratem passim legi.

e. substantiva in —εια:

† Ἐκφάνεια 40, 1 ἐκφάνειάν τε ὑπὲρ γῆς scil. ἡλίου καὶ σελήνης, sic codd. B P Q.]

Loco Heron. Spirit. I 18, 27 ed. Schmidt, quem Stephanus indicat, ἐπιφάνεια scribitur.

Μειρακιεία deest lexicis: Stud. Vind. XII p. 3 μειρακιείαν κατὰ (μυρακιείαν καὶ codex) τὴν ἐν λόγοις εὐρυθμίαν παραιτητέον· μικρὰ γὰρ θαυμαζομένη μεγάλων στερίσκεται.

Προσεμφέρεια 17, 5] cf. supra pag. 14 προσεμφερής.

His addatur:

Προκαταστροφή i. e. *mors praematura*, quod vocabulum iam supra p. 6 commemoratum est.

Verba duabus praepositionibus formata haec sunt:

---

[1]) Nordenus vocabulum Epicuro abrogare non vult propterea quod 20, 17: κατὰ ὁμούρησιν καὶ συμπάθειαν duae quattuor syllabarum voces coniunctae sint, qualia artificia Epicurum adamasse dicit; atque vocabulum ex Democrito sumptum esse, unde forma Ionica.

† Ἐπισυνωθέω 47, 12 ἀέρος τινὸς ἐπισυνωθουμένου ἄνωθεν.
Προσκατανοέω 21, 14; 24, 12; cf. supra p. 52 προσκατανόησις.

Una praepositio praefixa est his:

Ἀνθιερόω 145, 5 ἐποίεις οὖν καὶ ἡμᾶς (scil. Epicurum) ἀνθιεροῦν σὲ αὐτὸν (scil. Coloten) καὶ ἀντισέβεσθαι.

Ἀντισέβομαι] vide ἀνθιερόω.

Ἐγγαληνίζω 4, 11 ἐγγαληνίζων τῷ βίῳ.

Ἐξαιτιολογέω 31, 7 ἐξαιτιολογήσομεν ὀρθῶς καὶ ἀπολύσομεν.

† Καταγαπάω 41, 5 τὸν μοναχὸν τρόπον κατηγαπηκώς; 55, 8 καταγαπήσαντες.

Καταστοιχειόω 3, 11 τὸν τύπον τῆς ὅλης πραγματείας τὸν κατεστοιχειωμένον δεῖ μνημονεύειν.

Adiectiva deinde εὐσυμπλήρωτος 65, 4; ὁμοιόμορφος 12, 1; ὑδατοποιός † 49, 7 (si modo codici F confidere licet) nusquam alibi exstare videntur.

Restat, ut de eis vocabulis quibus novam notionem subesse Epicurus voluit pauca proferam. Atque iam a principio conicere possumus eorum copiam non tantam esse quanta est apud Polybium, quippe qui maiore temporis spatio ab optima Atthide absit. Tamen nonnulla, quae exscripsi, satis digna sunt quae notentur.

Ac primum quidem animos convertimus ad reipublicae Atheniensium propria quorum usus apud posteros latius patet:

Nonnulla iam Aristoteles translate usurpat: χορηγέω 66, 1 ἀρχὰς .. ἀγαθῶν .. ὑπὸ ταύτης (scil. τῆς τύχης) χορηγεῖσθαι — χορηγία 160, 12 et Inscr. Oenoandis rep. frg. 11 A b 1 τῶν μέντοι χορηγιῶν φείδου πρὸς Διός. — λειτουργέω 28, 1 ἀνατολὴν καὶ δύσιν .. μήτε λειτουργοῦντος τινὸς νομίζειν δεῖ γενέσθαι; at † 42, 12 ἀλειτούργητος (ἡ θεία φύσις ... ἀλειτούργητος διατηρείσθω καὶ ἐν τῇ πάσῃ μακαριότητι) Aristoteles non habet — ἀπόφασις *opinio* 60, 10 αἱ τῶν πολλῶν ὑπὲρ θεῶν ἀποφάσεις — ὑπόληψις: opponitur πρόληψις 60, 8 οὐ γὰρ προλήψεις εἰσὶν ἀλλ' ὑπολήψεις ψευδεῖς (cf. Chrysipp. II 291, 26).

† Συνθεωρέω 41, 14 ἐάν τις .. τὰς ὑποθέσεις ἅμα καὶ αἰτίας συνθεωρῇ. Quae notiones omnes fere non solum litterarum monumentis posterae aetatis, sed etiam titulis et papyris comprobantur.

Apud Epicurum primum notio harum vocum mutata est: ἐπιβολή saepe *notionem, conceptum* significat: 4, 4 τὸ ταῖς ἐπιβολαῖς

ὀξέως δύνασθαι χρῆσθαι; 5, 8 κατὰ τὰς αἰσθήσεις δεῖ πάντα τηρεῖν καὶ ἁπλῶς τὰς παρούσας ἐπιβολὰς εἴ τε διανοίας εἴ θ' ὅτου δήποτε τῶν κριτηρίων; similiter 12, 16; 19, 13 ἐπεὶ τό γε θεωρούμενον πᾶν ἢ κατ' ἐπιβολὴν λαμβανόμενον τῇ διανοίᾳ ἀληθές ἐστιν; 23, 9 ἐπιβολὰς . . ἰδίας alibi; quae notio quomodo orta sit, hi docent loci: 3, 14 ἥ τε κυριωτάτη ἐπιβολὴ ἐπὶ τὰ πράγματα; 3, 11 τῆς γὰρ ἀθρόας ἐπιβολῆς πυκνὸν δεόμεθα[1]). — παράστασις i. q. *fiducia, voluntas:* 143, 21 σὺ δὲ ἀξίως τῆς ἐκ μειρακίου παραστάσεως πρὸς ἐμέ e versione Ciceronis de fin. II 30, 96 *Sed tu, ut dignum est tua erga me . . voluntate;* cf. Polyb. 5, 9, 6 μεγίστη . . παράστασις ἐπὶ τούτοις εἶχε τὸν βασιλέα; titulum Magnesiae repertum II a. Chr. n. saeculi (Ditt. 552, 11) θείας ἐπιπνοίας καὶ παραστάσεως γενομένης; tit. Panormitanum a. 1084 p. Chr. n. C. I. IV 1, 8716, 5 ἐτελειώθη . . ὁ ναὸς . . δι' ἐπιτροπῆς καὶ παραστάσεως Νικολάου. — περιοδεύω et περιοδεία translate dicta sunt † 35, 16 διὰ μνήμης ἔχων ὀξέως αὐτὰ (scil. διαλογίσματα) περιόδευε; proprie Aen. tact. 54, 10 al. i. q. *circumvenire hostes* — 4, 6 τῆς συνεχοῦς τῶν ὅλων περιοδείας; 32, 2 τὰς πλείστας τῶν περιοδειῶν ὑπὲρ τῆς ὅλης φύσεως, at proprie Aen. tact. 52, 3. 4. 6 al.

Ἐπιτομή τῆς ὅλης πραγματείας 3, 4 i. q. *summarium*; 35, 17 ἐν τῇ μικρᾷ ἐπιτομῇ πρὸς Ἡρόδοτον . . sic etiam [Aristot.] probl. 10 p. 891 a 6; p. 898 b 25 ἐπιτομὴ φυσικῶν — posteriores, at Aeschines 3, 13 τῆς κεφαλῆς.

Finem faciat locutio ἐλπίδα ὑπογράφειν *spem ostentare:* 65, 14 ὃ μὲν γὰρ (scil. ὁ μῦθος) ἐλπίδα παραιτήσεως ὑπογράφει θεῶν διὰ τιμῆς, ἡ δὲ (scil. ἡ τῶν φυσικῶν εἱμαρμένη) ἀπαραίτητον ἔχει τὴν ἀνάγκην, similiter Polyb. 5, 36, 1 πᾶσιν ὑπογράφειν ἐλπίδας.

Haec erant quae de Epicuri vocabulis ab optima Atthide alienis proferenda mihi viderentur. Multa addere potui, nisi finibus artis me cohibere constituissem, id quod in tanta materiae copia par erat. Sed vel ex eis quae congessi apparet — id assequi imprimis studui — Epicurum in verborum supellectile medium fere locum inter Aristotelem et Polybium tenere: multa enim habet, quae ille nondum praebet, multa non habet, quae apud hunc inveniuntur. Intelleximus autem, quam arte cohaereat Epicuri genus dicendi cum titulis et papyris, quae documenta

---

[1]) Nunc melius intellegitur, quod iam supra commemoravimus ἐπιβλητικῶς (p. 12, 7 ἐπιβλητικῶς τῇ διανοίᾳ ἢ τοῖς αἰσθητηρίοις).

ubique fere sermonem cotidianum nobis ostendunt. Praeterea id quoque effecisse mihi videor, ut nunc melius cognoscatur communem sermonem non subito irrepsisse, sed dialectum Atticam paulatim vocibus aut novis aut aliunde repetitis auctam et amplificatam esse, idque iam inde a Xenophontis temporibus. Quod testatur auctor libri de re publica Atheniensium, qui inter Xenophonteos fertur libros, loco nobilissimo (II, 8) in quo finem disserendi faciam: φωνὴν πᾶσαν ἀκούοντες ἐξελέξαντο τοῦτο μὲν ἐκ τῆς, τοῦτο δὲ ἐκ τῆς, καὶ οἱ μὲν Ἕλληνες ἰδίᾳ μᾶλλον καὶ φωνῇ καὶ διαίτῃ καὶ σχήματι χρῶνται, Ἀθηναῖοι δὲ κεκραμένῃ ἐξ ἁπάντων τῶν Ἑλλήνων καὶ βαρβάρων.

Index vocabulorum

Numeris paginae significantur

Pag. 10, 22 (κυθρίδιον) intercidit annotatio secunda: κυθριδίου Usener cum codicibus, κυθριδίον editio Frobenii (f), κυθρίδιον e coniectura mea.

Pag. 11 lin. 18 τινὶ corrige in τινι.

Typis expressit A. Favorke Vratislaviae

BRESLAUER PHILOLOGISCHE ABHANDLUNGEN

HERAUSGEGEBEN

VON

RICHARD FÖRSTER
PROFESSOR DER CLASSISCHEN ALTERTUMSWISSENSCHAFT AN DER UNIVERSITÄT BRESLAU

NEUNTER BAND

VIERTES HEFT

Quibus artificiis adhibitis poetae tragici Graeci unitates illas et temporis et loci observaverint

exposuit

Guilelmus Felsch

BRESLAU
VERLAG VON M. & H. MARCUS
1907

Fortsetzung siehe 3. Umschlagseite

BRESLAUER
PHILOLOGISCHE ABHANDLUNGEN

HERAUSGEGEBEN

VON

RICHARD FÖRSTER

PROFESSOR DER CLASSISCHEN ALTERTUMSWISSENSCHAFT AN DER UNIVERSITÄT BRESLAU

NEUNTER BAND

VIERTES HEFT

Quibus artificiis adhibitis poetae tragici Graeci unitates illas et temporis et loci observaverint

exposuit

Guilelmus Felsch

BRESLAU
VERLAG VON M. & H. MARCUS
1907

Quibus artificiis adhibitis poetae tragici Graeci unitates illas et temporis et loci observaverint

exposuit

Guilelmus Felsch

Vratislaviae
M. et H. Marcus
MCMVII

Quantopere viri docti ante Lessingium atque in primis Francogalli in interpretanda Aristotelis arte poetica a recta via aberraverint, nulla re melius illustrari mihi videtur quam quod Aristotelem praescripsisse docebant, ut in tragoedia perfecta unitates illae tres et loci et temporis et actionis observarentur. At praeterquam quod Aristoteles cum librum illum scriberet, haudquaquam legem ponere animo intendebat, quam si secuti essent poetae cuiusvis aetatis nunquam erravissent[1]), re vera docet tragoediam id spectare, ut intra unum solis circuitum versetur (A. P. 1449 b 13-14 *πειρᾶται ὑπὸ μίαν περίοδον ἡλίου εἶναι ἢ μικρὸν ἐξαλλάττειν*), de uno vero loco qui dicitur tacet.

Neque vero cum veri sit simile eos qui quod unitates illas observarent, Aristotelem ipsum sequi sibi viderentur, sine ulla scientia tragoediarum Graecarum ad leges illas persequendas esse adductos, primum quidem paucis disquirere mihi proposui, utrum sententiam illorum rectam esse verbis poetarum ipsorum posset demonstrari necne, deinde, si poetae tragici Graeci illam rationem sunt secuti, quibus usi artificiis effecissent, ut per totam fabulam unus et dies et locus teneretur.

Sed priusquam ad rem ipsam accedam, commentationes illas afferam, quibus et hic illic aliquid quod ad hanc quaestionem faceret prolatum est et singula planius sunt explicata:

---

[1]) A. W. v. Schlegel, Vorlesungen über dram. Kunst u. Literat., 18. Vorlesung: *„Man bemerke zuvörderst, dass Aristoteles hier gar keine Vorschrift gibt, sondern nur historisch ein Kennzeichen erwähnt nach den griechischen Beispielen, die er gerade vor sich hatte“*. Praeterea cf. Wilamowitz, Eur. Herc. [1] I p. 48.

I. O. Nilsson, De mutationibus scenae, quae sunt in fabulis Graecorum, Lund. 1884 diss.

A. Müller, Lehrbuch der griech. Bühnenaltertümer, Freiburg i. B. 1886.

Wilamowitz, Die Bühne des Aischylos, Herm. XXI (1886) p. 597 sq.

Todt, „Noch einmal die Bühne des Aischylos“, Philol. N. F. II (1889) p. 505 sq.

Neckel, Das Ekkyklema, Gymn.-Progr. Friedland i. M. 1890.

Richter, Zur Dramaturgie des Aeschylus, Leipz. 1892.

Bodensteiner, Szenische Fragen über den Ort des Auftretens und Abgehens von Schauspielern und Chor im griech. Drama, Jhb. f. kl. Ph. XIX Suppl. (1893) p. 639, ubi commentationes priores accuratissime recensentur.

Weissmann, Die scenische Aufführung der Dramen des V. Jahrhunderts, München 1893, Diss.

E. Bethe, Prolegomena zur Geschichte des Theaters im Altertum, Leipz. 1896.

Dörpfeld-Reisch, Das griech. Theater, Athen 1896.

Wilamowitz, Aischylos Orestie, 2. Stück, Berl. 1896.

„ Die Perser des Aischylos, Herm. XXXII (1897) p. 382 sq.

Robert, Zur Theaterfrage, Herm. XXXII (1897) p. 421 sq.

Wilamowitz, Griechische Tragoedien, vol. I, Berlin 1899, vol. II, Berlin 1900, vol. III, Berlin 1906.

Quae alia ad hanc commentationem perficiendam mihi subsidio fuerunt scripta suo loco afferam.

I.

Ac primum quidem disquirendum est, utrum Aristoteles et qui eum secuti sunt recte observaverint tragoediarum Graecarum actionem spatium unius diei non excedere.

Qua de re perscrutanda primum accedamus ad Aeschyli Supplicum fabulam, quippe qua antiquior tragoedia non exstet[1]).

Cuius fabulae initio primum diem esse nemo est qui negaverit; quae res, si modo opus est argumento, eo fulcitur, quod chorus iussu patris Solem apprecatur (v. 213: *καλοῦμεν αὐγὰς ἡλίου*). Atque postquam res tam continuo cursu processerunt, ut alterum vel tertium diem interea ortum esse credi non possit, Danaus ubi primum Aegyptiades ex alto orae appropinquantes vidit, filias ne timeant illos cohortatur v. 768—69:

ἄλλως τε καὶ μολόντες ἀλίμενον χθόνα
ἐς νύκτ' ἀποστείχοντος ἡλίου.

Cum igitur nox non procul absit, Danaus peritissimus ille rei navalis classem non iam appelli posse persuasum habet. Nihilo minus hostes eodem die naves ad oram appellunt; vix enim Danaus abiit, cum chorus timidis vocibus spectatores docet illos iam in terram pervenisse (v. 825 sq.). Postremo adventus praeconis, auxilium regis Pelasgi, denique omnia tam arto conexu inter sese sunt coniuncta, ut pro certo haberi queat actionem huius fabulae spatio unius diei contineri.

Neque alio modo in Persis Atossa senes de fortuna Xerxis colloquentes adit, ut iis explicet, quibus somniis sit excitata. Cui dum chorus suadet, ut deos et Dareum mortuum libationibus consulat, exercitum Persarum magna pugna victum esse nuntiatur. Quo facto Atossa umbram mariti ex inferis evocat, qui uxorem in regiam reverti iubet, ut filio redeunti novas praebeat vestes. Vix autem Atossa scaena decessit, cum Xerxes ex Graecia reversus cum choro cladem illam ingentem communicat. Quae cum ita sint, Persas fabulam legi illi Aristotelicae convenire si minus ex verbis ipsis, attamen ex rebus peractis colligendum est.

Idem demonstratur Septem adversus Thebas fabula. Cuius tragoediae initium non ita multo post lucem exortam ponendum esse mihi videtur. Eteocles enim cives in arcem convocavit, quibuscum quae vates nuntiavisset communicaret: hostes nocte consilium cepisse impetum vehementissimum in urbis portas faciendi (v. 28—29):

[1]) Cf. A. Koerte, Mélanges Nicole, Genf 1905, p. 289—300.

λέγει μεγίστην προσβολὴν Ἀχαιΐδα
νυκτηγορεῖσθαι κἀπιβουλεύειν πόλει.

Neque dubitandum est quin vates illis de consiliis hostium regem nocte ipsa edocuerit; nam Eteocles statim nuntios miserat qui quidnam agerent hostes disquirerent (v. 36 sq.). Mox nuntius redux factus longa oratione explicat ea quae vates universe significaverat:

v. 40—41: ἥκω σαφῆ τἀκεῖθεν ἐκ στρατοῦ φέρων
αὐτὸς κατόπτης δ' εἴμ' ἐγὼ τῶν πραγμάτων.

Sed cum non credibile sit Eteoclem cives noctu convocasse, sequitur, ut actio fabulae brevi post lucis ortum incipiat; quacum re consentit quod eodem tempore nuntius ex castris hostium redit.

Deinde oratio ab Eteocle ad chorum habita, descriptio septem ducum Argivorum, nuntius allatus fratres sese in vicem interfecisse — omnia inter se adeo coniuncta sunt, ut absurdum esset, si quis ullo fabulae loco spatium unius vel complurium dierum interpositum esse putaret.

Iam ut ad Oresteam transeam, initio Agamemnonis fabulae noctem esse e verbis custodis intellegitur his:

v. 4: ἄστρων κάτοιδα νυκτέρων ὁμήγυριν.
v. 26—28: Ἀγαμέμνονος γυναικὶ σημαίνω τορῶς
εὐνῆς ἐπαντείλασαν ὡς τάχος δόμοις
ὀλολυγμὸν . . . ἐπορθιάζειν.

Atque idem demonstratur versibus 12. 17. 23. Neque lucem procul abesse versus docent 264—65, quibus custos cupit:

εὐάγγελος μέν, ὥσπερ ἡ παροιμία,
ἕως γένοιτο μητρὸς εὐφρόνης πάρα.

Sed paulo post diem clarescere versu 279 indicatur:

τῆς νῦν τεκούσης φῶς τόδ' εὐφρόνης λέγω.

Atque etiam sequentibus versibus eundem diem atque antea teneri, qui est dies post Troiam captam, e verbis chori his cognoscimus (v. 489—92):

τάχ' εἰσόμεσθα λαμπάδων φαεσφόρων
φρυκτωριῶν τε καὶ πυρὸς παραλλαγάς,
εἴτ' οὖν ἀληθεῖς εἴτ' ὀνειράτων δίκην
τερπνὸν τόδ' ἐλθὸν φῶς ἐφήλωσεν φρένας.

Quibuscum versibus consentiunt loci hi: v. 476—77. 522. 530.

Hoc erat quod de tempore explicandum esse censerem; nam quin in reliqua fabulae parte dies idem sit qui antea, nemini dubium esse potest. Quin etiam statuere possumus fabula ipsa exeunte noctem nondum advenisse. Nam Aegisthus solem salutat (v. 1577), quod nisi cum luceat, intellegi non potest.

Sed etiam Choephororum fabulae actio mane incipit; nam chorus famularum se a Clytaemestra, quippe quae taeterrimis somniis nocturnis consternata esset, missum esse explicat, ut umbrae Agamemnonis libaret (v. 44—46):

τοιάνδε χάριν ἀχάριτον ἀπότροπον κακῶν,
ἰὼ γαῖα μαῖα, μωμένα μ' ἰάλλει
δύσθεος γυνά.

Sed una cum rebus gerendis dies progreditur; nam servo fores regiae aperienti Orestes dicit (v. 660—62):

τάχυνε δ', ὡς καὶ νυκτὸς ἅρμ' ἐπείγεται
σκοτεινόν, ὥρα δ' ἐμπόρους καθιέναι
ἄγκυραν ἐν δόμοισι πανδόκοις ξένων.

Atque idem diei tempus indicatur versibus 710—711:

ἀλλ' ἔσθ' ὁ καιρὸς ἡμερεύοντας ξένους
μακρᾶς κελεύθου τυγχάνειν τὰ πρόσφορα.

Quibus locis quamquam noctem vel vesperum iam appropinquare vidimus, tamen non cum Wilamowitzio [1]) colligere debemus noctem iam adesse, quod Aegistho trucidato servus ad portam Clytaemestrae his usus verbis contendisset (v. 882—83):

κωφοῖς ἀΰτῶ καὶ καθεύδουσιν μάτην
ἄκραντα βάζω. ποῖ Κλυταιμήστρα; τί δρᾷ; [2])

Quod si statueremus, paucis versibus post solem denuo exortum esse putandum esset; nam Clytaemestra interfecta Orestes exclamat haec (v. 984—86):

. . . *ὡς ἴδῃ πατήρ,*
οὐχ οὑμός, ἀλλ' ὁ πάντ' ἐποπτεύων τάδε
Ἥλιος, ἄναγνα μητρὸς ἔργα τῆς ἐμῆς.

---

[1]) Aischylos Orestie, II. Stück p. 46.

[2]) Cf. Plaut. Stich. 311 sq.:
Vide quam dudum hic asto et pulto.
Somnone operam datis?

Sed ut illud argumentum praetereamus, num est credibile Clytaemestram postquam quod desideraverat, bene cesserit, securam dulci somno sese dedere eodem tempore quo Aegisthum de Orestis morte votis quam plurimis expetita certiorem fieri suspicatur?

Sequitur Aeschylum ut in aliis quas tractavi tragoediis ita etiam in Choephoris componendis legi illi Aristotelicae paruisse.

Quam rem molestum esse vinculum, quo materia copiosa non facile cogi possit, quis est qui negaverit? Quae cum ita essent, factum est, ut poetae tragici non omnia tam accurate atque perspicue explicare possent quam si nullo impedimento prohibiti essent, sed hic illic res satis libere et licenter tractare, quin etiam speciem rei factae perturbare cogerentur.

Quod Persis fabula quam optime demonstrari potest. Si enim comparabimus, quem ad modum hac in fabula atque in Herodoti libro VIII (cap. 97—98) clades Xerxis Susa renuntietur, poetam a rerum scriptore, id est a rebus ipsis, discrepare inveniemus.

Apud Herodotum enim postquam clades Salaminia enarrata est, scriptum legimus (VIII 97—98):

Ταῦτά τε ἅμα Ξέρξης ἐποίεε καὶ ἔπεμπε ἐς Πέρσας ἀγγελέοντα τὴν παρεοῦσάν σφι συμφορήν. Τούτων δὲ τῶν ἀγγέλων ἔστι οὐδὲν ὅ τι θᾶσσον παραγίνεται θνητὸν ἐόν.

Xerxes igitur post cladem ipsam acceptam suos de calamitate illa per nuntios certiores fecit, quibus tum nemo erat celerior. Contra in Aeschyli fabula Persae nescii sunt casus illius, donec nuntius advenit, quem Xerxes non prius miserat quam prope a Susis aberat.

Quibus causis Aeschylus ut res illas mutaret commotus sit, e consuetudine eius elucet. Si enim res ipsas gestas secutus esset, inter adventum nuntii atque regis ipsius longum temporis intervallum interponendum fuisset; nam praeterquam quod cursores Persicos multo ante in patriam pervenisse putandum est quam magnum Persarum exercitum, Xerxi vel maximi labores erant suscipiendi, quibus reditus praeter spem trahebatur.

Atqui dixerit quis: Quidni Aeschylus hac in fabula eadem utitur ratione qua in Agamemnone, ubi rex quamquam tempestate oppressus erat, tamen eodem tempore in patriam rediit

atque nuntius Troiae captae per ignes Clytaemestrae allatus?[1]) Cui erit respondendum in Agamemnone peragi res iamdiu praeteritas, in Persis autem eas quae quo modo peractae essent ab omnibus memoria tenebatur.

Quae cum ita sint, non est mirandum Aeschylum eo quod legem illam sequi studeat, haud raro adduci, ut res inter se diversissimas quae nullo modo eodem die fieri possint, in spatium unius diei contrahat.

In Supplicibus enim Danaus ubi primum Aegypti filios litori appropinquantes conspexit, filias timore liberare conatur eo quod fieri iam non posse dicit, ut hostes eo die naves appellant, praesertim cum sol iam occidat:

v. 768—70: *ἄλλως τε καὶ μολόντες ἀλίμενον χθόνα*
ἐς νύκτ' ἀποστείχοντος ἡλίου· φιλεῖ
ὠδῖνα τίκτειν νὺξ κυβερνήτῃ σοφῷ.

Danao igitur, viro rei navalis perito, cum solem iam occidentem videat, est persuasum hoc diei tempore hostes iam non naves appulsuros esse; neque enim aliter intellegi potest eum in tanto discrimine rerum filias timore captas deserere. Si enim putavisset fore ut antequam rediisset, filii Aegypti in lucum pervenirent, nunquam loco decessisset (cf. v. 725 sq.).

Nihilo minus paulo post Danaïdes, quamquam interea noctem appetivisse putandum est (cf. p. 3), illos e navibus exeuntes conspiciunt (v. 825—35). Qua re quod supra dixi demonstratur Aeschylum diversissimas res unum in diem cogere.

Simile exemplum praebent Choephoroe, in quibus quamquam Orestes dixit (v. 660—61):

τάχυνε δ', ὡς καὶ νυκτὸς ἅρμ' ἐπείγεται
σκοτεινόν (cf. etiam v. 710—11),

tamen ipse versu 985, ubi diem iam longius processisse putandum est[2]), Soli quae commiserit facinora ostendit. Quam in discrepantiam rerum poetam hoc loco non alia de causa incidisse atque in Supplicibus satis apertum est.

Multo melius autem iis quas attuli tragoediis Agamemno fabula argumento esse mihi videtur, quantopere Aeschylus quod

---

[1]) Cf. p. 4.
[2]) Wilamowitz, Aischylos Orestie, II. Stück, p. 46.

finem unius diei excedere nolebat, speciem rei factae turbaverit. Apud Homerum enim epicum poetam, quippe cui nullis vinculis impedito res ita enarrare licuerit, ut fieri potuerant[1]), Aegisthum decimo anno belli speculatorem collocavisse legimus, qui Agamemnonem redeuntem exspectaret et ipsi nuntiaret (δ 524—28):

τὸν δ' ἄρ' ἀπὸ σκοπιῆς εἶδε σκοπός, ὅν ῥα καθεῖσεν
Αἴγισθος δολόμητις ἄγων . . .
. . . φύλασσε δ' ὅγ' εἰς ἐνιαυτόν,
βῆ δ' ἴμεν ἀγγελέων πρὸς δώματα ποιμένι λαῶν.

Quam narrationem Aeschylus e parte dereliquit; nam ignibus in singulis scopulis accensis domum renuntiari facit Troiam captam esse. Quod ut mutaret, hac re commotus esse mihi videtur, quod illa renuntiandi ratio temporibus bellorum cum Persis gestorum usitatissima fuit[2]).

Quo modo quantopere species rei factae perturbetur, poetae nihil interest; nam qui fieri potuit, ut Agamemno eodem die in patriam perveniret quo ignes illi?

Tamen utramque rem in eundem diem facit concurrentem[3]) (cf. p. 4); quod quam sit absurdum, verbis poetae ipsius, quamvis occultetur, tamen hic illic elucet. Praeco enim classem redeuntem vehementissima tempestate oppressam esse renuntiat, qua singulae naves passim dispersae essent (cf. Od. γ 286 sq.). Quae tempestas ut orta erat nocte

v. 653: *ἐν νυκτὶ δυσκύμαντα δ' ὠρώρει κακά,*

ita prima luce resederat

v. 658—59: *ἐπεὶ δ' ἀνῆλθε λαμπρὸν ἡλίου φάος,*
ὁρῶμεν ἀνθοῦν πέλαγος.

Quam rem praeco explicat, quasi non de nocte praeterita, sed de qualibet alia agatur. Nam si de illa faceret verba, eam clare sive pronomine demonstrativo sive alia ratione indicare debuit.

Neque alio loco huius fabulae poeta sibi constat: praeconi enim advenienti Clytaemestra haec narrat v. 587—91:

---

1) Cf. Arist. A. P. 1449 b 14: *ἡ δὲ ἐποποιία ἀόριστος τῷ χρόνῳ.*
2) Cf. Herod. IX 3, 4.
3) Cf. Schlegel l. c. XVIII. Vorlesung.

ἀνωλόλυξα μὲν πάλαι χαρᾶς ὕπο,
ὅτ' ἦλθ' ὁ πρῶτος νύχιος ἄγγελος πυρός,
φράζων ἅλωσιν Ἰλίου τ' ἀνάστασιν.
καί τίς μ' ἐνίπτων εἶπε, „φρυκτωρῶν δία
πεισθεῖσα Τροίαν νῦν πεπορθῆσθαι δοκεῖς";

e. q. s. — Quae verba ut aptissima sunt, si Clytaemestra compluribus diebus ante de reditu futuro Graecorum certior facta cum aliis hac de re collocuta esset, ita sunt ineptissima, si ante nonnullas horas illud accepit; nam praeter chorum nemo aderat quocum de illis rebus (v. 587 sq.) sermonem consereret.

Denique aliud artificium idque notissimum paucis commemoro, quod poetae tragici ut res alio loco atque alio tempore gestas spectatoribus exponant, adhibent: „ῥήσεις ἀγγελικάς" quae dicuntur [1]).

In Persis vero poeta pugnam Plataeensem uno fere anno post factam fabulae ipsi eo innectit, quod Dareum res futuras vaticinantem facit. Itaque mirum esse non potest, cur Dareus cum primum quidem se nescium esse omnium rerum antea gestarum simulaverit, iam peritissimus sit rerum futurarum: effici vult poeta, ut spectatores verbis Atossae de rebus initio fabulae, i. e. huic diei antecedentibus fiant certiores.

Atque altero quidem loco perscrutari mihi proposui, utrum Aeschylus fabulas ita composuerit, ut totam per fabulam idem locus teneatur necne.

Qua in re pertractanda non est praetermittendum, quantis difficultatibus scaenicis poetae tragici Graeci impediti sint, quo minus scaenam mutarent, praesertim cum chorus per totam fabulam in ea remaneret neque unquam — nonnullis quos infra tractabo locis exceptis — decederet [2]).

In Supplicibus enim repraesentatur lucus sacer prope urbem Argos situs, qui imaginibus deorum et ara est ornatus (cf. v. 33, 189—90, 208, 222, 332, 508). Quo quandoquidem Danaus cum filiabus confugit, quae per totam fabulam eum solum locum retinent (v. 508), rex revertitur, ut cum choro

[1]) De nuntii persona quidnam censeam, infra accuratius explicabo.
[2]) Cf. Schlegel l. c. XVIII. Vorl. (II p. 28 ed. Böcking).

consilium Argivorum communicet, atque de ipsa ara classem hostium conspicit; neque alio sese conferunt praeco ille aut rex Argivorum.

De Persarum vero scaena testimonium exstat; nam in argumento scriptum legimus hoc: *καὶ ἔστιν ἡ μὲν σκηνὴ τοῦ δράματος παρὰ τῷ τάφῳ Δαρείου.* Fabula enim ineunte chorus senum Persicorum in scaenam procedit, ut de fortuna Xerxis eiusque exercitus colloquatur. Quem in locum convenerint, solis his verbis significatur vel potius occultatur v. 140—41:

ἀλλ' ἄγε, Πέρσαι, τόδ' ἐνεζόμενοι
στέγος ἀρχαῖον[1]).

Quem locum cum chorus usque ad fabulam exeuntem teneat, omnes personae adire debent; atque etiam Atossa postquam per nuntium de Persarum strage certior facta est, se sacrificiis perfectis ex aedibus regiis huc redituram esse pollicetur (v. 523—24):

ἔπειτα γῇ τε καὶ φθιτοῖς δωρήματα
ἥξω λαβοῦσα πέλανον ἐξ οἴκων ἐμῶν.

Atque quod promisit peragit v. 607—9:

τοιγὰρ κέλευθον τήνδ' ἄνευ τ' ὀχημάτων
χλιδῆς τε τῆς πάροιθεν ἐκ δόμων πάλιν
ἔστειλα . . .

Et ad idem „*στέγος ἀρχαῖον*“ Xerxes ipse ex Graecia reversus se confert, ut cum choro cladem illam queratur. Vidimus igitur, id quod argumento fulcitur atque comprobatur, per totam actionem locum esse eundem[2]).

Neque in Prometheo scaenam mutari inde colligendum est, quod Prometheus rupi affixus totam per fabulam scaenam tenet[3]).

In Septem vero fabula cum neque poeta ipse clare explicet, quem locum urbis Thebarum spectatores conspicere videantur neque argumento quicquam certi proferatur, in quo legi-

---

[1]) Wieseler, „Scaenica“, Nachr. d. Gött. Ges. 1890, p. 207 sq. Bodensteiner l. c. p. 649. Jurenka, „Szenisches zu Aeschylus' Persern“, Wiener Stud. XXIII p. 213 sq.

[2]) Cf. Todt l. c. p. 516 sq., et Wilamowitz, Herm. XXXII p. 382 sq.

[3]) Todt l. c. p. 505 sq., et Robert, „Die Szenerie des Aias, der Eirene und des Prometheus“, Herm. XXXI p. 561 sq.

mus „ἡ μὲν σκηνὴ τοῦ δράματος ἐν Θήβαις ὑπόκειται“, facere non possumus quin ex rebus ipsis illum locum enucleare conemur.

Initio enim fabulae vix Eteocles cives convocavit quos ad bellum inflammaret, cum nuntius advenit: hostes inter sese coniuravisse, ut vehementi impetu urbem opprimerent. Atque dum Eteocles statuas deorum in scaena positas (v. 94, 185, 212, 258, 265) precatur, ut urbem tueantur, chorus virginum timore perterritarum accurrit atque primis ipsis verbis se hostes conspicere appropinquantes significat v. 80—82:

ῥεῖ πολὺς ὅδε λεὼς πρόδρομος ἱππότας·
αἰθερία κόνις με πείθει φανεῖσ',
ἄναυδος σαφὴς ἔτυμος ἄγγελος.

Qua re chorum apparet locum quendam tenere, de quo hostes si minus singulos, attamen universos conspicere possit. Atque idem demonstratur versibus 124—26, quibus chorus septem ducum Argivorum facit mentionem:

ἑπτὰ δ' ἀγάνορες πρέποντες στρατοῦ
δορυσσοῖς σαγαῖς πύλαις ἑβδόμαις
προσίστανται πάλῳ λαχόντες.

Quae cum ita sint, haudquaquam potest fieri, ut forum Thebarum esse locum existimemus, quo res agantur[1]); illud enim media in urbe inter colles erat situm (cf. Arrian. Anabas. I 8, 6), unde hostes qui extra moenia castra posuerant conspici non poterant. Atque chorum id quod de hostibus profert, re vera oculis videre, non fando audivisse pro certo est habendum, quod Eteocles quicquam de hostium consilio per urbem pervulgari vetuit (v. 250). Cui rei conveniunt versus 284—86:

ἐγὼ δ' ἐπάρχους . . .
εἰς ἑπτατειχεῖς ἐξόδους τάξω μολών,
πρὶν ἀγγέλους σπερχνούς τε καὶ ταχυρρόθους
λόγους ἱκέσθαι καὶ φλέγειν χρείας ὕπο.

Atque locum quo chorus confugit sublimem esse ex ipsius verbis potest concludi his (v. 240—241):

ταρβοσύνῳ φόβῳ τάνδ' ἐπὶ σκοπὰν,
τίμιον ἕδος, ἱκόμαν (cf. v. 824).

---

[1]) Quod voluit Wilamowitzius, Herm. XXI p. 608, cuius sententiam correxit Bodensteiner l. c. p. 650 adnot. 1.

Sed cum nullus locus quo virgines possint confugere, tam firmus sit quam arx ipsa[1]), nullus Eteocli nuntiis accipiendis et civibus convocandis magis conveniat quam illa, non erit dubitandum quin scaena huius fabulae Cadmea ipsa vel uno ex montibus urbi ipsi imminentibus repraesentetur[2]).

Priusquam autem ad Agamemnonem fabulam tractandam redeam, explicandum erit, quo modo factum sit, ut inde ab anno fere quadringentesimo sexagesimo poetae plerumque aream illam regiae vel templo propinquam rebus agendis eligerent. Postquam enim, quantum quidem scimus, usque ad illum fere annum scaena pingi non solebat, tunc primum exornata est. Atque cum plerumque reges vel principes „*οἷον Οἰδίπους καὶ Θυέστης καὶ οἱ ἐκ τῶν τοιούτων γενῶν ἐπιφανεῖς ἄνδρες*“ (Arist. A. P. 1453 a 11) in fabulis essent, natura ferebat, ut taberna illa in qua actores antea vestimenta mutare solebant, regiae vel templi instar pingeretur. Qua de causa cum fieri non posset, ut interior pars tabernae spectatoribus ante oculos poneretur, fabulae ita erant componendae, ut ante aedes sub Iove agerentur.

Tamen reliquias illius usus antiquioris vel in Agamemnone remansisse crediderim, quod initio huius fabulae ut Danaïdes in ara, Persae in tecto illo (cf. *στέγος* v. 141) sedebant, ita custos in tecto aedium cubat. Atque ante hanc regiam fabula agitur, donec Clytaemestra Agamemnonem et Cassandram introducit, ubi quod e gemitu Agamemnonis spectatoribus colligendum est, ambo necantur. Quo clamore motus chorus in regiam irruere studet, cum ipsi conspicui fiunt, idque eccyclemate quod dicitur adhibito, quo poetae utuntur, ut res intra domum peractas spectatoribus eadem scaena servata ante oculos ponant. Cuius machinae testimonia exstant apud Pollucem (IV 128), in scholiis ad Aristophanem scriptis (cf. Acharn. v. 408), aliis locis. Atque quamvis Neckelius[3]), Reischius[4]), alii negare conentur eccyclema iam Aeschyli aetate usitatum fuisse, tamen

---

[1]) Schol. ad v. 240 *τὴν ἀκρόπολιν τίμιον ἕδος.*

[2]) Cf. etiam Todt l. c. p. 518 sq.

[3]) „Das Ekkyklema“, Progr. v. Friedland i. M. 1890 p. 1 sq.

[4]) Dörpfeld-Reisch, Das griech. Theater, p. 240 sq. Pauly-Wissowa s. v. Ekkyklema.

pro certo habeo illud ab Aeschylo esse adhibitum[1]). Etenim nisi forte verba Clytaemestrae v. 1379

ἕστηκα δ' ἔνθ' ἔπαισ' ἐπ' ἐξειργασμένοις (cf. v. 1492, 1570) neglegimus, dubium esse non potest quin illa eo temporis momento regiam teneat, ubi facinus commisit. Atque etiam Aegisthus reversus se corpora illa in regia ipsa conspicere simulat (v. 1577 sq.).

In Choephoris vero fabula e primis ipsis versibus Orestem patris sepulcrum petivisse cognoscimus (v. 4—5). Neque ulla mora interposita chorus virginum appropinquat, inter quas ille se sororem cognoscere suspicatur (v. 16—17). Atque unde venerint et quae sint, ipsae docent his verbis[2]) (v. 22—23):

ἰαλτὸς ἐκ δόμων ἔβαν
χοὰς προπομπὸς ὀξύχειρι σὺν κόπῳ.

Quam regiam tam prope a sepulcro abesse, ut Orestes chorum domo ipsa prodeuntem videat, aliis locis praetermissis (v. 45—46, 88—89) ex his causis colligendum esse puto.

Praeterquam quod regia saepissime commemoratur (v. 342–44, 376—78), Clytaemestra ipsa appellatur (v. 429—30). Neque nisi regia ipsa conspicua esset, intellegi posset Orestem ubi primum Electram regiam intrare iubeat, solo verbo „στείχειν ἔσω“ uti (v. 554):

τήνδε μὲν στείχειν ἔσω[3]).

Quae sententia maxime eo fulcitur, quod postquam Orestes iam pridem domum introiit, chorus iterum Agamemnonis sepulcrum apprecatur v. 722—725:

ὦ πότνια χθὼν καὶ πότνι' ἀκτὴ
χώματος . . .
νῦν ἐπάκουσον, νῦν ἐπάρηξον,

quod nisi sepulcrum prope regiam situm esse poeta voluisset, absurdum esset[4]). Quod si statuimus, iam non mirum esse potest quod Orestes inter famulas illas de regia ipsa procedentes Electram versari suspicatur.

---

[1]) Cf. Bethe l. c. p. 104 sq. et Robert, Herm. XXXII 434.
[2]) Cf. Richter l. c. p. 215.
[3]) Cf. Richter l. c. p. 215.
[4]) Cf. Nilsson l. c. p. 18 sq.

Cognovimus igitur huius fabulae scaenam nullo loco commutari[1]), sed fabula exeunte esse eandem atque ineunte.

Restat ut de Eumenidibus fabula pauca addam, quippe quae ab omnibus illis regulis quas Aeschylum in componendis tragoediis secutum esse demonstravi discedat. Prior enim pars agitur Delphis, altera post multos dies Athenis (cf. v. 233—34)[2]). Atque cur Aeschylus ab eo more quem in reliquis fabulis secutus erat, discesserit, apertum est consideranti, quibus causis commotus poeta ad hanc fabulam componendam accesserit; cum enim biennio fere ante iura ac privilegia Areopagi admodum essent imminuta, Aeschylus hac in fabula maxime id egit, ut Atheniensibus ante oculos poneret Areopagum a dea ipsa comprobatum esse, cui *δίκαι φονικαὶ* essent iudicandae. Quam rem fabulae ipsi inserere poetae tantopere erat cordi, ut cum Delphos praetermittere non posset, legem illam principem neglegere non dubitaret. Quod eo facilius poterat effici, quia species templi Apollinis Delphici eodem modo reddebatur atque Minervae; praeterea autem chorus Furiarum qui spatia et temporum et locorum plane neglegit, non ut chorus hominum erat impedimento, quo minus nunc Delphis nunc Athenis res agerentur.

Sed cum plerumque tota fabula eodem loco ageretur, fieri non poterat quin poeta eum locum eligeret, qui universae fabulae conveniret, quamvis singulae partes tum hic tum illic agendae essent.

Maiori enim parti Persarum sepulcrum Darei scaena repraesentatum (cf. p. 10) convenit, quod Susis esse Aeschylus fingit, quamquam reges Persarum Persepoli sepeliebantur. At illumne qui omnium rerum Persicarum esset peritissimus, nescivisse credi potest, quo loco Dareus inimicissimus ille Graecorum esset humatus? Quam rem Aeschylus ob eam causam finxisse mihi videtur, quod fieri non poterat, ut „senatus“ Persarum Susis Persepolim sese conferret, neque quisquam intellexisset, cur Xerxes atque ante eum nuntius Susis urbe praetermissa Per-

[1]) Quod voluit Schoenbornius, Die Skene der Hellenen p. 224 sq.

[2]) Cf. Nilsson l. c. p. 25 sq. N. Wecklein, Über den Schauplatz in Aesch. Eumen., Münch. Sitzungsber. 1887 p. 62 sq.

sepolim ipsam peteret. Neque tamen etiamsi id neglegimus, sepulcrum Darei omnibus tragoediae partibus convenit. Initio enim curiam esse repraesentatam nobis animo fingere debemus [1]), quo senes illi convenissent, ut de fortuna exercitus sermones consererent; nam ex vocabulis obscuris *στέγος ἀρχαῖον* nihil potest concludi. At quin media fabulae pars, quam poetae maxime cordi fuisse non difficile est ad intellegendum, re vera prope Darei sepulcrum agatur, dubium esse non potest. Neque vero video, cur nuntius ille et Xerxes huc ipsum adveniant, quorum plurimum interfuisse veri sit simile tot laboribus exhaustis denique domum ipsam ad suos pervenire; quo accedit, quod ne uno quidem verbo mentionem faciunt sepulcri [2]). Est autem usus Aeschyleus, ut personas, quam scaenam ad fabulam universam aptissimam esse putet, in eam faciat prodeuntes, cum qua de causa hunc ipsum locum petiverint plane omittat.

Neque Septem adversus Thebas fabula ab illa ratione abhorret. Quamquam enim e verbis poetae ipsius in universum scaenam arce Thebarum repraesentari mihi videor demonstravisse (cf. p. 10 sq.), tamen nonnullas tragoediae partes alio loco peragi existimandum est. In arcem quidem rex cives convocat, in arcem, quippe quae sit locus firmissimus, chorus confugit, in arcem, ubi regem versari sciat, speculator nuntiat, quidnam sit gestum in castris hostium. Contra quamvis chorum post Eteoclis abitum, qua est consternatione, de loco illo sublimi castra hostium oculis perlustraturum esse exspectemus, e quo uter frater victoriam sit reportaturus perspiciat, hac spe destituimur. Immo quasi castra prospici posse oblitus sit (cf. v. 80—82, 240), quaerit ex nuntio (v. 793):

πόλις πέφευγεν ἤδε δούλιον ζυγόν;

Quo cum accedat, quod alterum fratrem ab altero esse interfectum non choro in monte versanti (cf. v. 791 sq.), sed

---

[1]) Cf. Bodensteiner l. c. p. 649.

[2]) Jurenka, Wien. Stud. XXIII p. 215: *„Wir sehen, wie der Dichter dem Zwange einer einheitlichen Dekoration für das ganze Stück unterworfen, mit bewusster Absicht so vorgeht, dass er sein Publikum schrittweise anleitet, ein und dasselbe Objekt je nach den Bedürfnissen der Handlung bald so bald anders aufzufassen“.*

toti populo nuntiari debeat, vix dubitari poterit quin Aeschylus cum hanc componebat fabulae partem, de foro[1]) vel simili loco publico cogitaverit[2]).

Sed cum spectatores nisi per nuntium de rebus extra urbem gestis certiores fieri non possint, ille eum in locum prodit qui forte scaena est repraesentatus[3]).

Neque Choephoroe fabula ab hac ratione discrepat:

Quamquam enim ex verbis Clytaemestrae (Agamemn. v. 1553—54):

καταθάψομεν
οὐχ ὑπὸ κλαυθμῶν τῶν ἐξ οἴκων . . .

et Electrae (Choeph. 430—33)

δαΐαις ἐν ἐκφοραῖς
ἄνευ πολιτᾶν ἄνακτ',
ἄνευ δὲ πενθημάτων
ἔτλας ἀνοίμωκτον ἄνδρα θάψαι

concludendum est Agamemnonem aliquo deserto loco[4]) sepultum esse, Aeschylus rebus scaenicis ductus sepulcrum sub ipsa regia posuit (cf. p. 13). Neque vero dubium est quin futurum fuerit ut, si scaena mutari potuisset, prior fabulae pars apud sepulcrum, altera (a versu 651) ad regiam ageretur[5]). Atque ipsum poetam alterum locum ab altero seiungere inde concludendum est, quod credi non potest Orestem, quippe cuius plurimum intersit Clytaemestram celare de ipsius adventu, sepulcrum sub regia ipsa positum adire, ut de matre necanda cum sorore consilia communicet[6]).

Restat ut disquiram quibus instrumentis scaenicis Aeschylus effecerit, ut tota fabula ante aedes ageretur.

---

[1]) Ubi totam fabulam peragi Wilamowitzius (Herm. XXI p. 597) existimabat. Cui oblocutus est Todtius l. c. p. 518 sq.

[2]) Cf. Bodensteiner l. c. p. 650 adnot. 1.

[3]) Neque aliam rationem sequuntur Sophocles et Euripides (cf. infra).

[4]) Quod comprobatur locis Euripideis: Troad. 448. Electr. 289 sq., 509—10. Orest. 98, 796, 1211 sq. Praeterea conferas quaeso Wilamowitzium, Herm. XXI p. 611.

[5]) Quare Schoenbornius l. c. p. 222 ut scaenam re vera mutari putaret commotus est.

[6]) Neque in Electra Sophoclea veri est simile Orestem ubi primum in patriam redierit, statim ad regiam ipsam se conferre (cf. infra).

In Agamemnone enim senes simulatque voces regis ipsius intra aedes editas audiverunt, se domum intrare simulant, cum Clytaemestra cum corporibus necatis per eccyclema evoluta efficitur, ut res quae sequuntur intra domum agi videantur. Quod ad instrumentum adhibendum hac re adductus est, quod interior pars regiae ipsa repraesentari non poterat. Unde necem ipsam nisi clamoribus auditis (v. 1345) spectatoribus ante oculos poni non posse intellegitur.

Sed quidni ante aedes illi necantur? Neque poetam illam ad rationem adhibendam versibus Homericis λ 410—411

ἔκτα σὺν οὐλομένῃ ἀλόχῳ οἶκόνδε καλέσσας,
δειπνίσσας, ὥς τίς τε κατέκτανε βοῦν ἐπὶ φάτνῃ

esse commotum inde cognoscitur, quod etiam in aliis fabulis eandem sequitur rationem. Sed quod personae ob eam solam causam plerumque intra domum ipsam necari existimantur, ne spectatores taeterrimam necem ipsam oculis conspiciant[1]), improbandum esse mihi videtur. Nam nonne multo magis nos taedet Clytaemestram facinore commisso accuratissime explicare quem ad modum illos trucidaverit (cf. v. 1384—86):

παίω δέ νιν δίς· κἀν δυοῖν οἰμωγμάτοιν
μεθῆκεν αὐτοῦ κῶλα· καὶ πεπτωκότι
τρίτην ἐπενδίδωμι e. q. s.?

Quae cum ita sint, alia causa poeta commotus esse mihi videtur. Si enim Agamemno et Cassandra coram spectatoribus interficerentur et Clytaemestra adstante in scaena cubarent, quisnam Aegisthi partes ageret? Atque in Choephoris si Aegisthus et Clytaemestra mortui scaenam tenerent, nemo esset qui nutricis partes susciperet. At corporibus hominum necatorum foras prolatis qui illorum partes antea egerant, aliis partibus suscipiendis vacabant, quod non ipsi homines necati, sed illorum imagines spectatoribus monstrabantur[2]). Qua re speciem rei factae admodum minui vel turbari nemo nega-

[1]) Neckel l. c. p. 4: *„Sehr weise verlegten die Dichter solche Szenen hinter die Bühne, weil sie auf offener Szene dadurch den feinen, geläuterten Geschmack ihrer Zuschauer beleidigt hätten“.*

[2]) Quacum re convenit, quod Seneca quippe cuius fabulae non actae sed lectae sint, personas coram spectatoribus interfici facit.

verit[1]); quo modo factum est, ut res illae, quibus si in scaena ipsa actae essent, spectatores vehementissime commoti essent, tres in partes dividerentur:

1) Auditur clamor eius qui necatur.
2) Nuntiatur trucidatio quo modo sit facta.
3) Conspiciuntur corpora ipsa.

II.

Quoniam priore commentationis parte demonstravisse mihi videor, quem ad modum Aeschylus effecerit, ut et locus et dies per totam fabulam idem essent, nunc primum quidem disquirendum est, utrum etiam tragoediarum Sophoclearum actio quo die initium ceperit, eodem ad finem perducta, an maius temporis spatium inter primam et extremam fabulam interpositum sit.

Atque quasi caliginosa nox praeterita impedimento fuerit, ne quod ante initium fabulae accidisset coram spectatoribus ageretur, Sophocles plerumque initium fabulae ipsum cum initio diei coniungit.

Aiace enim fabula ineunte Ulixes de facinore nocturno inimici certior factus non multo ante claram lucem (v. 21—23, 141, 209, 217) ad tentorium illius contendit, ut cognoscat quo modo hic se habeat. Deinde postquam Aiax verbis ambiguis Tecmessam fefellit atque ut ipse sibi mortem conscisceret abiit, nuntius illam de praeceptis Teucro a Calchante datis certiorem reddit, qui Aiacem hoc die intra tentorium teneri iusserat:

v. 753—57: *εἷρξαι κατ' ἦμαρ τοὐμφανὲς τὸ νῦν τόδε*
Αἴανθ' ὑπὸ σκηναῖσι μηδ' ἀφέντ' ἐᾶν,
εἰ ζῶντ' ἐκεῖνον εἰσιδεῖν θέλοι ποτέ.
ἐλᾷ γὰρ αὐτὸν τῇδε θἠμέρᾳ μόνῃ
δίας Ἀθάνας μῆνις, ὡς ἔφη λέγων.

Idem docent versus 778 et 801—802.

Quo nuntio allato Tecmessa una cum choro sine mora vestigia Aiacis persecuta corpus eius mortuum deserto loco re-

[1]) Hac de re vide infra.

perit; eodem Teucer ipse et Menelaus adveniunt, qui Aiacem ipsum se interfecisse fando audiverunt (v. 998—99). Quibus rebus satis elucere mihi videtur quaecumque hac fabula geruntur eodem die peragi.

Atque etiam Antigona fabula initium capit a prima luce; Antigona enim cum sorore bene mane (cf. v. 249 sq.) e regia procedit, cum aegre ferat, quod Creon post abitum nocturnum hostium Polynicem sepeliri vetuerit (v. 16). Quae postquam se ipsam effecturam esse vovit, ut ille humaretur, abit. Sed dum meridiano tempore consilium illud perficit, comprehensa[1]) ad Creontem trahitur, qui eam ad mortem duci iubet. Sed vix illa abducta est, cum Tiresias accurrit, qui Creonti malum quam maximum imminere vaticinatur, nisi vitae virginis parcat. Quibus verbis victus hic scaena decedit, ut Antigonam e carcere dimittat; paulo post autem revertitur cum corporibus Antigonae et Haemonis filii. Atque postquam Creon etiam Eurydicam se necavisse comperit, exclamat (v. 1328 sq.):

ἴτω ἴτω,
φανήτω μόρων ὁ κάλλιστ' ἐμῶν
ἐμοὶ τερμίαν ἄγων ἁμέραν
ὕπατος· ἴτω ἴτω,
ὅπως μηκέτ' ἆμαρ ἄλλ' εἰσίδω.

Cuius fabulae verbis ipsis quamquam non tam aperte quam Aiacis spatium unius diei observari cognoscitur, tamen singulae res gestae tam arte inter se coniunctae sunt, ut dubitari non queat quin actio quo die sit coepta, eodem finiatur.

Neque alia est res in Trachiniis. Prima enim luce Deianira domo relicta absentiam Herculis diuturnam queritur (v. 175—77):

ὥστ' ἐνδεῶς εὕδουσαν ἐκπηδᾶν ἐμὲ
φόβῳ, φίλαι, ταρβοῦσαν, εἴ με χρὴ μένειν
πάντων ἀρίστου φωτὸς ἐστερημένην.

Atque postquam Hyllus qui ut patrem reduceret in Euboeam missus erat, rediit, chorus haec facit verba (v. 731—33):

σιγᾶν ἂν ἁρμόζοι σε τὸν πλείω λόγον,

---

[1]) v. 415—16: *χρόνον τάδ' ἦν τοσοῦτον, ἔστ' ἐν αἰθέρι*
μέσῳ κατέστη λαμπρὸς ἡλίου κύκλος.

εἰ μή τι λέξεις παιδὶ τῷ σαυτῆς· ἐπεὶ
πάρεστι, μαστὴρ πατρὸς ὃς πρὶν ᾤχετο.

„πρὶν“ vocabulo non significari tempus nonnullorum dierum interpositum sed ipsum quo res agitur diem elucet e versibus 739—40 quibus Hyllus dicit:

τὸν ἄνδρα τὸν σὸν ἴσθι, τὸν δ᾽ ἐμὸν λέγω
πατέρα, κατακτείνασα τῇδ᾽ ἐν ἡμέρᾳ.

Quae res verbis ipsius Herculis reversi comprobatur, qui Hyllo matrem culpa vacare professo respondet (v. 1128):

ἀλλ᾽ οὐδὲ μὲν δὴ τοῖς γ᾽ (sc. *ἡμαρτημένοις*) *ἐφ᾽ ἡμέραν ἐρεῖς.*

Ex Herculis igitur ipsius ore audimus eum quo die uxor vestem illam perniciosam misisset, eodem rediisse, i. e. totius fabulae actionem spatium unius diei non excedere.

Neque adversatur legi Aristotelicae Sophoclis fabula qua Oedipodis regis fata enarrantur. Ibi enim Oedipus postquam de oraculo Apollinis Delphici certior factus Tiresiam arcessivit, hoc responsum accipit (v. 438):

τῇδ᾽ ἡμέρᾳ πεύσει σφε καὶ διαφθερεῖ.

Atque cum Oedipus per totam fabulam nihil agat nisi ut originem suam veram investiget atque postquam ipse se cognoverit, se perdat, satis apparere mihi videtur hanc fabulam intra unum solis circuitum peragi. Quocum consentiunt singuli loci hi.

Creontem enim ab Oedipo conviciis affectum quam turpissimis Sophocles, quasi ille fortunam Oedipi divinet, facit respondentem (v. 614—15):

χρόνος δίκαιον ἄνδρα δείκνυσιν μόνος·
κακὸν δὲ κἂν ἐν ἡμέρᾳ γνοίης μιᾷ.

Atque nuntius facinora domi commissa his verbis foras renuntiat (v. 1282—84):

ὁ πρὶν παλαιὸς δ᾽ ὄλβος ἦν πάροιθε μὲν
ὄλβος δικαίως· νῦν δὲ τῇδε θἠμέρᾳ
στεναγμός, ἄτη, θάνατος, αἰσχύνη . . .

Etiam initio Electrae fabulae comperimus fabulam a primo die initium capere; cf. v. 17—19:

ἡμὶν ἤδη λαμπρὸν ἡλίου σέλας
ἑῷα κινεῖ φθέγματ᾽ ὀρνίθων σαφῆ
μέλαινά τ᾽ ἄστρων ἐκλέλοιπεν εὐφρόνη.

Idem e verbis Electrae elucet his (v. 86):

ὦ φάος ἁγνὸν καὶ γῆς ἰσόμοιρ' ἀὴρ e. q. s.

Neque multum progressus est dies, cum Chrysothemis in scaenam prodit, quam Clytaemestra ad sepulcrum patris misit „*ἐκ δείματός του νυκτέρου*“ (v. 410).

Mox regina ipsa somniis nocturnis perturbata progreditur haec faciens verba (v. 644—47):

ἃ γὰρ προσεῖδον νυκτὶ τῇδε φάσματα
δισσῶν ὀνείρων, ταῦτά μοι, Λύκει' ἄναξ,
εἰ μὲν πέφηνεν ἐσθλά, δὸς τελεσφόρα,
εἰ δ' ἐχθρά, τοῖς ἐχθροῖσιν ἔμπαλιν μέθες.

Atque vix Clytaemestra precationem finivit, cum paedagogus redux factus Orestem iam pridem mortuum esse simulat. Quem, postquam a patris sepulcro rediit atque se ipsum Orestem esse professus est, Electra his alloquitur verbis (v. 1362—63):

ἴσθι δ' ὡς μάλιστά σ' ἀνθρώπων ἐγὼ
ἤχθηρα κἀφίλησ' ἐν ἡμέρᾳ μιᾷ; et v. 1314-15:
ἥτις μιᾷ σε τῇδ' ὀλωλόθ' ἡμέρᾳ
καὶ ζῶντ' ἐσεῖδον.

Atque etiam reliquam fabulae partem quamquam id e verbis ipsis colligi non potest, tamen eodem die ad finem perduci nemo negabit.

Neque dubium est quin Philocteta ab Ulixe et Neoptolemo eodem die Troiam abducatur, quo illi Lemnum advenerunt; id enim inde maxime perspicuum est, quod Ulixes, ubi primum ad insulam navem appulerunt, Neoptolemo ut consilia sua sequatur, his verbis persuadere conatur (v. 83 sq.):

νῦν δ' εἰς ἀναιδὲς ἡμέρας μέρος βραχὺ
δίς μοι σεαυτόν, κᾆτα τὸν λοιπὸν χρόνον
κέκλησο πάντων εὐσεβέστατος βροτῶν.

Atque fabula exeunte Hercules illos hortatur (v. 1449—51):

μὴ νυν χρόνιοι μέλλετε πράσσειν·
καιρὸς καὶ πλοῦς
ὅδ' ἐπείγει γὰρ κατὰ πρύμνην.

Quibuscum fabulis consentit Oedipus Coloneus; cum enim Apollo vaticinatus esset Oedipum simulatque in lucum Eumenidum pervenisset, de vita esse decessurum, consentaneum

est illum, priusquam mortem obeat, non complures dies sed unum tantum in illo versari.

Quoniam legem illam Aristotelicam etiam apud Sophoclem valere intelleximus, disquirendum est, quam poeta adhibuerit artem, ut temporis unitatem observaret.

Ac primo loco consideremus Sophoclis personas, ut spectatores colloquio ipso quidnam huic diei antecesserit, comperiant, quas res iam pridem perfectas esse vel constat vel existimandum est, eas hoc die peragere, proinde ac si antea nunquam de illis collocutae sint.

Initio enim Trachiniarum Deianira cum ancilla collocuta enumerat, quae mala usque ad illum diem passa sit: Herculem quos illi peperisset liberos, postquam nati essent, non iam vidisse, cum altero die domum reversus, altero ad novos suscipiendos labores profectus esset. Sed sunt illae quas explicat res eius modi, quas serva novisse debuerit, quippe quam haud raro Deianiram lacrimas fundentem vidisse ex his verbis ipsius eluceat (v. 49—51):

δέσποινα Δηάνειρα, πολλὰ μέν σ' ἐγὼ
κατεῖδον ἤδη πανδάκρυτ' ὀδύρματα
τὴν Ἡράκλειον ἔξοδον γοωμένην.

Atque etiam choro quibus doloribus Deianira affecta sit, compertum esse ex his versibus cognoscitur: v. 105 sq., 175 sq.

Colloquium igitur illud nihil aliud sibi velle perspicuum est, nisi ut spectatores certiores fiant de iis quae cum illo actionis die priora sint, ipsa in scaena peragi non possint[1]). Neque aliter sunt intellegendae res quae hoc colloquium sequuntur. Famula enim suadente cum Deianira Hyllum oret, ut ubinam terrarum pater versetur investiget, ille respondet haec:

v. 67: *ἀλλ' οἶδα, μύθοις εἴ τι πιστεύειν χρεών.*
v. 69—70: *τὸν μὲν παρελθόντ' ἄροτον ἐν μήκει χρόνου*
Λυδῇ γυναικί φασί νιν λάτριν πονεῖν.

[1]) G. Kaibel (Sophocles Electra p. 65) illa de ratione rectissime haec dicit: „*Deian. hat für ihr Auftreten keinen anderen Grund, als dass das Stück beginnt, für ihre Erzählung keinen anderen, als dass das Publikum unterrichtet sein will*“. Cui, ut mihi quidem videtur, iniuria obloquitur Th. Zielinski (Philol. 55 p. 521 sq.).

v. 74—75: *Εὐβοΐδα χώραν φασίν, Εὐρύτου πόλιν,*
ἐπιστρατεύειν αὐτὸν ἢ μέλλειν ἔτι.

Haud igitur nescit et ubi Hercules antea fuerit et quem locum nunc teneat. Neque eum ad matrem de illis rebus edocendam tempus defecisse putandum est; verbo enim „*μέλλειν*" illum ubi Hercules versaretur iam multo ante comperisse apparet. Nam hoc die quo Hyllus de patre loquitur, is non iam Oechaliam aggredi „moratur" (*μέλλει*, v. 75), sed iam pridem expugnavit. At qui fit, ut cum ancilla et chorus et ipsa Deianira ubi terrarum Hercules degat nesciant, Hyllus solus illum locum cognitum habeat? Praeterea Hyllum cum cotidie quo desiderio mater cruciaretur vidisset, nunquam cum ea de Herculis laboribus collocutum esse eique id quod hac de re compertum haberet rettulisse quis est quin cum rerum natura pugnare consentiat? Quod se praetermisisse Hyllus nullam ob aliam causam simulat, nisi ut spectatores hoc die illi colloquio interesse possint.

Quamquam enim Sophocles compositionem tetralogicam, qua usus erat Aeschylus eo modo ut illius fabulae quasi tres complecterentur actus, plane reliquerat[1]), tamen ad rationem Euripideam progredi nondum ausus est, qui prologo res quae initio fabulae antecesserant, per hominem vel deum *προλογίζοντα* enarravit, sed Sophocles res antea peractas actioni ipsi innectit.

Quod etiam initio Antigonae comprobatur. Ismena enim quid Creon nocte vetuerit, ob eam causam se nescire simulat, ut per Antigonam de hac re coram spectatoribus certior fiat. Deinde Creon cives convocat, ut eos ipsos ne Polynicem sepeliant deterreat, praecipue autem, ut iis quas secutus leges regnaturus sit exponat. Sed se regnum iam ante complures dies obtinuisse ipse dicit versibus 170 sq.:

ὅτ' οὖν ἐκεῖνοι πρὸς διπλῆς μοίρας μίαν
καθ' ἡμέραν ὤλοντο παίσαντές τε καὶ
πληγέντες αὐτόχειρι σὺν μιάσματι,
ἐγὼ κράτη δὴ πάντα καὶ θρόνους ἔχω.

---

[1]) Suidas s. v. *Σοφοκλῆς· ἦρξε τοῦ δρᾶμα πρὸς δρᾶμα ἀγωνίζεσθαι, ἀλλὰ μὴ τετραλογεῖσθαι* (codd. *στρατολογεῖσθαι*, quod sensu caret). Cf. N. Wecklein, „Über eine Trilogie des Aeschylus", Münch. Sitzber. 1891 p. 368 sq.

Idem docent versus 289 sq.:

ἀλλὰ ταῦτα καὶ πάλαι πόλεως
ἄνδρες μόλις φέροντες ἐρρόθουν ἐμοί,
κρυφῇ κάρα σείοντες, οὐδ' ὑπὸ ζυγῷ
λόφον δικαίως εἶχον, ὡς στέργειν ἐμέ.

Itaque ad rationem illam explicandam quam secutus regnaturus esset, nullus dies magis idoneus erat quam is ipse quo Creon Eteocli successerat. Tamen Creon illud hoc demum die profert, ut primis ipsis verbis se eum praebeat qui intra fabulam in omnes imperio ipsius resistentes quam acerbissime consulere non sit dubitaturus.

Neque in Oedipo Rege Sophocles a ratione illa discedit. Ubi primum enim Oedipus in scaenam prodiit, sacerdotem, ducem liberorum illorum supplicum, interrogat, quid sibi velint sacra per urbem facta atque cantus et gemitus (v. 1—13). Nam cum suspicetur urbem aliquo malo opprimi, se, quantum quidem possit, voluntati ipsorum obsecutum id esse spectaturum, ut civitati afflictae quam celerrime medeatur. Quibus verbis satis elucet Oedipum nescire, quo morbo urbs iam diu affecta sit. Postquam autem sacerdos planius atque fusius communem calamitatem explicavit, rex respondet (v. 58—60):

ὦ παῖδες οἰκτροί, γνωτὰ κοὐκ ἄγνωτά μοι
προσήλθεθ' ἱμείροντες· εὖ γὰρ οἶδ' ὅτι
νοσεῖτε πάντες.

Regem igitur calamitatem illam iam compertam habuisse manifestum est, priusquam sacerdos precandi causa ad eum venisset. Quocum consentit quod ut morbo illi mederetur, Creontem ante complures dies Delphos misit, cuius reditum iam diu exspectat.

Itaque quaerenti quibusnam causis Sophocles ad tantam rerum discrepantiam commotus sit, ut primum Oedipus se nescium esse malorum simulet, deinde vel remediis se prospexisse affirmet, respondendum erit Sophoclem quamvis res priore tempore gestas ipsas producere re scaenica esset prohibitus, tamen nihil praetermisisse quin illas rebus hoc die peragendis immisceret.

Neque alia res est in prologo Electrae. Postquam enim

Orestes et Pylades Delphis relictis cum paedagogo ad regiam advenerunt, hic dicit (v. 15—16):

νῦν οὖν, Ὀρέστα καὶ σὺ φίλτατε ξένων
Πυλάδη, τί χρὴ δρᾶν ἐν τάχει βουλευτέον.

Nunc igitur cum ad finem itineris pervenerunt, paedagogus iis suadet, ut consilium capiant quid faciendum sit. Cui Orestes respondet (v. 32—35):

ἐγὼ γὰρ ἡνίχ' ἱκόμην τὸ Πυθικὸν
μαντεῖον, ὡς μάθοιμ' ὅτῳ τρόπῳ πατρὶ
δίκας ἀροίμην τῶν φονευσάντων πάρα,
χρῇ μοι τοιαῦθ' ὁ Φοῖβος, ὧν πεύσει τάχα.

Non prius igitur Orestes cum comitibus quid nuper Apollo sibi vaticinatus sit communicat quam Argos pervenerunt[1]). Itaque liceat mihi verba quae G. Kaibel hac de re fecit afferre[2]): *„Es ist nur dramatischer Zwang, dass erst jetzt Orest vom Orakel berichtet und der Alte erst jetzt zur Beratung mahnt. Die Unwahrscheinlichkeit, dass sie den ganzen Weg von Delphi her stumm zurückgelegt haben sollten, muss neben anderen Unzuträglichkeiten ertragen werden"*.

Cum enim actio tragoediarum Sophoclearum unum diem non excederet, poeta facere non potuit quin colloquium illud quod multo ante hunc diem habitum esse par erat, in eum diem conferret[3]).

Neque in Philocteta poeta a more illo quem supra demonstravisse mihi videor discedit. Cuius fabulae initio Ulixes Neoptolemo explicat, qui factum sit, ut Argivi Philoctetam in insula Lemno exponerent. Quibus de rebus illum verba facere, ut spectatores de Philoctetae sorte moneat, satis manifestum est. Neque enim quisquam dubitaverit quin Neoptolemus si

---

[1]) Quae res Nauckio tam absurda esse videbatur, ut versus 20—21 interpolatos esse putaret; dicit autem (Schneidewin-Nauck, Electra, adn. ad v. 20): *„Höchst wunderlich ist der Gedanke, man solle die Beratung beginnen, bevor jemand aus dem Palaste trete. Wollen die Rächer des Agamemnon von keinem Bewohner des Palastes bemerkt werden, so haben sie die Nähe des Palastes zu meiden"*.

[2]) Sophocles Electra p. 66.

[3]) Cf. de Arnim, de prologorum Euripideorum arte et interpolatione, Gryphiswald. 1882 diss. p. 93.

quidem Ulixi obsecutus cum illo Lemnum navigaverat, iam pridem ex eo quaesiverit, qua et sorte et condicione Philoctetes esset (cf. Hom. λ 508 sq.). Idem dicendum est de versibus sequentibus, quibus Ulixes cum Neoptolemo consilium communicat, postquam ab illo Philoctetam specum reliquisse certior factus est: nisi ille per dolum Troiam abductus sit, fieri non posse, ut Neoptolemus ipse urbem Dardanorum unquam expugnet:

v. 68—69: *εἰ γὰρ τὰ τοῦδε τόξα μὴ ληφθήσεται,*
οὐκ ἔστι πέρσαι σοι τὸ Δαρδάνου πέδον.

Atque Neoptolemum ne hoc quidem antea audivisse, quanti momenti sagittae atque arcus Philoctetae sibi essent, etiam e versibus his apparet, quibus Ulixem interrogat (v. 104):

οὕτως ἔχει τι δεινὸν ἰσχύος θράσος;

atque v. 112: *κέρδος δ' ἐμοὶ τί τοῦτον ἐς Τροίαν μολεῖν;*

Neque aliud docent versus 113, 114—15 alii. Cur autem Neoptolemus Ulixem Lemnum secutus est, nisi ut arcum Philoctetae auferret? Atqui cur Sophocles illum simulantem fecerit se neque fortunam Philoctetae neque vim sagittarum eius nosse, ex iis quae supra dixi satis apparere mihi videtur. Qua re poeta efficit, ut spectatores de rebus certiores fiant quas quod antea actae erant, iis ante oculos ponere non potuerit.

Qua a ratione dissentit prologus Oedipi Colonei, in quo spectatores Oedipum in nemore Eumenidum moriturum esse non eo comperiunt, quod ille cum Antigona nunc demum oraculum dei communicat, sed Eumenidibus supplicat, ut nunc quae Apollo vaticinatus sit perficiant (v. 84 sq.).

Sed Sophocles etiam res quas vel semel vel saepius ante hunc diem actas esse personae ipsae exposuerunt, hoc die denuo spectatoribus ante oculos ponit, quo magis commoveantur. Cuius rei gravissimum exemplum praebet Electra fabula. Verbis enim et Electrae ipsius cum choro colloquentis (v. 121—250) et Clytaemestrae illam nihil praetermittere cognoscimus quin matri crimini tribuat, quod patrem interfecerit. Nam ut nonnulla afferam exempla, Clytaemestra filiam arguit, quod cum antea intra regiam tantum ipsi maledixisset, iam foras exierit (v. 520—26):

καίτοι πολλὰ πρὸς πολλούς με δὴ
ἐξεῖπας, ὡς θρασεῖα καὶ πέρα δίκης
ἄρχω καθυβρίζουσα καὶ σὲ καὶ τὰ σά·
ἐγὼ δ' ὕβριν μὲν οὐκ ἔχω, κακῶς δέ σε
λέγω κακῶς κλύουσα πρὸς σέθεν θαμά.
πατὴρ γάρ, οὐδὲν ἄλλο σοὶ πρόσχημ' ἀεί,
ὡς ἐξ ἐμοῦ τέθνηκεν.

et v. 552—53: *ἐρεῖς μὲν οὐχὶ νῦν γέ μ' ὡς ἄρξασά τι*
λυπηρὸν εἶτα σοῦ τάδ' ἐξήκουσ' ὕπο.

Eodem modo versus 547, 595, 605 sq., 784-86, 798 alii docent illas, ut natura ferebat, iam saepissime de Agamemnone trucidato maledictis inter sese certasse. Sed tantum abest, ut Sophocles illas controversias spectatoribus nuntiari satis habeat, ut discordiam hoc die denuo coram spectatoribus exoriri faciat.

Itaque fieri non potuit quin illae nunquam antea alteram verbis invectam esse in alteram simularent. Electra enim queritur his verbis (282—86):

ἐγὼ δ' ὁρῶσ' ἡ δύσμορος κατὰ στέγας
κλαίω, τέτηκα, κἀπικωκύω πατρὸς
τὴν δυστάλαιναν δαῖτ' ἐπωνομασμένην
αὐτὴ πρὸς αὐτήν· οὐδὲ γὰρ κλαῦσαι πάρα
τοσόνδ' ὅσον μοι θυμὸς ἡδονὴν φέρει e.q.s.

Deinde Clytaemestra eam hortatur, ut ipsi aperiat, qua commotus causa Agamemno Iphigeniam sacrificaverit (v. 534—36):

εἶεν, δίδαξον δή με, τοῦ χάριν τίνων
ἔθυσεν αὐτήν· πότερον Ἀργείων ἐρεῖς;
ἀλλ' οὐ μετῆν αὐτοῖσι τήν γ' ἐμὴν κτανεῖν.

Quacum re congruit, quod Electra Agamemnonem non Menelai gratia filiam sacrificasse matri explicat, sed quia cervam Dianae sacram interfecerit (v. 560—76).

Quam in discrepantiam rerum Sophocles incidit, quod ipsas feminas hoc die certantes spectatoribus ante oculos positurus erat[1]).

Neque aliam rationem Sophocles secutus est in Philocteta componenda. Quamquam enim quibus doloribus morbisque torqueretur Philoctetes ipse explicavit (v. 254—316), tamen poeta

[1]) Quacum re conferas quaeso rationem Euripideam infra expositam.

illum, quo magis perspicua fiat magnitudo malorum eius, subito impetu morbi corripi facit.

Qua re Sophocles supersedisset, si secutus Aeschyli compositionem trilogicam priore trilogiae fabula condicionem turpem Philoctetae explanavisset, altera quem ad modum ille Lemno Troiam abduceretur, peragi fecisset.

Eodem rettulerim quod quamquam Antigona initio fabulae iussum improbum Creontis Ismenae sorori iam narravit, Creon ipse in scaenam progressus civibus denuo praedicat ne quod vetuerit neglegant.

Neque silentio praetereunda est haec ratio, quam poeta ad res quam maxime finibus unius diei aptandas adhibet.

Quo celerius actio progrederetur, Oedipus rex iam ante initium fabulae Creontem Delphos misit; ea enim re efficitur ut quo temporis momento cives ab Oedipo auxilium petunt, eodem ille revertatur. Nam si hoc ipso die mitteretur, fieri non poterat ut eodem rediret (cf. v. 73—74). Deinde cum chorus Oedipo suadeat, ut ex Tiresia interfectores Laii quaerat, rex respondet (v. 288—89):

ἔπεμψα γὰρ Κρέοντος εἰπόντος διπλοῦς
πομπούς, πάλαι δὲ μὴ παρὼν θαυμάζεται.

Ne quid igitur diei consumatur, quod nunc ipsum ad Tiresiam nuntii mittantur, Oedipus illud iam curavit. Eidem poetae consilio tribuendum est, quod Creon iam ante initium Antigonae custodes collocavit civibusque universis ne corpus Polynicis sepelirent praedixit.

Neque solam actionem fabularum Sophocles ita componere studuit, ut ex se ipsa uno die ad finem perduceretur, sed utitur variis artibus velut oraculis, somniis, epistulis, quibus efficitur, ut singulae res in eundem diem congruant.

Ut enim ab Aiace exordiar, vix ille scaena decessit, ut sibi ipse manum inferret, cum nuntius quae Calchas Teucro praescripserit refert (v. 753—57):

εἶρξαι κατ' ἦμαρ τοὐμφανὲς τὸ νῦν τόδε
Αἴανθ' ὑπὸ σκηναῖσι μηδ' ἀφέντ' ἐᾶν,
εἰ ζῶντ' ἐκεῖνον εἰσιδεῖν θέλοι ποτέ.
ἐλᾷ γὰρ αὐτὸν τῇδε θἠμέρᾳ μόνη
δίας Ἀθάνας μῆνις, ὡς ἔφη λέγων.

Eo igitur quod Calchas vaticinatus est fore ut Aiax si hoc solo die intra tentorium retineretur, servaretur, si minus, periret, poeta id spectavit, ut Tecmessa timore capta ne quid humani Aiaci evenisset, sine mora vestigia eius sequeretur. Nisi enim Calchas Aiacem illo die foras mitti vetuisset, Tecmessa ipsa nihil illi timuisset, sed per complures dies reditum eius exspectavisset verbis his confisa (v. 652—56):

οἰκτίρω δέ νιν
χήραν παρ' ἐχθροῖς παῖδά τ' ὀρφανὸν λιπεῖν.
ἀλλ' εἶμι πρός τε λουτρὰ καὶ παρακτίους
λειμῶνας, ὡς ἂν λύμαθ' ἁγνίσας ἐμὰ
μῆνιν βαρεῖαν ἐξαλύξωμαι θεᾶς.

Eandem ob causam in Trachiniis tabula illa ab Hercule Deianirae relicta est, ex qua illa cognosceret quindecim mensibus circumactis finem esse futurum laborum illorum (v. 44-48). Quo modo accidit, ut Deianira illo ipso die foras progressa Hyllum ad patrem mittat, quo Hercules laboribus ad finem perductis domum reverti possit. Nam nisi hac ratione fieri non potuit, ut finis laborum illius in eundem diem incideret quo mater curis vehementissimis cruciata filium ad patrem adiuvandum reducendumque mitteret.

Neque alio spectat in Electra somnium Clytaemestrae. Quae Agamemnonem reversum sceptrum antiquum in foco patrio insevisse atque surculum ex eo natum totis Mycenis umbram attulisse per somnum viderat. Quo somnio perterrita illa statim Chrysothemin ad sepulcrum patris mittit; ea tamen non, quod mater iusserat, patri sacrificat, sed cirrum iussu Electrae sepulcro impositura Orestem rediisse cognoscit. Somnio igitur illo quasi per deos ipsos sancitur atque significatur Orestem hoc die ultorem patris esse reversurum. Si autem somnium illud abesset, quidnam fuisset absurdius quam illum tot annos absentem eodem die domum reverti, quo marito sacra facere Clytaemestrae in mentem venisset! Simile somnium quo Aeschylus ipse (Choeph. v. 527 sq.) usus est, iam apud Stesichorum legimus (fr. 42 B[4]); quod utrum ille eodem modo atque poetae tragici cum adventu Orestis coniunxerit necne, non liquet.

Sed ut Sophocles oraculis similibusve rebus divinis id agit, ut diversissimae res in unum diem congruant, ita saepe ea quae non minus apte ad quemlibet alium diem convenissent, illo ipso die peragi facit.

Teucer enim quo die Aiax se necavit, eodem revertitur, quamquam ne Aiacem quidem adventum illius tam brevi spatio interposito exspectare ex ipsius verbis colligendum est (v. 562 sq.).

Eodem modo Creon illo die Delphis domum redux fit, quo liberi supplices Oedipum precibus adierunt. Cuius rei novitatem poeta eo minuere conatur, quod tempus adventui illius destinatum tunc ipsum praeteriisse Oedipus dicit (v. 73—75):

καί μ' ἦμαρ ἤδη ξυμμετρούμενον χρόνῳ
λυπεῖ τί πράσσει· τοῦ γὰρ εἰκότος πέρα
ἄπεστι πλείω τοῦ καθήκοντος χρόνου.

Deinde licentiae poeticae tribuendum est, quod in Oedipo Coloneo Ismena et Creon, ut illum Thebas reducant, eodem die in lucum Eumenidum adveniunt, quo Oedipus multis erroribus iactatus finem laborum invenit.

Denique quod commemoretur dignum est Sophoclem, non aliter atque poetas omnes, ne unius diei spatium excedat, locorum atque temporum intervalla plane neglegere. Ut enim exemplo utar, in Trachiniis uno die primum quidem Hyllus e Thessalia ad Euboeam proficiscitur, deinde Lichas idem facit iter, postremo tantum diei restat, ut Hercules aegrotus ex Euboea domum transportari possit[1]).

Illae mihi proferendae erant artes, quibus Sophocles effecit, ut actio fabularum unius diei finibus coerceretur. Atque in quo maiores angustias poeta hoc vinculo, ut ita dicam, coactus est, eo magis admirandum est, qua diligentia et quo ingenio se illo extricaverit. Quae res Sophoclis arti non obstitit sed favit, quippe cuius plurimum interesset compositione rerum vim in actione positam quantum quidem posset augere. Nam ut actio Oedipi Regis in complures dies distribuatur, vis rerum in illum concurrentium quam maxime minuitur. Quae cum ita sint, tolerari potest quod Oedipus tunc demum, cum Creon ora-

---

[1]) Cf. Corneille, discours des trois unités p. 112. Schlegel l. c. p. 26 sq.

culum Delphis rettulit, et quo modo Laïus perierit interrogat (v. 112 sq.) et quis ipse sit Iocastae explicat (v. 771 sq.)[1].

Sequitur ut de uno loco Sophocleo agam. Cum enim quae erant res scaenicae Graecorum, fieri non potuerit quin totam per fabulam ad aedes ipsas res agerentur[2]), videamus quibus usus artificiis Sophocles totam actionem in unum locum transtulerit.

Ac primum quidem poeta homines qui domum tenentes impedimento sunt, quo minus res ad aedes agantur domo amovet aliave causa prohibet ne quae foris conferantur consilia audiant.

Postquam enim Electra initio fabulae, quam crudeliter Aegisthus in ipsam consuluisset, exposuit maledictaque in illum coniecit, chorus interrogat (v. 310—11):

φέρ᾽ εἰπέ, πότερον ὄντος Αἰγίσθου πέλας
λέγεις τάδ᾽ ἡμῖν ἢ βεβῶτος ἐκ δόμων;

Cui Electra hoc respondet (v. 312—13):

ἦ κάρτα· μὴ δόκει μ᾽ ἄν, εἴπερ ἦν πέλας,
θυραῖον οἰχνεῖν· νῦν δ᾽ ἀγροῖσι τυγχάνει.

Quod etiam ex Clytaemestrae verbis elucet his (v. 517—18):

οὐ γὰρ πάρεστ᾽ Αἴγισθος, ὅς σ᾽ ἐπεῖχ᾽ ἀεὶ
μή τοι θυραίαν γ᾽ οὖσαν αἰσχύνειν φίλους.

Ut igitur Electra in scaena ipsa explicare posset, quo modo Clytaemestra et Aegisthus sese gererent, Sophocles hunc procul absentem fecit; nam tantum aberat, ut Electra Aegisthum ubi primum domi versaretur, vituperaret vel obiurgaret, ut ne foras quidem exire illi liceret. Itaque postquam Electra ante regiam fratrem agnovit atque ei quo modo in matrem esset consulendum explicavit, paedagogus ex regia procurrit his usus verbis (v. 1326—33):

ὦ πλεῖστα μῶροι καὶ φρενῶν τητώμενοι,
πότερα παρ᾽ οὐδὲν τοῦ βίου κήδεσθ᾽ ἔτι

---

[1]) Cf. G. Freytag, Die Technik des Dramas [2] cap. IV: *„Dass König Oedipus viele Jahre regiert, ohne sich um den Tod des Laius zu kümmern, erschien vielleicht schon bei der ersten Aufführung des Stückes den Athenern als eine bedenkliche Voraussetzung“.*

[2]) Cf. p. 12 sq.

ἢ νοῦς ἔνεστιν οὔτις ὑμὶν ἐγγενής,
ὅτ' οὐ παρ' αὐτοῖς, ἀλλ' ἐν αὐτοῖσιν κακοῖς
τοῖσιν μεγίστοις ὄντες οὐ γιγνώσκετε;
ἀλλ' εἰ σταθμοῖσι τοῖσδε μὴ 'κύρουν ἐγὼ
πάλαι φυλάσσων, ἦν ἂν ὑμὶν ἐν δόμοις
τὰ δρώμεν' ὑμῶν πρόσθεν ἢ τὰ σώματα.

Neque enim Sophoclem fugit hunc locum alienum esse a consiliis illis de Clytaemestra capiendis. Quam ob rem illa a paedagogo intus retinetur, ne quid de se foris conferatur consiliorum, animadvertat.

Quam ad rem probandam etiam initium Philoctetae aptissimum esse mihi videtur. Cum enim personas ad specum Philoctetae agere oporteret, Ulixes facere non potuit quin hoc loco quamvis periculoso Neoptolemum edoceret, quae consilia de illo cepisset. Quem locum ad eas res disserendas haudquaquam idoneum esse Ulixi ipsi persuasum est, id quod ex his verbis colligi debet (v. 11—14):

ἀλλὰ ταῦτα μὲν τί δεῖ
λέγειν; ἀκμὴ γὰρ οὐ μακρῶν ἡμῖν λόγων,
μὴ καὶ μάθῃ μ' ἥκοντα κἀκχέω τὸ πᾶν
σόφισμα, τῷ νιν αὐτίχ' αἱρήσειν δοκῶ.

Itaque Neoptolemum totius doli conscium facere dubitat, priusquam hic disquisiverit, utrum Philoctetes in specu inesset necne (v. 22—25):

ἅ μοι προσελθὼν σῖγα σήμαιν' εἴτ' ἐκεῖ
χῶρον πρὸς αὐτὸν τόνδ' ἔτ' εἴτ' ἄλλῃ κυρεῖ,
ὡς τἀπίλοιπα τῶν λόγων σὺ μὲν κλύῃς,
ἐγὼ δὲ φράζω, κοινὰ δ' ἐξ ἀμφοῖν ἴῃ.

Ulixes igitur se reliquum consilium Neoptolemo explicaturum esse pollicetur, cum periculum non imminere renuntiaverit. Neque quisquam negabit illud iussum a Sophocle ideo fictum esse, ut Neoptolemus Philoctetam specu decessisse renuntiaret. Etiamsi enim ille specum tenuisset, Ulixes facere non potuisset quin hoc loco periculoso cum Neoptolemo consilia communicaret. At cum is quidem nuntiaverit (v. 31):

ὁρῶ κενὴν οἴκησιν ἀνθρώπων δίχα,

nihil obstat, quominus colloquium antea coeptum finiatur.

Ut autem personae ad res peragendas hunc in locum prodire possint, quaslibet fingunt causas, quibus prolatis locum magis idoneum adire non potuisse videntur.

Initio enim Aiacis Ulixes noctu Aiacem in armenta invasisse certior factus vestigia illius persecutus est, donec ad tabernaculum eius pervenit. Neque vero in tentorium ipsum intrat, sed foris vestigia illius metitur; Minerva enim illum his alloquitur verbis (v. 3—7):

καὶ νῦν ἐπὶ σκηναῖς σε ναυτικαῖς ὁρῶ
Αἴαντος, ἔνθα τάξιν ἐσχάτην ἔχει,
πάλαι κυνηγετοῦντα καὶ μετρούμενον
ἴχνη τὰ κείνου νεοχάραχθ', ὅπως ἴδῃς.
εἴτ' ἔνδον εἴτ' οὐκ ἔνδον.

Quo in discrimine Minerva eum allocuta Aiacem inesse edocet (v. 9—10):

ἔνδον γὰρ ἀνὴρ ἄρτι τυγχάνει, κάρα
στάζων ἱδρῶτι καὶ χέρας ξιφοκτόνους.

Quo colloquio apparet deam eum quamvis diu sit persecuta (cf. v. 36—37), ad Aiacis tentorium ipsum alloqui, ut ei condicionem illius explicet (cf. v. 9 sq.). Qua re Ulixes gaudio afficitur quam maximo, quippe qui non certo sciat utrum Aiax insit necne.

At num Minervam Ulixi, cum ad tentorium ipsum pervenisset, auxilio venire erat necesse? Nonne si intrare dubitaret, introspicere potuit? [1])

Immo vero per Minervam Ulixem de facinore Aiacis certiorem fieri putandum est eo tempore quo ille vestigia inimicissimi premere incipiat, non postquam iam ad finem itineris pervenerit, ubi quod dea enarrabat ipsi conspicere liceret.

Quacum re consentiunt verba ab Ulixe facta (v. 31—34):

εὐθέως δ' ἐγὼ
κατ' ἴχνος ᾄσσω, καὶ τὰ μὲν σημαίνομαι,
τὰ δ' ἐκπέπληγμαι κοὐκ ἔχω μαθεῖν ὅτου.
καιρὸν δ' ἐφήκεις.

---

[1]) Cf. v. 11—12:
καί σ' οὐδὲν εἴσω τῆσδε παπταίνειν πύλης
ἔτ' ἔργον ἐστίν, quibus illud ipsum comprobatur.

Nam Minervam *καιρὸν* advenisse Ulixi dicendum erat, si ipsum vestigia fefellissent, non postquam tentorium attigit.

Neque aliud est initium Antigonae, in quo Antigona ipsa sorori exponit, quid Creon de Polynice mortuo constituerit. Antigonam autem ipsam nescire, quidnam causae proferat, cur illam huc elicuerit, e verbis his est colligendum (v. 18—19):

καί σ' ἐκτὸς αὐλείων πυλῶν
τοῦδ' εἵνεκ' ἐξέπεμπον, ὡς μόνη κλύοις.

Sed num hic locus arbitris magis vacat quam interior domus? Minime vero, praesertim cum Creon se huc venturum esse dixerit (v. 32—33):

δεῦρο νεῖσθαι ταῦτα τοῖσι μὴ εἰδόσιν
σαφῆ προκηρύξοντα . . .

Ut igitur poeta spectatoribus persuadeat personas rebus ipsis peragendis adductas domo prodiisse, ab illis, ubi primum in scaenam processerunt, aliquid causae affertur, cur hoc ipso loco agant.

Ob eandem causam Oedipus rex in scaenam prodit, quamquam liberos supplices eum intra regiam ipsam adire par erat; quod cum fieri non posset, rex iis obviam it hanc afferens causam (v. 6—7):

ἁγὼ δικαιῶν μὴ παρ' ἀγγέλων, τέκνα,
ἄλλων ἀκούειν αὐτὸς ὧδ' ἐλήλυθα.

Neque alio modo Tiresias ad regiam ducitur, qui quis Laium interfecerit aperiat. Sed vix quam ob rem arcessitus sit comperit, cum exclamat (v. 316—18)[1]:

φεῦ φεῦ, φρονεῖν ὡς δεινὸν ἔνθα μὴ τέλη
λύῃ φρονοῦντι· ταῦτα γὰρ καλῶς ἐγὼ
εἰδὼς διώλεσ'· οὐ γὰρ ἂν δεῦρ' ἱκόμην.

Quae excusatio nihil aliud sibi vult nisi ut spectatores intellegant, cur Tiresias voluntati regis obsecutus sit, quippe quem divinavisse par esset, qua de causa Oedipus ipsum arcessivisset. Sed ut Tiresias res illas foedissimas Oedipo coram spectatoribus aperiret, Sophocli quaelibet causa invenienda erat, cur ille ad regiam veniret.

---

[1]) Cf. Schneidewin-Nauck, Sophocl. Oed. R. adn. ad v. 317.

Eodem modo poeta efficit, ut Oedipus postquam ipse oculis se privavit, in scaenam domo prodeat. Ille enim ut omnibus Thebanis ostendatur, postulat (v. 1287—88):

βοᾷ διοίγειν κλῇθρα καὶ δηλοῦν τινα
τοῖς πᾶσι Καδμείοισι τὸν πατροκτόνον.

Quod illum non cupere nisi ut in scaenam procedere possit, e verbis Creontis cognoscitur, qui regem quam celerrime domum introduci iubet haec dicens (1424—27):

ἀλλ' εἰ τὰ θνητῶν μὴ καταισχύνεσθ' ἔτι
γένεθλα, τὴν γοῦν πάντα βόσκουσαν φλόγα
αἰδεῖσθ' ἄνακτος Ἡλίου, τοιόνδ' ἄγος
ἀκάλυπτον οὕτω δεικνύναι . . .

et v. 1429—31:

ἀλλ' ὡς τάχιστ' ἐς οἶκον ἐσκομίζετε·
τοῖς ἐν γένει γὰρ τἀγγενῆ μάλισθ' ὁρᾶν
μόνοις τ' ἀκούειν εὐσεβῶς ἔχει κακά.

Creon igitur nefas esse sentit Oedipum tanto scelere contaminatum ad lucem proferri. Sed quamvis postulet, ut extemplo introducatur (cf. v. 1515), tamen ille praecepto eius non prius obsequitur quam Creon se filiabus ipsius consulturum esse in scaena promiserit.

In Electra Clytaemestra se ex regia progressam esse dicit, ut Apollini supplicaret. Re autem vera eo pervenit (cf. v. 630), ut coram spectatoribus in Electram inveheretur, quamquam locus ille publicus, ut mihi quidem videtur, ad talem rixam conserendam haudquaquam idoneus erat[1]).

Neque in Oedipo Coloneo Theseum regem a quolibet advena arcessitum in lucum Eumenidum contendere veri erat simile; cf. v. 70 et 72:

ΟΙ. ἆρ' ἄν τις αὐτῷ πομπὸς ἐξ ὑμῶν μόλοι,
ὡς ἂν προσαρκῶν σμικρὰ κερδάνῃ μέγα;

Cui *ξένος* ille respondet (v. 73):

καὶ τίς πρὸς ἀνδρὸς μὴ βλέποντος ἄρκεσις;

---

[1]) Cf. G. Kaibel adn. ad v. 659: *„Dass das Gebet zugleich szenisch benützt wird, um die notwendige Anwesenheit der Klyt. auf der Bühne zu ermöglichen, ist freilich hier so klar wie im Oed. R.“.*

At cum fieri non posset, ut scaena ad Thesei regiam deferretur, hic autem Oedipum convenire deberet, hac de causa se huc pervenisse dicit (v. 551—54):

πολλῶν ἀκούων ἔν τε τῷ πάρος χρόνῳ
τὰς αἱματηρὰς ὀμμάτων διαφθορὰς
ἔγνωκά σ', ὦ παῖ Λαΐου, τανῦν θ' ὁδοῖς
ἐν ταῖσδ' ἀκούων μᾶλλον ἐξεπίσταμαι.

Ut igitur Theseus Oedipum in scaena ipsa conveniat, ille se ex nuntiis de eo sibi allatis conclusisse dicit, quis advena ille esset.

Neque raro fit, ut personae in scaenam prodeuntes ne causam quidem afferant, cur hunc locum adierint, tamquam hoc loco nullum esse aptiorem ad res peragendas planum sit.

Quae res optime initio Trachiniarum demonstratur, in quo Deianira quibus doloribus sit affecta enarrat. Nam nonne multo veri similius id intra regiam gestum esset[1]), ubi regina famulaque solae essent, cum huc omnes homines commearent?

Neque cum Hercules doloribus cruciatus spectatoribus producendus esset, fieri potuit quin ex Euboea reduceretur. Itaque Herculem ibi haec ipsum oravisse atque obsecravisse Hyllus narrat (v. 799 sq.):

ἀλλ' ἆρον ἔξω, καὶ μάλιστα μέν με θὲς
ἐνταῦθ' ὅπου με μή τις ὄψεται βροτῶν·
εἰ δ' οἶκτον ἴσχεις, ἀλλά μ' ἔκ γε τῆσδε γῆς
πόρθμευσον ὡς τάχιστα, μηδ' αὐτοῦ θάνω.

Quibus verbis quamquam ab Hyllo nihil petivit nisi ut ab insula amoveretur, tamen filius patrem Trachinem transvexit (cf. v. 803); quo modo fit ut Hercules ubi primum experrectus est nesciat ubinam sit (v. 983—86):

ὦ Ζεῦ,
ποῖ γᾶς ἥκω; παρὰ τοῖσι βροτῶν
κεῖμαι πεπονημένος ἀλλήκτοις
ὀδύναις;

Eandem rationem in initio Electrae adhibitam invenimus,

---

[1]) Vide quod p. 22 de hoc loco exposui.

in quo paedagogus Orestem Pylademque monet, ut iam quidnam facturi sint constituant (cf. v. 15—22)[1]. Sed num est veri simile eos ad aedes Aegisthi ipsius inter sese colloqui, quem ad modum illum trucidaturi sint?

Neque facile quispiam crediderit illos, priusquam huc pervenissent, nunquam eam ipsam rem verbis tetigisse, propter quam Delphis Argos iter fecissent[2]. Quod poetam ipsum sensisse intellegitur ex verbis paedagogi his (v. 21—22):

ἐνταῦθ' ἐμέν,
ἵν' οὐκέτ' ὀκνεῖν καιρός, ἀλλ' ἔργων ἀκμή.

Neque aliter Ulixes se gerit, qui cum initio Philoctetae sortem illius explicare coeperit, ipse mediam narrationem interrumpit, cum dicat (v. 11—12):

ἀλλὰ ταῦτα μὲν τί δεῖ
λέγειν; ἀκμὴ γὰρ οὐ μακρῶν ἡμῖν λόγων[3].

Atque simile exemplum exstat alio eiusdem fabulae loco. Postquam enim Ulixes et Neoptolemus sagittis Philoctetae sublatis iam ad oram maritimam sese contulerunt, ubi quae ad navigandum opus essent pararent, denuo ad specum reversi haec inter se colloquuntur (v. 1222—24):

ΟΔ. οὐκ ἂν φράσειας ἥντιν' αὖ παλίντροπος
κέλευθον ἕρπεις ὧδε σὺν σπουδῇ ταχύς;
ΝΕ. λύσων ὅσ' ἐξήμαρτον ἐν τῷ πρὶν χρόνῳ e. q. s.

Nunc igitur, cum ad finem itineris pervenerunt, Ulixes ex Neoptolemo cur huc redierit quaerit? Totumne per iter a navibus ad specum factum tacuerunt? At quaecumque Ulixes Neoptolemum hoc loco interrogat, ad naves ipsas interrogare debuit, simulatque ille sententia de sagittis rapiendis mutata inde decedere conatus est. Sed cum hanc ob rem scaena esset mutanda, illi eam rem de qua iam ad oram maritimam colloqui debuerunt, ad specum ipsum peragunt.

---

[1]) Cf. G. Kaibel adn. ad v. 21: „*Es ist einfach szenischer Zwang, dass die Ankömmlinge gerade vor dem Palast, dem ihnen gefährlichsten Ort, ihre Reden führen*".

[2]) Cf. G. Kaibel l. c. p. 66.

[3]) Cf. Schneidewin-Nauck, Sophocles Electra [8] adn. ad v. 22, qui similia exempla in fabulis Graecorum exstantia afferunt.

In Oedipo vero Coloneo rex ipse postquam Theseum filiasque se ad eum locum sequi iussit quo moriturus esset (v. 1540 sq.), dicit (v. 1552—55):

ἀλλά, φίλτατε ξένων,
αὐτός τε χώρα θ' ἥδε πρόσπολοί τε σοὶ
εὐδαίμονες γένοισθε κἀπ' εὐπραξίᾳ
μέμνησθέ μου θανόντος εὐτυχεῖς ἀεί.

Quamquam igitur Theseum oravit, ut ipsum comitaretur usque ad locum mortis suae, tamen iam in nemore ipso eum valere iubet, non quo alter ab altero statim discedat, sed quod Oedipus una cum Theseo postea non iam in scaena erit; neque enim locus ille desertus quo moreretur repraesentari poterat (cf. v. 1640 sq.).

Neque in fine fabulae alia est causa, cur Oedipo mortuo Antigona et Ismena et postea Theseus ipse in eundem locum quo ante res gesta est redeant (v. 1670). Nam quominus ubi Oedipus mortem obiisset remanerent, res scaenicae obstabant.

Saepissime accidere consentaneum est, ut quae personae plurimum valent ad res gerendas, eae loco quo antea egerunt decedere rebus ipsis cogantur. Quam ob rem cum fieri non possit, ut res quae sequuntur alio loco agantur, personae illae causis fictis in scaena remanere solent.

Postquam enim Electra fratrem Delphis curru certantem mortem occubuisse a paedagogo certior facta est, eam dolore oppressam loca deserta petere veri simillimum erat.

Quam cum in scaenis quae sequuntur adesse necesse sit, poeta haec facit dicentem (v. 817—19):

ἀλλ' οὔ τι μὴν ἔγωγε τοῦ λοιποῦ χρόνου
ξύνοικος, ὄμνυμ', ἀλλὰ τῇδε πρὸς πύλῃ
παρεῖσ' ἐμαυτὴν ἄφιλος αὑανῶ βίον.

Atque etiam in Philocteta scaena mutanda erat, si chorus nautarum, id quod par fuit, Ulixem et Neoptolemum ad naves decedentes secutus esset. Quod ut prohibeatur, Neoptolemus nautas his verbis hortatur (v. 1075—80):

ὅμως δὲ μείνατ', εἰ τούτῳ δοκεῖ,
χρόνον τοσοῦτον, εἰς ὅσον τά τ' ἐκ νεὼς
στείλωσι ναῦται καὶ θεοῖς εὐξώμεθα.

χοῦτος τάχ' ἂν φρόνησιν ἐν τούτῳ λάβοι
λῴω τιν' ἡμῖν. νὼ μὲν οὖν ὁρμώμεθον,
ὑμεῖς δ', ὅταν καλῶμεν, ὁρμᾶσθαι ταχεῖς.

Neoptolemus igitur se chorum hoc loco deseruisse simulat precibus Philoctetae victum atque spe adductum fore ut ille sententiam mutet.

Re autem vera id a poeta ita instituitur, ut choro eundem retinente locum etiam reliqua fabulae pars ad specum Philoctetae agatur.

Cuius rei gravissimum exemplum praebet *Oedipus Coloneus*.

Quamquam enim Oedipus Creontem brevi adventurum esse, ut ipsum Thebas reduceret, ex Ismena audivit, atque Theseus arbitrio ipsius permisit, ut vel in nemore remaneret vel se ad regiam sequeretur (v. 638 sq.), ille tamen hunc locum obtinere pergit, Theseo autem monenti respondet haec (v. 644 et 46):

εἴ μοι θέμις γ' ἦν· ἀλλ' ὁ χῶρός ἐσθ' ὅδε
ἐν ᾧ κρατήσω τῶν ἔμ' ἐκβεβληκότων.

Quam excusationem quin Sophocles ob eam solam causam finxerit, ut Oedipus etiam in reliqua fabula locum illum teneret, dubium esse non potest. Nam quod Oedipum in nemore Eumenidum de vita esse decessurum oraculo praedictum erat, non obstabat, quominus in Thesei fidem se conferret, donec periculum quod imminebat tolleretur.

Simili modo poeta prohibet ne personae ad res peragendas *domum ipsam introeant*.

Tecmessa enim chorum de facinore *Aiacis* nocturno edoctum in tentorium intrare iubet his verbis (v. 328—29):

ἀλλ', ὦ φίλοι, τούτων γὰρ εἵνεκ' ἐστάλην,
ἀρήξατ' εἰσελθόντες, εἰ δύνασθέ τι.

Quod cum per res scaenicas fieri non potuerit, chorus eam orat, ut ianuam tentorii aperiat; qua re efficitur, ut Aiax aspectu nautarum illorum commotus in scaenam procedat.

Deinde in *Antigona* chorus nuntiusque cum repentino Iocastae abitu perterriti iamiam domum introituri sunt, Creon cum Haemonis Antigonaeque corporibus exanimatis apparens illos ne id quod sibi proposuerunt perficiant prohibet (v. 1257 sq.).

Atque in Trachiniis chorus Deianiram, cui nuntius fraudem Lichae aperuit, introire iubet, ut ex hoc quod nuntiavit num verum sit necne quaerat (v. 387—88):

πεύθου μολοῦσα τἀνδρός, ὡς τάχ' ἂν σαφῆ
λέξειεν, εἴ νιν πρὸς βίαν κρίνειν θέλοις.

Qua re cum pars sequens fabulae intra domum fuisset agenda, Sophocles Licham ipsum domo prodeuntem fecit, qui haec dicit (v. 393—94):

τί χρή, γύναι, μολόντα μ' Ἡρακλεῖ λέγειν;
δίδαξον, ὡς ἕρποντος εἰσορᾷς ἐμοῦ.

Ne igitur scaena mutetur, Lichas qualibet de causa domo progressus impedit quominus Deianira intret.

Quod alio eiusdem fabulae probatur loco: quamquam enim Deianira Licham in regiam intrare iusserat hac allata causa (v. 492—95):

ἀλλ' εἴσω στέγης
χωρῶμεν, ὡς λόγων τ' ἐπιστολὰς φέρῃς,
ἅ τ' ἀντὶ δώρων δῶρα χρὴ προσαρμόσαι,
καὶ ταῦτ' ἄγῃς,

tamen cum choro de rebus intra regiam gestis collocuta scaena non decedit, sed cunctatur, donec Lichas ipse egrediatur, haec interrogans (v. 598—99):

τί χρὴ ποεῖν; σήμαινε, τέκνον Οἰνέως,
ὡς ἐσμὲν ἤδη τῷ μακρῷ χρόνῳ βραδεῖς.

Iam videamus, qua utatur arte Sophocles, cum personae visendi causa homines intra aedes versantes adeunt, sive quibus quid alio sit gestum loco renuntient sive quibuscum de aliqua re colloquantur.

Cum enim ante aedes semper chorum conveniant, ab eo domum intrare prohibentur, donec quem petituri sunt ipse seu casu seu qualibet de causa in scaenam progressus cum iis ad regiam de illis rebus colloquitur, quae, si scaena mutari potuisset, intra regiam acta essent [1]).

In Antigona enim custos qui virginem in Polynice sepeliendo deprehensam adducit, chorum his alloquitur verbis (v. 384-85):

[1]) Vide quae hac de ratione infra explicabo.

ἥδ' ἔστ' ἐκείνη τοὔργον ἡ 'ξειργασμένη·
τήνδ' εἵλομεν θάπτουσαν. ἀλλὰ ποῦ Κρέων;

Cui chorus haec respondet (v. 386):

ὅδ' ἐκ δόμων ἄψορρος εἰς δέον περᾷ.

Non igitur custos in regiam pergit, ubi Creontem esse scit, sed choro cur Antigonam reduxerit nuntiat, ut Creonti ad ipsum exeundi facultatem det.

Neque aliter se gerit nuntius qui Antigonae et Haemonis mortem renuntiat. Qui dum brevibus verbis choro omnia explicat (v. 1155 sq.), Eurydica cui ante omnes nuntium afferre debuit, quam in calamitatem maritus incidisset, foras exit fando se malum illud audivisse dicens (v. 1183 sq.). Tantum igitur abest ut nuntius ad Eurydicam edocendam domum intret, ut illa ad eum prodeat.

Sed fatendum est poetam non male fecisse, quod chorum Thebanorum primum de calamitate illa certiorem fecit, quippe quorum permultum interesset scire quid rex egisset.

Etiam in Oedipo Rege Creon, qui regis visendi causa ad regiam contendit, chorum Thebanorum foris convenit eidemque quam ob rem adsit exponit (v. 512—14):

ἄνδρες πολῖται, δείν' ἔπη πεπυσμένος
κατηγορεῖν μου τὸν τύραννον Οἰδίπουν,
πάρειμ' ἀτλητῶν.

Atque dum Creon ex choro singulas res quaerit, — ut Oedipo facultas detur domo prodeundi, — rex ipse casu advenit choro exclamante (v. 531):

αὐτὸς δ' ὅδ' ἤδη δωμάτων ἔξω περᾷ.

Quam ad rationem adhibendam se rebus scaenicis coactum Sophocles haudquaquam prodit; quin etiam illa re summo cum ingenio utitur, ut chorus Creontem ira Oedipi affectum placet priusquam ille in hunc invehatur.

Neque aliam secutus rationem nuntius Corinthius ad regiam sistit pedem chorumque haec interrogat (v. 924—26):

ἆρ' ἂν παρ' ὑμῶν, ὦ ξένοι, μάθοιμ' ὅπου
τὰ τοῦ τυράννου δώματ' ἐστὶν Οἰδίπου;
μάλιστα δ' αὐτὸν εἴπατ', εἰ κάτισθ' ὅπου.

Sed ne nuntius choro sibi ignoto illam rem exponeret, quae ad solum Oedipum Iocastamque pertineret, neve, id quod plerumque fieri solet, Oedipus casu domo exiret, Sophocles id egit, ut paulo ante Iocasta precandi causa (cf. v. 919) prodiret[1]; quae postquam omnia comperit, Oedipum e regia evocat, ut et ipse quid nuntius rettulerit audiat (v. 945—49).

Neque vero temere aut nullo usus consilio Sophocles necessitati illi scaenicae paret, sed ita ut simul vim actionis augeat.

In Electra enim Orestes, ut fieri solet, sororem orat ut Aegisthum domo evocet (v. 1106—07). Quo modo cum inter sese sermonem conserant, denique efficitur, ut soror fratrem cognoscat. Praeterea postquam Aegistho percontato (v. 1450):

ποῦ δῆτ' ἂν εἶεν οἱ ξένοι; δίδασκέ με

Electra respondit (v. 1451):

ἔνδον· φίλης γὰρ προξένου κατήνυσαν,

ille regiam non ingressus foris quaerere pergit, num re vera illi Orestis corpus secum attulerint. Quod ut videret, simulatque Aegisthus ianuam aperiri iussit, non, quod exspectaverat, aspicit Orestem mortuum sed vivum.

Denique Sophocles ne scaenam mutaret, eo usus est artificio, ut exemplum secutus Aeschyli nuntium adhiberet, qui quae interim alio loco essent gesta narraret[2]). Sed quo manifestiores res nuntiatas reddat, Sophocles personas de quibus ille nuntium attulit ipsas in scaenam procedentes malumque in quod inciderunt lugentes facit; nam postquam Haemonem et Antigonam diem supremum obiisse nuntiatum est (Antig. 1155—1243), Creon ipse cum corporibus illorum reversus lugubre mortuorum fatum cum choro conqueritur.

Atque alii eiusmodi loci Sophoclei exstant hi:

---

[1]) Eadem ratio in Electra adhibita est (cf. p. 35).

[2]) Cf. Hornung, de nuntiorum in tragoediis Graecis personis et narrationibus, Progr. d. Ritterakad. zu Brandenburg a. H. 1869.

Bernhardy, Grundriss der griech. Liter. [3] II 2 p. 232.

Th. Bergk, Griech. Literaturgesch. III p. 208 adn. 66.

Dom. Bassi, il nunzio nella tragedia greca, Riv. di filol. XXVII (1899) p. 50 sq.

Trachin.	1. Hyllus Deianirae quid vestimento misso effecerit, renuntiat (v. 749 sq.). 2. Hercules ipse apparet quibusque doloribus sit excruciatus, una cum choro lamentatur (v. 983 sq.).
Oed. Reg.	1. Oedipum oculis se privavisse nuntiatur (v. 1223 sq.). 2. Rex ipse in scaenam prodit atque cum choro *κομμὸν* agit (v. 1307 sq.).
Oed. Col.	1. Nuntius quem ad modum Oedipus ad inferos descenderit renuntiat (v. 1579 sq.). 2. Antigona et Ismena cum choro *κομματικῶς* sortem suam lugent (v. 1670 sq.).

Ita duas illas res inter se diversissimas, narrationem epicam et querelas lyricas, accurate disiungi videmus. Qua in ratione, quippe quam Sophocles eodem modo sequatur atque Aeschylus Euripidesque, vestigium inesse mihi videtur antiquissimae illius tragoediae, quam eo modo natam esse constat, ut ad chorum canentem persona accederet, quae cum illo aliquid communicaret.

Itaque pro certo habeo nuntii partes iam in antiquissima fuisse tragoedia[1]). Quae etiam retinebantur, postquam actore altero invento non solum chorus id quod alio gestum erat loco versibus lyricis persequebatur, sed res ipsae in scaena peragebantur. Nisi enim nuntii partes cum tragoedia ipsa enascente artissime cohaererent, saepe intellegi non posset, quo consilio ille adhiberetur, praesertim cum, postquam omnia plane ac perspicue per nuntium explicata sunt, personae de quibus ille verba fecit, ipsae in scaenam progressae lyricis modis id lugerent, quod nuntius epica narratione rettulisset.

Ab hac ratione abhorret Aiax fabula, in qua spectatores illum sibi mortem conscivisse non per nuntium certiores fiunt, sed scaena mutata ipsum conspiciunt, cum gladio se immittit (v. 815)[2]). Quod Sophocles consulto novavit. Nam in Aeschyli

---

[1]) Qua de re consentio cum H. Hornung l. c. p. 4—5.

[2]) Cf. schol. ad v. 815: *μετακινεῖται ἡ σκηνὴ τοῦ χοροῦ ἐξελθόντος — μετάκειται ἡ σκηνὴ ἐπὶ ἐρήμου τινὸς χωρίου.*
Lobeck, Soph. Aiax[3] adn. ad v. 813. Nilsson l. c. p. 37 sq. Bodensteiner l. c. p. 651. Dörpfeld-Reisch l. c. p. 212.

fabula *Θρῇσσαι* quae in eodem versabatur argumento, Aiacem ipsum se necavisse per nuntium relatum erat.

At cum Sophocles hanc rem ipsam spectatoribus ante oculos ponere ausus sit, fieri non potest ut existimemus plerumque personas ideo loco a conspectu spectatorum remoto manus sibi inferre vel alios trucidare, ne spectatores quae foeda sint aspectu oculis videant[1]). Nam si Graeci a tali conspectu abhorruissent, cur haec inter praestantissimas poetae fabulas reciperentur, haud facile explicari posset. Mea quidem sententia eius modi res alio loco peragi solent cum ob alias causas[1]) tum quia poetae inopia et egestate rerum scaenicarum impediebantur quominus, ut exemplo utar, in Trachiniis Herculem ipsum producerent, cum Licham ad Euboeae scopulos iaceret. Itaque ad spectatores de illis rebus edocendos nuntium adhibebant[2]), cuius narratione satis perspicua atque expolita Graecos formae ipsius amantissimos non minus delectatos esse credi potest quam rebus ipsis ante oculos positis.

III.

Restat ut demonstrem, quibus usus artificiis Euripides unum et diem et locum per totam fabulam retinuerit. Sed priusquam ad rem ipsam accedam, disquirendum est, utrum unitates illae sicut apud Aeschylum et Sophoclem, ita etiam apud Euripidem valuerint necne.

Quae res praecipue iis tragoediis probatur, quarum initio deus *προλογίζων* finem fabulae quantum intra temporis spatium sit futurus praedicit.

Initio enim Alcestidis — ut initium faciam ab ea fabula Euripidea qua antiquior aetatem non tulit — Apollo Alcestidem ipsam hoc die morituram esse vaticinatur his verbis (v. 20—21):

τῇδε γάρ σφ᾽ ἐν ἡμέρᾳ
θανεῖν πέπρωται καὶ μεταστῆναι βίου.

---

1) Vide p. 17—18.

2) Schol. ad Aiacis v. 815: *ἔστι δὲ τὰ τοιαῦτα παρὰ τοῖς παλαιοῖς σπάνια, εἰώθασι γὰρ τὰ πεπραγμένα δι᾽ ἀγγέλων ἀπαγγέλλειν.*

Neque aliud docent verba chori (v. 105 et 107)

καὶ μὴν τόδε κύριον ἦμαρ,
ᾧ χρή σφε μολεῖν κατὰ γαίας

et famulae (v. 147):

πεπρωμένη γὰρ ἡμέρα βιάζεται.

Atque cum Alcestide mortua nihil fere agatur nisi ut Hercules de illius sorte certior factus eam ex inferis reducat, fabulam intra unum solis circuitum ad finem perduci manifestum est.

Sed etiam initio Hippolyti fabulae Venus ira incensa se hoc die adulescentem illum castum ulturam esse minatur (cf. v. 21—22: ἃ δ' εἰς ἔμ' ἡμάρτηκε, τιμωρήσομαι
Ἱππόλυτον ἐν τῇδ' ἡμέρᾳ).

Atque in fine prologi quae modo dixit denuo confirmat his verbis (v. 56—57):

οὐ γὰρ οἶδ' ἀνεῳγμένας πύλας
Ἅιδου φάος τε λοίσθιον βλέπων τόδε[1]).

Iam quia morte Hippolyti fabula ipsa finitur, sequitur ut actio tota finibus unius diei contineatur.

Neque in prologo Hecubae Euripides ab illa ratione discedit, in quo simulacrum Polydori si minus totam actionem at certe priorem partem eius — necem Polyxenae sororis — eo die quo ipse in scaenam prodierit confectum iri vaticinatur his verbis (v. 43—44):

ἡ πεπρωμένη δ' ἄγει
θανεῖν ἀδελφὴν τῷδ' ἐμὴν ἐν ἤματι.

Quocum verba Polyxenae ipsius consentiunt (v. 411—12):

ὡς οὔποτ' αὖθις, ἀλλὰ νῦν πανύστατον
ἀκτῖνα κύκλον θ' ἡλίου προσόψομαι.

---

[1]) Accedunt verba aliarum personarum haec, et Phaedrae (v. 725—27):

ἐγὼ δὲ Κύπριν, ἥπερ ἐξόλλυσί με,
ψυχῆς ἀπαλλαχθεῖσα τῇδ' ἐν ἡμέρᾳ
τέρψω.

et Thesei (v. 887—90):

ἀλλ' ὦ πάτερ Πόσειδον, ἃς ἐμοί ποτε
ἀρὰς ὑπέσχου τρεῖς, μιᾷ κατέργασαι
τούτων ἐμὸν παῖδ', ἡμέραν δὲ μὴ φύγοι
τήνδ', εἴπερ ἡμῖν ὤπασας σαφεῖς ἀράς.

Sed ne altera quidem fabulae parte alius dies postulatur; neque enim Hecuba cum Agamemnone collocuta de scaena abiit, cum Polymestor e Thracia arcessitus advenit illique scelerum commissorum poenas persolvit.

Neque vero fieri solet, ut ipso prologo intellegatur, quantum temporis spatium actio fabulae complexura sit; plerumque enim res alia aliam eo modo sequuntur, ut ex singulis personarum verbis per occasionem iniectis spatium illud enucleari debeat.

Medea enim quantum diei Corinthi remanere sibi liceat (cf. v. 352—53) se in consilio illo atroci perficiendo esse consumpturam his verbis dicit (v. 373—75):

τήνδ' ἐφῆκεν ἡμέραν
μεῖναί μ', ἐν ᾗ τρεῖς τῶν ἐμῶν ἐχθρῶν νεκροὺς
θήσω, πατέρα τε καὶ κόρην πόσιν τ' ἐμόν.

Quo consilio perfecto cum nihil fere agatur, nemo dubitabit quin tota tragoedia finibus unius diei contineatur. Quacum re verba aliarum personarum consentiunt, velut chori (v. 1231—32):

ἔοιχ' ὁ δαίμων πολλὰ τῇδ' ἐν ἡμέρᾳ
κακὰ ξυνάπτειν ἐνδίκως Ἰάσονι,

aut Medeae ipsius animum ad opus aggrediendum his verbis confirmantis (v. 1247—49):

ἀλλὰ τήνδε γε
λαθοῦ βραχεῖαν ἡμέραν παίδων σέθεν
κἄπειτα θρήνει.

Etiam Ionis fabulae actionem quo initium ceperit die, eodem ad finem perduci verbis fabulae ipsis demonstratur. Fabula enim incipit a prima luce (cf. v. 82 sq.), neque multum diei consumptum est, cum Xuthus Delphos advenit Ionique qua commotus causa huc se contulerit his verbis explicat (v. 420-21):

βούλομαι δ' ἐν ἡμέρᾳ
τῇδ', αἰσία γάρ, θεοῦ λαβεῖν μαντεύματα.

Atque postquam se Ionis patrem esse cognovit, exclamat haec (v. 562):

ἡμέρα θ' ἡ νῦν παροῦσα μακάριόν γ' ἔθηκέ με.

Quocum consentiunt Ionis ipsius verba (v. 1354):

ὦ μακαρίων μοι φασμάτων ἥδ' ἡμέρα.

Neque aliter res se habet in Phoenissis fabula, in qua Antigona dolore fratrum mortuorum oppressa patrem his verbis alloquitur (v. 1579—81):

πάντα δ' ἐν ἄματι τῷδε συνάγαγεν,
ὦ πάτερ, ἁμετέροισι δόμοισιν ἄχη θεὸς
ὃς τάδε τελευτᾷ,

quibuscum haec chori congruunt (v. 1582—83):

πολλῶν κακῶν κατῆρξεν Οἰδίπου δόμοις
τόδ' ἦμαρ.

Utroque enim loco summam malorum a dis hunc in unum diem collatam esse apparet. Atque cum fabula ipsa nisi mala illa nihil fere peragatur, non est dubitandum quin etiam haec intra fines unius diei versetur.

Initio vero Orestis fabulae Electra hoc die quo ipsa prodierit Argivos de Orestis ipsiusque sorte decreturos esse explicat (v. 48—58):

κυρία δ' ἥδ' ἡμέρα,
ἐν ᾗ διοίσει ψῆφον Ἀργείων πόλις,
εἰ χρὴ θανεῖν νὼ λευσίμῳ πετρώματι.

Atque quid illi decreverint, nuntius his refert verbis (v. 857-58):

ψήφῳ Πελασγῶν σὸν κασίγνητον θανεῖν
καί σ', ὦ τάλαιν', ἔδοξε τῇδ' ἐν ἡμέρᾳ.

Neque multo post Orestes ipse cum Pylade redit, quippe qui eodem die se sibi manum illaturum esse Argivis pollicitus sit (cf. v. 947 sq.), atque iterum confirmat (v. 1035—36):

τόδ' ἦμαρ ἡμῖν κύριον· δεῖ δ' ἢ βρόχους
ἅπτειν κρεμαστοὺς ἢ ξίφος θήγειν χερί.

Ita fit ut Orestes — hae enim sunt res quae altera fabulae parte perficiuntur — eodem die et Helenam trucidet et Menelaum pro ipso Argivos deprecari cogat.

Huc accedit Helena, in qua, quamquam id verbis quidem non exprimitur, tamen actionem unius diei finibus contineri eo apparet, quod Theoclymenus rex, qui fabula ineunte venandi causa abest, postquam hominem peregrinum advenisse certior factus est, revertitur.

Helena enim in initio ipso fabulae verita ne rex reversurus sit Teucro haec suadet (v. 151—54):

σὺ δ' ἐκλιπὼν
γῆν τήνδε φεῦγε πρίν σε παῖδα Πρωτέως
ἰδεῖν, ὃς ἄρχει τῆσδε γῆς· ἄπεστι δὲ
κυσὶν πεποιθὼς ἐν φοναῖς θηροκτόνοις.

Atque ut Helena ipsa ne Theoclymenus mox redeat timet, ita dubium esse non potest quin ille de adventu Graeci hominis edoctus sine mora regiam adeat, praesertim cum ira quam vehementissima omnium Graecorum flagret, id quod e verbis Helenae elucet his (v. 155—57):

κτείνει γὰρ Ἕλλην' ὅντιν' ἂν λάβῃ ξένον·
ὅτου δ' ἕκατι, μήτε σὺ ζήτει μαθεῖν
ἐγώ τε σιγῶ· τί γὰρ ἂν ὠφελοῖμί σε;

Neque inter adventum Theoclymeni et fabulam exeuntem quicquam temporis interpositum esse putandum est, cum ille quidem inde a versu 1165 usque ad finem fabulae nunquam scaena decedat.

Illae sunt fabulae, in quibus unum diem observatum esse e verbis poetae ipsis colligendum est. Tamen Euripidem etiam in ceteris fabulis componendis legi illi paruisse patet, etiamsi illud quidem e verbis ipsis non cognoscitur. Nam ne in altera fabulae parte alius dies esset atque in altera, ante omnia chorus obsistebat, quippe qui per totam actionem in scaena remaneret[1]. Quae res haudquaquam iis locis refutatur, quibus chorus, ut aliis personis facultatem det in scaenam prodeundi, sese domum vel alio confert (cf. Helen. v. 385)[2]; nam illis a poeta remotis chorus statim ad priorem locum redit.

Iam disquirentibus nobis, quibus usus rationibus Euripides prohibuerit, ne actio fabulae in complures dies distribueretur, primo loco illud instrumentum commemorandum est, quod ut fabulis Aeschyleis et Sophocleis abest, ita in Euripidis arte tragica plurimum valet: prologum dico[3]. Initio enim fabularum Euripidearum persona quaelibet ab actione

---

[1]) Vide p. 9.

[2]) Cf. Schoenborn l. c. p. 200.

[3]) De prologo planius disserere omisi, quoniam quae de illo erant proferenda hi viri doctissimi accurate explicaverunt:

ipsa plerumque seiuncta longa oratione illas res praeteritas explicat, de quibus quamquam in scaena ipsa coram spectatoribus peragi non poterant, tamen celari non debent spectatores.

Quibus prologis actioni ipsi praepositis Euripides, quippe quem haud fugeret nisi magnis cum pravitatibus fieri non posse, ut res in longissimum spatium temporis dispersae angustis unius diei finibus circumcluderentur, quaecumque res huic diei antecesserunt eas ab actione ipsa plane seiunxit rationem ab Aeschylo et Sophocle adhibitam consulto derelinquens.

Neque tamen quisquam mirabitur Euripidem, praesertim cum non tam enarrandas quam in scaena peragendas res adamaret, interdum — eodem modo atque Sophoclem — res initio fabulae priores actioni ipsi innexuisse.

Itaque primum quidem eos locos consideremus, quibus quas res vel semel vel saepius ante eum diem peractas esse persona *προλογίζουσα* ipsa explicavit, eaedem spectatoribus denuo ante oculos ponuntur.

Prologo enim cognominis fabulae Andromacha ipsa enarrat, quantae contumeliae sibi ab Hermiona afferantur: se veneno adhibito efficere, ut Hermiona ipsa liberis careat et a marito spernatur, neque quicquam aliud spectare nisi ut ipsa quam celerrime domo relegetur, quo securius vivere possit (cf. v. 31—35:

κακοῖς πρὸς αὐτῆς σχετλίοις ἐλαύνομαι.
λέγει γάρ, ὥς νιν φαρμάκοις κεκρυμμένοις
τίθημ' ἄπαιδα καὶ πόσει μισουμένην,
αὐτὴ δὲ ναίειν οἶκον ἀντ' αὐτῆς θέλω
τόνδ' ἐκβαλοῦσα λέκτρα τἀκείνης βίᾳ).

His igitur conviciis illa Andromachae maledixit. Eo magis est mirandum, quod Hermiona ubi primum in scaenam processit, easdem res vel iisdem usa verbis Andromachae denuo

---

de Arnim, de prologorum Euripideorum arte et interpolatione, Gryph. 1882 (diss.) p. 80 sq.
Frantz, de comoediae atticae prologis, Argent. 1891, diss.
Ph. Fabia, les prologues de Térence, Paris 1888 p. 60.
Fr. Leo, Plautin. Forsch. p. 172 sq.
G. Kaibel, Soph. Electra p. 64 sq.

crimini dat, quasi nunquam antea in eam invecta sit (cf. praeter alios versus hos 155—58:

σὺ δ' οὖσα δούλη καὶ δορίκτητος γυνὴ
δόμους κατασχεῖν ἐκβαλοῦσ' ἡμᾶς θέλεις
τούσδε, στυγοῦμαι δ' ἀνδρὶ φαρμάκοισι σοῖς,
νηδὺς δ' ἀκύμων διὰ σέ μοι διόλλυται).

Accedit quod Andromacha, quamquam se Hermionae obstitisse eiusque incusationes quantum quidem possit refutavisse in prologo dixit (cf. v. 36—39:

ἀγὼ τὸ πρόσθεν οὐχ ἑκοῦσ' ἐδεξάμην,
νῦν δ' ἐκλέλοιπα· Ζεὺς τάδ' εἰδείη μέγας,
ὡς οὐχ ἑκοῦσα τῷδ' ἐκοινώθην λέχει.
ἀλλ' οὔ σφε πείθω),

nunc denuo ad singula refellenda aggreditur, cuius rei praeter alia exempla affero haec:

v. 192—93: *εἴπ', ὦ νεᾶνι, τῷ σ' ἐχεγγύῳ λόγῳ*
πεισθεῖσ' ἀπωθῶ γνησίων νυμφευμάτων;
v. 196—98: *ἢ τῷ νέῳ τε καὶ σφριγῶντι σώματι*
πλούτου τε μεγέθει καὶ φίλοις ἐπηρμένη
οἶκον κατασχεῖν τὸν σὸν ἀντὶ σοῦ θέλω;
v. 205—206: *οὐκ ἐξ ἐμῶν σε φαρμάκων στυγεῖ πόσις,*
ἀλλ' εἰ ξυνεῖναι μὴ 'πιτηδεία κυρεῖς.

Sed etiam in Hippolyto nutrix choro se adhuc nihil praetermisisse exponit, quominus quo morbo Phaedra affecta esset perscrutaretur, neque tamen quicquam assecutam esse, id quod e verbis eius elucet his:

v. 271: *οὐκ οἶδ' ἐλέγχους· οὐ γὰρ ἐννέπειν θέλει.*
v. 273: *εἰς ταὐτὸν ἥκεις· πάντα γὰρ σιγᾷ τάδε.*
v. 284: *εἰς πᾶν ἀφῖγμαι κοὐδὲν εἴργασμαι πλέον.*

Tamen se eodem modo atque antea nunc denuo Phaedram precibus adituram esse, ut illa tandem aliquando quo sit vexata morbo edicat (cf. v. 285 sq.). Qua disquisitione primo quidem nihil efficitur nisi ut illa, id quod etiam antea fieri solebat, taceat; itaque nutrix haec exclamat (v. 301—303):

γυναῖκες, ἄλλως τούσδε μοχθοῦμεν πόνους,
ἴσον δ' ἄπεσμεν τῷ πρίν· οὔτε γὰρ τότε
λόγοις ἐτέγγεθ' ἥδε νῦν τ' οὐ πείθεται.

Neque tamen illa quam supra attuli (cf. p. 49) sola causa commotus Euripides hanc rem hoc die denuo peragi facit, sed quo Phaedra adducatur, ut in scaena ipsa causam desiderii illius aperiat.

Sed etiam morborum impetum hoc die repente exorientem spectatoribus proponit ita ut haudquaquam differat ab iis verbis quibus „prologus“ ipse morbum illum iam per longius temporis spatium serpentem descripserat.

Initio enim Orestis fabulae Electra quem ad modum morbus fratris procedat his verbis enarrat (v. 34—36):

ἀγρίᾳ συντακεὶς νόσῳ νοσεῖ
τλήμων Ὀρέστης ὅδε πεσὼν τ' ἐν δεμνίοις
κεῖται . . . e. q. s.

et v. 42—45: χλανιδίων δ' ἔσω
κρυφθείς, ὅταν μὲν σῶμα κουφισθῇ νόσου,
ἔμφρων δακρύει, ποτὲ δὲ δεμνίων ἄπο
πηδᾷ δρομαῖος, πῶλος ὡς ἀπὸ ζυγοῦ.

Quibuscum verbis ille impetus repentinus plane consentit, quo Orestes in scaena ipsa vehementissime affligitur. Ubi primum enim in scaena apparuit, immotus in strato dormit; vix autem e somno experrectus est, cum vehementissimo Furiarum impetu agitatus hominis instar insani de lecto surgit atque quamvis Electra ut eum retineat operam det, tamen totam scaenam percurrit (cf. v. 260 sq.).

In Hippolyto vero tantum abest, ut Euripides in desiderio Phaedrae iam per triduum cibo abstinentis describendo acquiescat, ut morbum illum hoc die denuo exoriri faciat.

Neque minus in fabulis Euripideis quam Sophocleis (cf. p. 22 sq.) fit ut homines eo ipso die de iis rebus colloquantur, quas, si per res scaenicas licuisset, illos iam pridem expedituros fuisse ex actione ipsa coniciendum est.

Quae res his locis confirmatur. Simulatque enim dies advenit quo Admeto moriendum erat, ante omnes patrem et matrem adierat, ut pro se mortem obirent (Alc. v. 15—18):

πάντας δ' ἐλέγξας καὶ διεξελθὼν φίλους,
πατέρα γεραιάν θ' ἥ σφ' ἔτικτε μητέρα,

οὐχ ηὗρε πλὴν γυναικὸς ὅστις ἤθελε
θανεῖν πρὸ κείνου μηδ' ἔτ' εἰσορᾶν φάος.

Ipsi igitur pater et mater id quod ille proposuit respuerunt. Neque vero fieri poterat, ut poeta illos eo ipso tempore produceret inter sese colloquentes, cum filius patri persuadere conaretur, ut pro se mortem obiret, pater filio explicaret, quibus commotus causis preces illas abnueret; nam eae quidem res iam multis diebus ante peractae esse debebant. Itaque Euripides occasionem appetit, qua data illi hoc ipso die de illa re colloquantur vel verbis contendant, praesertim cum certamina illa quam maxime habeat in deliciis. Quae occasio datur, ubi primum Pheres Alcestide mortua filium convenit. Quibus enim verbis Admetum illo tempore patrem adiisse putandum est, iisdem nunc quod pro se mori abnuerit illi opprobrio dat, tamquam cum eo hac de re nunquam collocutus sit; haec enim sunt verba eius (v. 648—50):

καλόν γ' ἂν τόνδ' ἀγῶν' ἠγωνίσω
τοῦ σοῦ πρὸ παιδὸς κατθανών, βραχὺς δέ σοι
πάντως ὁ λοιπὸς ἦν βιώσιμος χρόνος

et (v. 653—57):

καὶ μὴν ὅσ' ἄνδρα χρὴ παθεῖν εὐδαίμονα
πέπονθας· ἥβησας μὲν ἐν τυραννίδι,
παῖς δ' ἦν ἐγώ σοι τῶνδε διάδοχος δόμων,
ὥστ' οὐκ ἄτεκνος κατθανὼν ἄλλοις δόμον
λείψειν ἔμελλες ὀρφανὸν διαρπάσαι.

Quibuscum verbis eae causae conveniunt, quas, ut illum refutet, Pheres affert (v. 681—84):

ἐγὼ δέ σ' οἴκων δεσπότην ἐγεινάμην
κἄθρεψ', ὀφείλω δ' οὐχ ὑπερθνήσκειν σέθεν·
οὐ γὰρ πατρῷον τόνδ' ἐδεξάμην νόμον,
παίδων προθνήσκειν πατέρας, οὐδ' Ἑλληνικόν

et (v. 691—93):

χαίρεις ὁρῶν φῶς· πατέρα δ' οὐ χαίρειν δοκεῖς;
ἦ μὴν πολύν γε τὸν κάτω λογίζομαι
χρόνον, τὸ δὲ ζῆν μικρὸν, ἀλλ' ὅμως γλυκύ.

Atque idem statuendum esse mihi videtur de colloquentibus Apolline et Thanato (cf. v. 12—14, 20—23, 52—76).

Neque in Medea fabula Euripides discedit ab illa ratione. Postquam enim Creon Medeam Corintho decedere iussit, Iaso ipse in scaenam prodit, qui illi viaticum offerat (cf. v. 461). Atque occasione data Medeae se non taedio ipsius commotum alteram duxisse uxorem explicat, sed quo auctoritatem subolis suae augeret. Quibus verbis Medea ipsa quam vehementissime obsistit: se ipsius gratia atrocissima pericula subiisse atque sine ulla dubitatione patrem patriamque dereliquisse, contra ipsum illa beneficia isto modo sibi reddidisse. Sed quis est quin miretur Iasonem quibus commotus causis Creontis filiam in matrimonium duxerit, nunc ipsum uxori explicare, cum nuptiae illae iam diu peractae erant? Quam rem absurdam eo modo tollendam esse Wecklinus censet, ut Iasonem postquam Glaucam uxorem duxerit, Medeam iam non conspexisse statuendum sit[1]).

Contra mihi quidem persuasum est Iasonem ob eam solam rem nunc demum Medeam de causis illis certiorem facere, quod priusquam novum illud matrimonium iniret, cum uxore his de rebus colloqui ei, quae erant res scaenicae Graecorum, non licebat; illud enim temporis momentum ad hos sermones conserendos aptissimum fuit. Quod e verbis Medeae ipsius apparet hisce (v. 586—87):

χρῆν σ', εἴπερ ἦσθα μὴ κακός, πείσαντά με
γαμεῖν γάμον τόνδ', ἀλλὰ μὴ σιγῇ φίλων.

Quod si accidisset, fieri non potuisset quin certamen illud tam proprium Euripidis multo ante initium fabulae exortum esset. Ut autem in scaena ipsa illa de re disceptare possint, Iaso causam quamvis inanem affert hanc, cur Medeam ante nuptias consilii illius consciam facere veritus sit (v. 588—90):

καλῶς γ' ἄν, οἶμαι, τῷδ' ὑπηρέτεις λόγῳ,
εἴ σοι γάμον κατεῖπον, ἥτις οὐδὲ νῦν
τολμᾷς μεθεῖναι καρδίας μέγαν χόλον.

In Electra vero Euripides multo veri similius quam

---

[1]) Euripides Medea, adn. ad v. 466: *„Man muss sich vorstellen, dass Jason das erste Mal, seitdem er den neuen Ehebund geschlossen, Medea wiedersehe“.*

Sophocles (cf. p. 26 sq.) id egit ut controversia illa matris et filiae hoc ipso die exoreretur; nam per omnes dies qui initium fabulae antecedebant seiunctae, non habebant quando inter sese verbis de Agamemnone necato certarent; quod autem Clytaemestra hoc ipso die arcessita est (cf. v. 998), cur altera alteri eo primo die maledicat, facillimum est ad intellegendum.

Quo rettulerim quod in Phoenissis Polynices precibus matris commotus Thebas ipsas intrat, ut cum fratre pacem facere conetur. Neque vero Polynicem eo tempore quo magno cum exercitu Argivorum appropinquaverat, ut regnum suum armis recuperaret, ad preces descendere veri est simile. Quae cum ita sint, Eteocles rectissime haec dicit (v. 515—17):

χρῆν δ' αὐτὸν οὐχ ὅπλοισι τὰς διαλλαγάς,
μῆτερ, ποιεῖσθαι· πᾶν γὰρ ἐξαιρεῖ λόγος,
ὃ καὶ σίδηρος πολεμίων δράσειεν ἄν.

Sed cum fieri non posset ut priore aliquo die in scaenam prodiret, hoc ipso die fratrem adiit, quo non iam verbis, sed armis erat decertandum, idque ut fratres inter sese discordes ipsi spectatoribus ante oculos ponerentur atque Polynices cur fratri irasceretur ipse explicaret.

Neque vero solam actionem fabularum Euripides ita componere studet, ut per se ipsa quo initium ceperit die, eodem ad finem perducatur, sed variis utitur artificiis, quibus efficiatur ut singulae res diversissimae in eundem diem congruant.

Ac primo quidem loco eae commemorandae sunt fabulae, quarum prologo deus aliquis praedicit hoc ipso die finem fore totius actionis, hoc est se, qua sit potestate, omnes res ad actionem necessarias hunc in unum diem esse collaturum.

Quam ob rem non mirandum est, quod Hercules ut Alcestidem ex inferis reducat forte illo die Pheras advenit, quo Alcestis mortua est; nam Apollo ipse vaticinatus erat (v. 65—69):

τοῖος Φέρητος εἶσι πρὸς δόμους ἀνήρ,
Εὐρυσθέως πέμψαντος ἵππειον μέτα
ὄχημα Θρῄκης ἐκ τόπων δυσχειμέρων,

ὅς δὴ ξενωθεὶς τοῖσδ' ἐν Ἀδμήτου δόμοις
βίᾳ γυναῖκα τήνδε σ' ἐξαιρήσεται.

Atque quod in Hippolyto Venus se hoc die adulescentem illum ulturam esse minata erat (v. 21—22), quasi deae iussu omnes res incepto illius faventes, velut reditus Thesei (v. 790) et Hippolyti exsilium, in hunc diem concurrunt.

Sed ut Euripides interdum dis ipsis auctoribus id agit, ut diversissimae res in unum diem congruant, ita alibi causam afferre plane omittit, cur singulae res quas alio die peragi non minus par erat in hunc diem convenerint.

In Medea enim Aegeus forte illo die Delphis reversus Corinthum advenit, quo uno Medeae illic remanere licet. Quam rem Aristoteles vituperat rectissime (A. P. 1461 b 20: *ὀρθὴ δ' ἐπιτίμησις . . . ., ὅταν μὴ ἀνάγκης οὔσης μηθὲν χρήσηται τῷ ἀλόγῳ, ὥσπερ Εὐριπίδης τῷ Αἰγεῖ*)[1].

Neque intellegimus, cur Hercules ipso eo die ex inferis domum redeat, quo Lycus Amphitryonem et Megaram et liberos interficere sibi proposuit.

Quocum consentit quod in Helena Teucer et Menelaus, postquam in mari erraverunt, eodem die in Aegyptum conveniunt, hic Troia capta in patriam reversurus, ille domo a patre expulsus[2]).

Neque minus mirum est quod in Oreste fabula sexto die post Clytaemestram interfectam (cf. v. 39) et Tyndareus Sparta et Menelaus Troia Argos conveniunt.

Cuius rei novitatem Euripides nonnunquam comminuere studuit. Ne enim forte accideret, ut in Andromacha Peleus

---

[1]) Cf. Wecklinum, Eur. Med. p. 15. — Wilamowitz, Griech. Tragödien III p. 185 (prooem. Med.): *„Es ist diese Szene, die Aristot. getadelt hat, und ohne Frage schneit der Retter auf Kommando des Dichters zu plötzlich auf die Bühne. Wir müssen es sogar hinnehmen, dass die Landstrasse von Delphi nach Trozen an dem Königsschlosse Korinths vorüberführt“.*

[2]) Quae res Hartungio adeo non veri similis videbatur esse, ut diceret (Euripides' Helene, griech. mit metr. Übersetz., p. 9): *„Zwischen dem Auftreten des Teukros und der Ankunft des Menelaos müssen wir uns eine geraume Zeit verstrichen denken, wenn auch immerhin die Abwesenheit des Königs auf der Jagd beide Zeiten auf den Raum eines Tages zusammenzuziehen scheint“.*

tunc ipsum, cum Menelaus Andromacham ad mortem abduci iussit, Delphis domum rediret, illa hoc die denuo famulam Delphos misit, quae quo essent in periculo illi explicaret (cf. v. 83).

Neque Orestes hoc die casu Pthiam advenit, quo Hermionam iniuriae Andromachae factae paenitet; sed cum omnes res Pthiae gestas habeat compertas, nunc ipsum se huc pervenisse dicit, ut illam se sequi iuberet (v. 959—63):

ἐγὼ γὰρ εἰδὼς τῶνδε σύγχυσιν δόμων
ἔριν τε τὴν σὴν καὶ γυναικὸς Ἕκτορος,
φυλακὰς ἔχων ἔμιμνον, εἴτ' αὐτοῦ μενεῖς
εἴτ' ἐκφοβηθεῖσ' αἰχμαλωτίδος φόβῳ
γυναικὸς οἴκων τῶνδ' ἀπηλλάχθαι θέλεις.

Neque silentio transierim Euripidem aeque atque Aeschylum et Sophoclem spatiis et locorum et temporum plane neglectis in unum diem res comprimere, quae si re vera gestae essent, complures dies obtinuissent.

Cuius rei gravissimum exemplum praebet Supplicum fabula, in qua, dum chorus stasimum cantat, bellum totum contra Thebas geritur (cf. v. 598—634)[1].

Quam rem non magni esse momenti ad hanc quaestionem disceptandam apertum est; nam talibus artificiis omnibus temporibus etiam ii poetae usi sunt, qui legem illam Aristotelicam omnino neglexerunt[2].

Quantopere autem eae res quae fabula ipsa aguntur a vere gestis differant, uno quidem loco e verbis poetae ipsius

---

[1]) Cf. Schlegel l. c. II p. 26.

Welcker, Die griech. Tragödien mit Rücksicht auf den epischen Zyklus geordnet II p. 574.

Wilamowitz, Griechische Tragödien III p. 95: *„Ein grosses Chorlied repräsentiert immer eine beliebig lange Zeit . . ., wir sollen nur nicht nachrechnen“.*

[2]) Quae res Verrallio (Essays on four plays of Eur., Cambridge 1905, p. 15) tam absurda esse videbatur, ut, quod in Andromacha fabula Orestes hoc ipso die forte Pthiam adveniret quo Neoptolemum Delphis trucidatum esse huc renuntiaretur, praelusionem ab Euripide fabulae ipsi praepositam fuisse censeret, in qua postquam Neoptolemus cum Oreste de Hermiona

elucet. Nuntius enim qui in Phoenissis Iocastam de rebus ad portas urbis gestis certiorem reddit, praeter alia haec facit verba (v. 1196—98):

> πύργων μὲν οὖν γῆς ἔσχομεν κατασκαφὰς
> εἰς τὴν παροῦσαν ἡμέραν· εἰ δ' εὐτυχὴς
> ἔσται τὸ λοιπὸν ἥδε γῆ, θεοῖς μέλει.

Quibus verbis *εἰς τὴν παροῦσαν ἡμέραν* apparet bellum illud non hoc ipso die sed compluribus diebus ante cum hostibus geri coeptum esse; atque id quidem cum veritate rerum solum convenit, neque enim nuntius habebat cur facta aliter enarraret atque re vera erant peracta, praesertim cum facta enarrata non aeque atque in scaena peracta legi illi essent subiecta. Praeterea autem, si res ipsas respicimus, qui fieri potuit, ut quo die Argivorum exercitus advenisset, totum illud bellum gereretur?[1])

Iam pervenimus ad eam rem disquirendam, utrum Euripidem etiam aliis locis unius diei observandi causa res aliter composuisse demonstrari possit atque eos poetas aut scriptores legi illi non obsecutos, ex quibus argumenta fabularum hausit, necne. Atqui plurima illorum carminum aetatem non tulisse quam maxime est dolendum; tamen e nonnullis quidem exemplis usus Euripideus apparebit.

In Cyclope enim componenda Euripides quamquam ceteris in rebus Odysseae librum nonum sequitur, tamen, si temporum rationes respicimus, vestigia Homeri relinquit. Cum enim in carmine epico Ulixes per triduum apud Polyphemum ver-

---

decertans hunc vicerit, Orestes et Menelaus consiliis communicatis Neoptolemum necavissent. Neoptolemum igitur initio fabulae ipsius iam compluribus diebus ante mortuum esse Verrallius putat non alia adductus causa, nisi quo veri similius nuntius ille hoc ipso die Pthiam afferatur. At praeterquam quod talis praelusio analogia omnino caret, iis quae supra attuli argumentis causae sententiae illius vanae fiunt, cum poetae tragici unius diei observandi causa spatia et temporum et locorum neglegant (cf. Nestle, Wochenschr. f. kl. Ph. 1906 Nr. 23).

[1]) Quae res ne Valckenarium quidem fugisse videtur, quippe qui versum 1197 sic vertat:

„*Servare turres hactenus nobis datum*".

setur (cf. Od. ι 307, 336, 404, 436 sq.), poeta tragicus easdem fere res in unum diem cogit. Itaque postquam chorus Satyrorum pecora ad specum reduxit, id quod vesperi fieri solet (cf. ι 336), non ut apud Homerum noctem oriri sed usque ad finem fabulae eundem diem retineri facile est ad intellegendum. Quin etiam Polyphemus multo post illos ad specum reversus haec quaerit (v. 214):

ἄριστόν ἐστιν εὖ παρεσκευασμένον;

Neve mirum videatur quod in Helena Teucer eodem die atque Menelaus, qui iam septem annos ventis in mari iactatus erat (cf. v. 776), in Aegyptum perveniat et ipse Helenae quot anni inde a Troia capta praeterierint quaerenti haec respondet (v. 112): ἑπτὰ σχεδόν τι καρπίμους ἐτῶν κύκλους.

Quibus verbis elucet Teucrum septem annis post quam Troia capta erat a patre domo expulsum esse; nam sine mora huc confugerat, ut ex Theonoa quaereret, quo itinere Cyprum perveniret. Itaque etiam hoc loco Euripides unius diei observandi gratia res commutavit, nam Telamonem filium sine fratre reversum ne recepisse quidem sed statim expulisse ab omnibus fere traditum est.

Quoniam demonstravisse mihi videor, quibus artificiis Euripides effecerit, ut actionem fabularum intra unius diei spatium contineret, iam disquirendum est, qua ratione adhibita eo pervenerit, ut tota fabula eodem loco ageretur; nam locum in omnibus fabulis eundem retineri neque usquam mutari potissimum propterea pro certo est habendum, quod illo loco excepto (Hel. 385) chorus nunquam de scaena decedit[1]).

Ac primum quidem disserere mihi propositum est, quibus usus artificiis Euripides quas res intra aedes peragi par erat, eas ante aedes perfici fecerit, cum interiorem domum spectatoribus ante oculos ponere rebus scaenicis prohiberetur[2]).

At cum tota fere fabula eo loco gereretur, quem quae primas agunt partes personae obtinent, Euripidi ante omnia id

[1]) Cf. infra.
[2]) Cf. p. 12.

spectandum erat, ut illae qualibet de causa initio fabulae ipso in scaenam prodirent atque alias personas domum intrare quasi prohiberent.

Cum enim in Hecuba fabula regina illa quippe quae omnibus rebus agendis interesse deberet, nihil haberet causae cur de tecto prodiret, fieri non potuisset quin omnes res intra tentorium Agamemnonis agerentur, nisi Euripides somnium illud finxisset, quo commota illa initio fabulae in scaenam procederet haec exclamans (v. 59—61):

ἄγετ', ὦ παῖδες, τὴν γραῦν πρὸ δόμων,
ἄγετ' ὀρθοῦσαι τὴν ὁμόδουλον,
Τρῳάδες, ὑμῖν, πρόσθε δ' ἄνασσαν·

atque v. 68—70:

ὦ στεροπὰ Διός, ὦ σκοτία νύξ,
τί ποτ' αἴρομαι ἔννυχος οὕτω
δείμασι φάσμασιν;

Ob eandem causam Andromacha ad templum Thetidis regiae proximum confugit haec dicens (v. 41—44):

καὶ νῦν κατ' οἴκους ἔστ' (sc. *Μενέλεως*) *ἀπὸ Σπάρτης μολὼν*
ἐπ' αὐτὸ τοῦτο· δειματουμένη δ' ἐγὼ
δόμων πάροικον Θέτιδος εἰς ἀνάκτορον
θάσσω τόδ' ἐλθοῦσ', ἤν με κωλύσῃ θανεῖν,

qua ratione efficeretur, ut quaecumque personae cum illa collocuturae essent, vel ex regia huc prodirent vel, si aliunde advenissent, ab ea intrare prohiberentur.

Neque alia de causa in Troadibus, cum feminae captivae intra tentorium regium versarentur, sola Hecuba ad portam ipsam procubuit, id quod ex his verbis apparet (v. 32—34):

ὅσαι δ' ἄκληροι Τρῳάδων ὑπὸ στέγαις
ταῖσδ' εἰσὶ τοῖς πρώτοισιν ἐξῃρημέναι
στρατοῦ . . .

et v. 36—38:

τὴν δ' ἀθλίαν τήνδ' εἴ τις εἰσορᾶν θέλει,
πάρεστιν Ἑκάβη κειμένη πυλῶν πάρος
δάκρυα χέουσα πολλὰ καὶ πολλῶν ὕπερ.

Nisi enim Hecuba ab initio in scaena adfuisset, intra fabulam ipsam cur de tentorio exiret non habuisset.

Quae res multo magis quam iis quos attuli locis comprobatur Helena et Oreste fabulis.

Initio enim illius fabulae Helenam in Protei sepulcro sub ipsa regia posito sedentem conspicimus, id quod Helena ipsa his verbis explicat (v. 63—65):

τὸν πάλαι δ' ἐμὸν πόσιν
τιμῶσα Πρωτέως μνῆμα προσπίτνω τόδε
ἱκέτις, ἵν' ἀνδρὶ τἀμὰ διασώσῃ λέχη.

Quo quod Helena confugit, tota fabula illo solo loco agitur; nam Theoclymenus Helenae quaerendae causa non domum intrat, sed ad sepulcrum ipsum consistit, quem locum illam tenere haud ignoret (cf. v. 1177—79):

ἀλλ', ὡς ἔοικε, πάντα διαπεπραγμένα
ηὕρηκα· τύμβον γὰρ κενὰς λιποῦσ' ἕδρας
ἡ Τυνδαρὶς παῖς ἐκπεπόρθμευται χθονός.

Neque postquam ex Theonoa quid de Menelao sciret quaesivit, Helena domi remanet, sed sine mora in scaenam redit (v. 528-29):

ἥδ' αὖ τάφου τοῦδ' εἰς ἕδρας ἐγὼ πάλιν
στείχω μαθοῦσα Θεονόης φίλους λόγους

At si saltem in Oreste fabula fieri non posse putaveris, quin Orestes a Furiis exercitus atque corpore defesso in lecto prostratus intra regiam ipsam ageret, quam maxime erraveris; quod qui sit effectum, e verbis his Helenae elucet (v. 46—48):

ἔδοξε δ' Ἄργει τῷδε μήθ' ἡμᾶς στέγαις
μὴ πυρὶ δέχεσθαι μήτε προσφωνεῖν τινα
μητροκτονοῦντας.

Quae cum ita sint, non est mirandum quod omnes res quibus illi intersunt ante regiam aguntur[1]).

Qua ab ratione non abhorret Ionis fabula (cf. v. 82 sq.) et Medeae, in qua nutrix paedagogo cur ante ostium astet interroganti haec respondet (v. 56—58)[2]):

---

[1]) Quam causam nisi quo veri similius illi ad regiam agere possent, fictam non esse iam inde cognoscitur, quod intra fabulam ipsam illa haudquaquam sibi constat; Electra enim Oresti domum intrare iubenti obsequi non dubitat (cf. v. 301 sq.).

[2]) Cf. G. Kaibel, Sophocl. Electr., adn. ad v. 424: *Diese Stelle parodiert der Koch bei Philemon* (Athen. VII 288): *„ich will Himmel und Erde jubelnd*

ἐγὼ γὰρ εἰς τοῦτ' ἐκβέβηκ' ἀλγηδόνος,
ὥσθ' ἵμερός μ' ὑπῆλθε γῇ τε κοὐρανῷ
λέξαι μολούσῃ δεῦρο Μηδείας τύχας.

Quae cum ita sint, personae ad alias res peragendas in scaenam progressae hic illic facere non possunt quin illas quae ab initio ipso scaenam tenent, plane neglegant, velut Hippolytus Phaedram in lecto iacentem (Hipp. v. 601 sq.), Neptunus et Minerva Hecubam humi prostratam (Troad. v. 1 sq.)[1], Menelaus Orestem dormientem (Orest. v. 375 sq.).

Illa ratione Euripides assequitur, ut tota fabula ante aedes agatur; sed intra fabulam ipsam haud raro fit ut cum aliis personis in aedibus ipsis versantibus quaelibet res peragenda sit. Itaque videamus primo quidem loco, quem ad modum Euripides, si quae personae illas visendi causa adeunt, has impediat ne domum ipsam introeant.

In Alcestide enim Hercules, priusquam domum Admeti intret, chorum ubinam ille versetur, interrogat his verbis (v. 476—77):

ξένοι, Φεραίας τῆσδε κωμῆται χθονός,
Ἄδμητον ἐν δόμοισιν ἆρα κιγχάνω;

Sed tantum abest ut illa re cognita introeat, ut choro interroganti explanet, quod iter facturus sit. Qua re confecta Admetus ipse casu foras exit (cf. v. 507—508):

καὶ μὴν ὅδ' αὐτὸς τῆσδε κοίρανος χθονὸς
Ἄδμητος ἔξω δωμάτων πορεύεται.

Qui quod ipsius maxime interesse debebat, ex Hercule quaerere plane omittit, qua de causa Pheras ipsas pervenerit; nam ea quidem de re spectatores iam per Herculem ipsum certiores erant facti. Solent enim personae non ad eos quos visuri sunt homines intrare, sed choro vel iis personis quas forte foris conveniunt exponere, quo modo huc pervenerint et quid sibi velint, donec illi ipsi prodeant.

---

verkünden τοὔψον ὡς ἐσκεύασα". Quem locum Ennius vertit (Ribb. Trag. Rom. frgm.[2] p. 51). Similes locos Klotzius ad versum 56 adnotat.

[1]) Deos *προλογίζοντας* non de theologeo, sed eodem loco atque homines agere pro certo habeo (cf. Wilamowitz, Eur. Herakl.[2] I p. 149).

Quae ratio paulatim tam trita fuit, ut poetae tragici ea uti non dubitarent, etiamsi personae quaesitae in scaena ipsa versarentur. Quamquam enim in Heraclidis Iolaus in scaena remansit, tamen armiger Hylli ubi primum advenit chorum haec interrogat (v. 630—31):

ὦ τέκνα, χαίρετ᾽· Ἰόλεως δὲ ποῦ γέρων
μήτηρ τε πατρὸς τῆσδ᾽ ἕδρας ἀποστατεῖ;

Quibus verbis quamvis praeter Iolaum Alcmenam requisiverit, hac plane neglecta illi, quippe qui forte scaenam teneat, soli exponere incipit, cur huc pervenerit. Ut autem et ipsa nuntium ab armigero Hylli allatum audiat, fieri non potest quin Iolaus ipse illam his verbis evocet (v. 642—43)[1]:

ὦ μῆτερ ἐσθλοῦ παιδός, Ἀλκμήνην λέγω,
ἔξελθ᾽, ἄκουσον τούσδε φιλτάτους λόγους.

Neque in Phoenissis Polynices domum ipsam in qua matrem inesse sciebat introit, sed postquam chorum quis ipse esset certiorem fecit, intrare moratur, donec chorus Iocastam evocet (v. 296). Ut autem suo iure in scaena remanere videatur, supplicis instar in ara ad regiam posita considit (v. 272—75):

πέποιθα μέντοι μητρὶ κοὐ πέποιθ᾽ ἅμα,
ἥτις μ᾽ ἔπεισε δεῦρ᾽ ὑπόσπονδον μολεῖν.
ἀλλ᾽ ἐγγὺς ἀλκή· βώμιοι γὰρ ἐσχάραι
πέλας πάρεισι.

Neque alio modo Euripides impedit quominus in Hecuba famula de ora maritima cum Polydori corpore reversa (v. 657) et in Iphigenia Taurica nuntius ille Thoanti Graecos effugisse relaturus (v. 1284) domum introeant.

Nonnunquam autem personae advenientes chorum vix allocutae sunt, cum illi quos quaesiverunt ipsi domo prodeunt.

In Hippolyto enim, dum nuntius chorum hoc solum interrogat (v. 1153—54):

ποῖ γῆς ἄνακτα τῆσδε Θησέα μολὼν
εὕροιμ᾽ ἄν, ὦ γυναῖκες;

rex ipse apparet (cf. v. 1156):

ὅδ᾽ αὐτὸς ἔξω δωμάτων πορεύεται.

---

[1]) Eadem ratio etiam a Sophocle adhibetur Antig. 1155 et 1183 (cf. p. 41).

Atque in Iphigenia Taurica Thoanti quaerenti (v. 1153—54):

ποῦ 'σθ' ἡ πυλωρὸς τῶνδε δωμάτων γυνὴ
Ἑλληνίς;

chorus respondet (v. 1156):

ἥδ' ἐστίν, ἥ σοι πάντ', ἄναξ, ἐρεῖ σαφῶς.

Restat ut de iis locis verba faciam, quibus personae advenientes choro omnino neglecto ipsae ad domum consistunt hominesque qui insunt evocant.

In Phoenissis enim nuntius, postquam ad regiam Iocastae pervenit, exclamat (v. 1067—68):

ὠή, τίς ἐν πύλαισι δωμάτων κυρεῖ;
ἀνοίγετ', ἐκπορεύετ' Ἰοκάστην δόμων.

Neque diu moratur, cum Iocasta clamore illo audito ipsa de regia procedit his verbis (v. 1072—74):

ὦ φίλτατ', ἦ που ξυμφορὰν ἥκεις φέρων
Ἐτεοκλέους θανόντος, οὗ παρ' ἀσπίδα
βέβηκας ἀεὶ πολεμίων εἴργων βέλη;

Similiter in Iphigenia Aulidensi senex ille cui Menelaus epistulam erepturus est Agamemnonem his verbis evocat (v. 314—16):

ὦ δέσποτ', ἀδικούμεσθα. σὰς δ' ἐπιστολὰς
ἐξαρπάσας ὅδ' ἐκ χερῶν ἐμῶν βίᾳ,
Ἀγάμεμνον, οὐδὲν τῇ δίκῃ χρῆσθαι θέλει.

Quibus verbis auditis rex ipse domo progreditur (v. 317) quaerens:

τίς ποτ' ἐν πύλαισι θόρυβος καὶ λόγων ἀκοσμία;

Quae ratio etiam in his fabulis adhibetur: Troad. v. 880 sq., Electr. v. 487 sq. et 547 sq., Bacch. v. 170 sq., Iph. Aul. v. 801 sq.

Atque hanc quidem rationem, quippe quam a poetis tragicis praeter Euripidem adhibitam non inveniamus, recentiorem esse quam illa quae id spectat, ut priusquam personae advenientes homines quaesitos conveniant, chorum adeant, iam per se veri est simile. Neque enim primo quidem fieri poterat ut illae chorum in scaena praesentem plane praetermitterent

seque statim ad ipsos homines domum tenentes converterent, praesertim cum in antiquioribus tragoediis chorus multo maioris esset momenti quam in recentioribus. At postquam chorus ea qua ante fuerat vi paulatim privatus est, haudquaquam mirum esse potest, quod personae advenientes illo omnino neglecto homines intra aedes versantes ipsae evocant[1]).

Atque quin personae ad quaslibet res peragendas domum ipsam introeant, etiam eo prohibetur, quod homines quos illae aditurae sunt iam antea ipsi in scaenam prodierunt.

Postquam enim inde a versu 315 Orestis fabulae Electra domi remansit, ut animum corpusque somno recrearet (cf. v. 301 sq.), non multo post abitum fratris in scaenam reversa chorum quo ille se contulerit interrogat (v. 844). Cur autem tunc ipsum domo processerit Electra, compluribus versibus post apertum fit: obviam enim venit nuntio illi, qui quid Argivi de Oreste decrevissent, ipsi referret (v. 857—58) his verbis:

ψήφῳ Πελασγῶν σὸν κασίγνητον θανεῖν
καί σ', ὦ τάλαιν', ἔδοξε τῇδ' ἐν ἡμέρᾳ.

Nisi enim hoc modo nuntium foris retinuisset, fieri non potuisset quin ille domum pergeret.

Atque etiam in Iphigenia Aulidensi Clytaemestra postquam colloquio cum Achille finito introiit, in scaenam revertitur, cum hanc simulet causam (v. 1098—99):

ἐξῆλθον οἴκων προσκοπουμένη πόσιν,
χρόνιον ἀπόντα κἀκλελοιπότα στέγας.

et v. 1103—1104:

μνήμην δ' ἄρ' εἶχον πλησίον βεβηκότος
Ἀγαμέμνονος τοῦδ' . . .

---

[1]) Quocum convenit, quod ea quidem ratio in iis fabulis solis adhibita invenitur, quae post annum quadringentesimum tricesimum compositae sunt, quo fere tempore scaenam super orchestram elatam esse veri simile est.
Cf. Christ, N. Jahrb. f. Philol. 149 p. 160 sq.
„ Sitzber. Münch. Akad. 1894 p. 47.
E. Bethe l. c. p. 208 sq.
Quae cum ita sint, e rebus scaenicis ipsis cognoscitur, cur poeta paulatim a ratione illa antiquiore discesserit. Cum enim personae illae chorum non iam ante ianuam ipsam convenirent, non habebant cur eum in orchestra saltantem alloquerentur.

Atque vix domo progressa est, cum id quod desideraverat, Agamemno ipse redux fit. Neque vero cuiquam dubium erit quin illa revera prodierit, ut maritum a consilio illo impio coram spectatoribus avocare studeret. Quam ad rem se impedimento illo scaenico coactum confugisse Euripides occultare conatur verbis, quibus Agamemno uxorem alloquitur (v. 1106-08):

Λήδας γένεθλον, ἐν καλῷ σ' ἔξω δόμων
ηὕρηχ', ἵν' εἴπω παρθένου χωρὶς λόγους
οὓς οὐκ ἀκούειν τὰς γαμουμένας πρέπει.

Sed num revera talem cum uxore confert sermonem, cui interesse Iphigeniam dedeceret? Minime vero! Nam filiam sibi tradere iubet Clytaemestram, cum qua ante nuptias sacra dis debita faciat (cf. v. 1110—14). Quae verba Agamemnonem non facere apparet, nisi ut personarum verbis ipsis comprobetur locum ad res peragendas magis idoneum hoc ipso non exstare, quamquam poeta rebus scaenicis coactus ad illum pro altero confugit.

Neque raro evenire apertum est, ut personae iis rebus ad quas peragendas in scaenam prodierant perfectis alio decedere cogantur. Sed cum paulo post altera persona eas aditura sit, qualibet de causa in scaena remanent, ne qua introeundi facultas illi detur.

In Alcestide enim crederes fore ut Admetus a funere uxoris reversus sine mora domum ipsam appeteret, ubi animum totum dolori dederet. Sed tantus est luctus eius, ut quamvis chorus illum hortetur (cf. v. 872: *πρόβα πρόβα· βᾶθι κεῦθος οἴκων*), limen regiae regina orbatae transgredi vereatur exclamans (v. 941):

πῶς γὰρ δόμων τῶνδ' εἰσόδους ἀνέξομαι[1];

Quam rem Euripides ingeniosissime ad res scaenicas aptat; nam ea quidem ratione efficitur, ut Hercules ubi primum cum Alcestide ex inferis reducta reverterit, illum in scaena ipsa conveniat.

Neque in Hecuba famulae matrem quae filia ad mortem abducta quasi exanimata procubuerat, id quod decuit, domum

[1]) Cf. Wilamowitz, Griechische Tragödien III p. 91.

auferunt, ut Talthybius illam in scaena ipsa inveniat (cf. v. 484 sq.).

Ob eandem causam in Andromacha Hermiona in scaena remanet, quamquam nutrix eam his verbis intrare domum iubet (v. 876—77):

ἀλλ' εἴσιθ' εἴσω μηδὲ φαντάζου δόμων
πάροιθε τῶνδε, μή τιν' αἰσχύνην λάβῃς,

nam brevi post Orestes eius visendae causa advenit.

Neve locus commutetur, in Heraclidis Iolaus, quamvis Demophon ipsum hortetur (cf. v. 343 sq.), se non prius ab ara abiturum esse dicit, quam res bene cesserint; vel ut ipse dicit (v. 344—47):

οὐκ ἂν λίποιμι βωμόν, εὐξόμεσθα δὲ
ἱκέται μένοντες ἐνθάδ' εὖ πρᾶξαι πόλιν·
ὅταν δ' ἀγῶνος τοῦδ' ἀπαλλαχθῇ καλῶς,
ἴμεν πρὸς οἴκους.

Si enim Demophontem secutus esset, fieri non potuisset ut ille nonnullis versibus post (v. 389 sq.) exercitum Argivorum appropinquare hunc in locum renuntiaret.

Neque solum personae si quas homines aliunde advenientes visunt, domo eliciuntur, sed etiam si quid ipsae acturae sunt, domo relicta in scaenam procedunt, ubi spectatoribus eae res ante oculos ponantur, quae si interior domus repraesentari potuisset, in doma ipsa peractae essent.

In Hippolyto enim nutrix ut Phaedram domo emoveret hac causa se commotam esse dicit (v. 181):

δεῦρο γὰρ ἐλθεῖν πᾶν ἔπος ἦν σοι.

Revera autem cum illa prodiit, ut Phaedra quibus doloribus animi cruciata esset spectatoribus ostenderet atque nutrici hoc loco aperiret, quo vero dolore affecta esset.

Neque aliam ingressus viam Euripides eo pervenit, ut Helenam in Oreste fabula produceret; neque enim fieri poterat quin illa saltem semel in scaena appareret. At cum poeta — id quod ad rem aptissimum fuit — interiorem partem regiae repraesentare non posset, aliqua causa erat fingenda, cur Helena domo prodiret: ab Electra enim petit, ut pro se ipsa sepulcrum

adeat (cf. v. 94), quod ipsam Argivis se ostendere pudeat. Cui rei quantulum tribuat, vel inde cognoscitur quod consilium Electrae Hermionam filiam ad sepulcrum mitti iubentis probare non dubitat (cf. v. 110:

καλῶς ἔλεξας, πείθομαί τέ σοι, κόρη).

Quae ratio num erat tam nova aut singularis, cuius Helenae ipsi in mentem venire non posset? Minime vero! Sed hoc quidem modo Euripides, id quod spectaverat, effecit, ut Helena in scaena ipsa sacra Clytaemestrae facienda pararet (cf. v. 128 sq.) atque filiam edoceret, quibus precibus illi supplicaret. Quod simulatque perfecit, in regiam revertitur.

Neque alia de causa initio Iphigeniae Aulidensis Agamemno cum sene de tentorio procedit, quem cum litteris ad uxorem Argos mittat (cf. v. 12 sq.), aut in Electra advenae cum illa ante tectum sermones conserunt, quamquam maritus illius iam antea haec dixerat (v. 357—59):

οὔκουν πάλαι χρῆν τοῖσδ' ἀνεπτύχθαι πύλας;
χωρεῖτ' ἐς οἴκους· ἀντὶ γὰρ χρηστῶν λόγων
ξενίων κυρήσεθ', οἷ' ἐμὸς κεύθει δόμος.

Quod interiorem domum spectatoribus ostendere per res scaenicas non licebat, Euripides etiam alia ratione compensare studet.

Ut enim exemplum secutus Sophoclis[1]) ea quae iam antea peracta esse constat, intra fabulam ipsam denuo producit, ita unus ex poetis tragicis quas res in domo ipsa peragi coeptas esse vel verbis nuntiorum vel clamore audito spectatores acceperunt, eas in scaena ipsa ad finem perduci facit. Neque multum interest inter hanc rationem atque illam qua iam Aeschylus et Sophocles usi sunt; quorum in tragoediis homines quos aliquid facinoris intra domum commisisse spectatores iam compertum habent, ipsi in scaenam prodire solent, ut aut cum personis forte in scaena agentibus de facto illo sermones conserant[2]) aut foribus patefactis locum illum quo egerint spectatoribus monstrent.

---

[1]) Cf. p. 22 sq.

[2]) Velut Oedipus rex, qui oculis perfossis domo exit (cf. p. 35).

In Alcestide enim servus domo egressus quem ad modum Hercules intra regiam se gesserit explicat his verbis (v. 756-63):

ποτῆρα δ' ἐν χείρεσσι κίσσινον λαβὼν
πίνει μελαίνης μητρὸς εὔζωρον μέθυ,
ἕως ἐθέρμην' αὐτὸν ἀμφιβᾶσα φλὸξ
οἴνου· στέφει δὲ κρᾶτα μυρσίνης κλάδοις
ἄμουσ' ὑλακτῶν· δισσὰ δ' ἦν μέλη κλύειν·
ὃ μὲν γὰρ ᾖδε . . .
. . . οἰχέται δ' ἐκλαίομεν
δέσποιναν.

Sed tantum abest ut Euripides illis in rebus enarrandis acquiescat — atque praecipue hac in tragoedia quam fabulae satyricae loco docuerit —, ut Hercules ipse nulla causa allata in scaenam progressus hoc loco id illustret, quod famulus antea de ipso nuntiaverat[1]; monet enim servum tristem, ut curis vino pulsis diem carpat, quippe qui quid sit futurum cras nesciat (cf. v. 773—80)[2].

Neque alio modo Euripides in Cyclope, quae Alcestidis simillima est fabula, Polyphemum vino ebrium spectatoribus ostendit. Chorus enim iam per Ulixem certior erat factus, qualem se praebuisset Cyclops vino gravis; qui haec renuntiaverat (v. 420—26):

ἡσθέντα δ' αὐτὸν ὡς ἐπῃσθόμην ἐγώ,
ἄλλην ἔδωκα κύλικα γιγνώσκων ὅτι
τρώσει νιν οἶνος καὶ δίκην δώσει τάχα.
καὶ δὴ πρὸς ᾠδὰς εἷρπ', ἐγὼ δ' ἐπεγχέων
ἄλλην ἐπ' ἄλλῃ σπλάγχν' ἐθέρμαινον ποτῷ.
ᾄδει δὲ παρὰ κλαίουσι συνναύταις ἐμοῖς
ἄμουσ', ἐπήχει δ' ἄντρον[3]).

Sed quo risum spectantium moveret, Euripides facere non

[1]) Quo modo quod Hercules Alcestidem esse mortuam denique in scaena ipsa comperit, ad hanc quidem quaestionem nihil attinet.

[2]) Cf. Wilamowitz, Griech. Trag. III p. 95: *„Es ist so gut, als spielte die Trinkszene in dem Gastzimmer"*.

[3]) Qui versus (425—26) paene verbo tenus congruunt cum Alcest. v. 760—62:

ἄμουσ' ὑλακτῶν . . .
ὃ μὲν γὰρ ᾖδε . . . οἰκέται δ' ἐκλαίομεν.

potuit quin Polyphemum ipsum in scaena bibentem atque canentem faceret.

Itaque Cyclops ipse e specu progreditur hanc afferens causam (v. 507—509):

> *ὑπάγει μ' ὁ χόρτος εὔφρων*
> *ἐπὶ κῶμον ἦρος ὥραις,*
> *ἐπὶ Κύκλωπας ἀδελφούς.*

Quod si perfecisset, scaena mutanda fuisset; itaque Ulixes Silenusque nihil praetermittunt quin illi persuadeant ut ante specum remaneat, haec dicentes:

> *τί γὰρ δεῖ συμποτῶν ἄλλων, Κύκλωψ;* (v. 540) vel
> *καὶ πρός γε θάλπος ἡλίου πίνειν καλόν* (v. 542).

Quibus verbis ille denique commovetur, ut hoc loco cum iis potet cantetque.

Atque ut spectatores oculis cernerent, quam indigne ferret Hippolytus, quod in regia nutrix Phaedram amore ipsius ardere sibi professa esset, hoc modo poeta effecit.

Vix enim illa domum intravit, cum Phaedra quibus verbis iratis Hippolytus in eam invehatur foris audit et cum choro communicat (cf. v. 581—82):

> *ὁ τῆς φιλίππου παῖς Ἀμαζόνος βοᾷ*
> *Ἱππόλυτος, αὐδῶν δεινὰ πρόσπολον κακά*

et v. 589—90:

> *καὶ μὴν σαφῶς γε τὴν κακῶν προμνήστριαν,*
> *τὴν δεσπότου προδοῦσαν ἐξαυδᾷ λέχος.*

Brevi post autem ipsi in scaenam prodeunt Hippolyto haec exclamante verba (v. 601—602):

> *ὦ γαῖα μῆτερ ἡλίου τ' ἀναπτυχαί,*
> *οἵων λόγων ἄρρητον εἰσήκουσ' ὄπα,*

ubi quos intra regiam conserere coeperint sermones, ad finem perducant.

Atque in Andromacha quamquam spectatores fando audiverunt Hermionam, quam iniuriae Andromachae allatae paeniteret, id agere, ut mortem sibi consciseret (cf. v. 802—19), tamen

sine ulla causa ipsa in scaenam prodit et hoc loco eodem modo se gerit quo antea in regia ipsa (cf. v. 814 sq. et 836 sq.).

Neque alia de causa nisi quo manifestiores res intra domum peractae spectatoribus fiant, Alcestis postquam in regia ipsa servos et reliqua quae sibi cordi essent valere iussit (v. 158 sq.), in scaenam progreditur, quo loco priusquam discedat marito atque liberis valere dicat (v. 244 sq.).

Quam rationem adhibitam invenimus etiam in Hecuba, in qua Polymestor oculis privatus foras procedit (v. 1035 sq.) et in Electra (v. 1177).

At quibus usus artificiis quod inopia et egestate rerum scaenicarum interiorem quidem domum ante oculos spectatoribus ponere prohibitus erat compensare studuit, iisdem fere id egit Euripides, ut eae res quae alio quodam loco peragendae erant in hunc locum transferrentur.

In Ione enim Creusa a filio domo hospitis quo confugerat expulsa in scaenam procurrit exclamans (v. 1253—54):

ποῖ φύγω δῆτ'; ἐκ γὰρ οἴκων προὔλαβον μόγις πόδα
μὴ θανεῖν· κλοπῇ δ' ἀφῖγμαι διαφυγοῦσα πολεμίους.

Quibus verbis elucet Creusam ipsam quo se vertat nescire. Sed cum fieri non posset quin Ion illam in scaena ipsa assequeretur, aliqua erat causa fingenda cur Creusa hoc loco remaneret. Atque quamvis illa primo quidem choro suadenti (v. 1255—56):

ποῖ δ' ἂν ἄλλοσ' ἢ 'πὶ βωμόν (sc. *φύγοις*);
ἱκέτιν οὐ θέμις φονεύειν

responderit (v. 1256):

τῷ νόμῳ δέ γ' ὄλλυμαι,

denique tamen choro obsequitur, qui, ut eam in scaena retineat, his utitur verbis (v. 1258—60):

ἵζε νυν πυρᾶς ἔπι.
ἢν θάνῃς γὰρ ἐνθάδ' οὖσα, τοῖς ἀποκτείνασί σε
προστρόπαιον αἷμα θήσεις· οἰστέον δὲ τὴν τύχην.

Quibus verbis satis apparere mihi videtur, quantopere Euripides causas captaverit, ut Ion in scaena ipsa Creusam adipisci posset.

Neque aliam sequitur rationem in Phoenissis fabula, in qua quamquam discordiae componendae locus medius inter utrumque exercitum erat eligendus, Polynices tamen in urbem se confert, quippe quae per totam fabulam in scaena repraesentetur. Quam ad rem poetam rebus scaenicis esse adductum ex ipsius verbis colligi potest; nam cum mirum sit, quod Polynices, hostis ille et proditor patriae, urbem introeat[1]), his confirmare verbis non desinit se solo foedere fretum huc pervenisse (v. 272—73):

πέποιθα μέντοι μητρὶ κοὺ πέποιθ' ἅμα,
ἥτις μ' ἔπεισε δεῦρ' ὑπόσπονδον μολεῖν.

et v. 364—66: *ἓν δέ μ' ὠφελεῖ,*
σπονδαί τε καὶ σὴ πίστις, ἥ μ' ἐσήγαγε
τείχη πατρῷα.

Eandem profert excusationem his aliis locis: v. 81, 97, 450.

Quin etiam dixerim Euripidem, ut illum ad regiam ipsam producere posset, animum eius molliorem atque faciliorem finxisse quam qualem in Aeschyli Septem adversus Thebas fabula se praeberet. Adeo enim cupiditate iniuriae ulciscendae non ardet, ut tamquam se propositi paeniteat, ex animi sententia pacem facere studeat (cf. v. 357—442).

Ceterum Polynicem hunc locum maxime ideo adiisse crediderim, quod fieri non poterat quin Euripides illum quibus esset moribus saltem semel spectatoribus ante oculos poneret; itaque priusquam Eteoclem conveniat, matri praeter alias res quibus adductus causis hoc bellum gerendum susceperit et quid antea egerit (v. 408—42) explicat.

Atque in Bacchis postquam nuntius rettulit quem ad modum illae in Pentheum consuluissent, poetam nemus illud ipsum scaena repraesentaturum esse exspectamus. Quod cum fieri non possit, Agave sola cum filii capite absciso domum redit, quamquam Ino et Autonoë ibidem remanserunt, hanc afferens causam (v. 1212—15):

---

[1]) Quod quam absurdum esset, ne eum quidem virum doctum fugit qui argumentum huius fabulae composuit; is enim illa de re haec dicit: *ἔστι τὸ δρᾶμα ... διὰ πάντων ἀκμάζον, εἰ καὶ ἀπίθανον ἔχει τὴν εἰς Θήβας Πολυνείκους εἴσοδον.*

Πενθεύς τ' ἐμὸς παῖς ποῦ 'στιν; αἱρέσθω λαβὼν
πηκτῶν πρὸς οἴκους κλιμάκων προσαμβάσεις,
ὡς πασσαλεύσῃ κρᾶτα τριγλύφοις τόδε
λέοντος ὃν πάρειμι θηράσασ' ἐγώ.

Quam brevi post Cadmus sequitur, qui membra Penthei dispersa collegit. Atque ita fit ut Agave in scaena ipsa paulatim et mentem recipiat et quod facinus commiserit cognoscat.

Neque alia ratione in Troadibus Andromacha tunc ipsum per Talthybium de nece filii ab Argivis constituta certior fit, cum in scaenam pervenit (cf. v. 709 sq.).

Neque nuntii quid alio sit gestum loco huc afferre dubitant, etiamsi illae personae ad quas edocendas advenerunt absunt.

In Ione enim famulus in scaenam progressus, ut spectatores faceret certiores quidnam Creusa veneno illo effecisset, haec facit verba (v. 1106—1108):

κλεινήν, γυναῖκες, ποῦ κόρην Ἐρεχθέως
δέσποιναν εὕρω; πανταχῇ γὰρ ἄστεως
ζητῶν νιν ἐξέπλησα κοὐκ ἔχω λαβεῖν.

Quam causam fictam esse, ut famulus illas res huc renuntiare posset, inde apparet quod cum chorus illa verba plane neglegat, Creusa absente ei nuntium referre non dubitat.

Neque in Bacchis quisquam in scaena versabatur, cui nuntius quam crudeliter Bacchae in Pentheum grassatae essent explicaret. Itaque chorum inimicissimum Pentheo quamvis gaudio exsultantem edocet quid ille in saltu passus sit (v. 1030 sq.)[1].

Nam nuntiorum maxime interest spectatores edocere; quae persona forte in scaena versetur, quaerere omittunt.

Neque raro fit ut personae in scaenam progressae ne causam quidem proferant, cur hunc locum rebus peragendis elegerint, quamquam si scaena mutari potuisset, sine dubio alium in locum sese contulissent.

---

[1]) Eandem rationem invenimus adhibitam in Rheso fabula; nam auriga regis quamquam huc se pervenisse dixit, ut Hectorem vel principes Troianorum certiores faceret Rhesum esse interfectum (v. 738—44), tamen choro custodum illud renuntiat.

In Iphigenia enim Aulidensi Agamemno senem cum litteris ad Clytaemestram miserat, quem Menelaus interceperat. Qua de re spectatores horum modorum altero erant edocendi: aut seni huc renuntiandum erat Menelaum ipsi litteras eripuisse aut locus ille erat repraesentandus, quo Menelaus seni litteras eripere conaretur. Quas duas rationes Euripides studio actionem ipsam producendi commotus contaminavit, cum illos ad tentorium adduceret, ubi Menelaus epistulam ex manibus illius extorqueret (v. 303—16). Sed quam absurdum esset senem per totum iter Menelao urgenti restitisse, donec huc ipsum pervenissent, Euripides non curavit[1]).

Neve scaena mutetur, quod personae quae multum valent ad actionem ipsam, alio se conferant, Euripides quaslibet fingit causas, quibus prolatis etiam per insequentem fabulae partem in scaena remanere illis liceat.

In Supplicibus enim matres corpora filiorum necatorum, quae ut comburantur curribus auferuntur, sequi Theseus vetat, cum Adrasto illas his verbis adeunti (v. 941):

ἴτ', ὦ τάλαιναι μητέρες, τέκνων πέλας

haec respondeat (v. 942 et 944):

ἥκιστ', Ἄδραστε, τοῦτο πρόσφορον λέγεις.
ὄλοιντ' ἰδοῦσαι τούσδ' ἂν ἠλλοιωμένους.

Si enim matres scaena decessissent, non habuissent cur reverterentur; itaque Theseus cinerem illorum per pueros in scaenam referri iubet (v. 948—49), qua re efficitur, ut chorus ad templum remaneat, ubi lugubre mortuorum fatum queratur (v. 1114—64).

Neque alia commotus causa Theseus — id quod primo obtutu mirum esse videtur — reliquos quidem viros alio loco comburi iubet, Capanei autem rogum ad templum ipsum exstrui. Qua de re Theseus ipse et Adrastus his verbis inter sese colloquuntur (v. 934—938):

ΘΗ. τὸν μὲν Διὸς πληγέντα Καπανέα πυρί —
ΑΔ. ἦ χωρὶς ἱερὸν ὡς νεκρὸν θάψαι θέλεις;
ΘΗ. ναί· τοὺς δέ γ' ἄλλους πάντας ἐν μιᾷ πυρᾷ.
ΑΔ. ποῦ δῆτα θήσεις μνῆμα τῷδε χωρίσας;
ΘΗ. αὐτοῦ παρ' οἴκους τούσδε συμπήξας τάφον.

---

[1]) Cf. p. 36 sq.

Si enim Theseus Capaneum una cum aliis viris mortuis in cinerem comburi iussisset, fieri non potuisset ut Euadne uxor eius quaerendi causa huc ipsum perveniret atque coram spectatoribus flammis se dederet.

Neve Thoas, quippe cui brevi post in scaena sit agendum, in regiam revertatur, postquam quid intra templum gestum esset cognoverit, his Iphigeniae verbis perficitur (v. 1215—16):

σὺ δὲ μένων αὐτοῦ πρὸ ναῶν τῇ θεῷ . . .
ἅγνισον πυρσῷ μέλαθρον.

Quae cum ita sint, non mirandum est nuntium quid illi ad litus spectaverint, non in regiam sed huc renuntiare, quamvis ipsi chorus ut ad regiam se conferat persuadere conetur (cf. v. 1300—1301):

τί δ' ἡμῖν τῶν ξένων δρασμοῦ μέτα;
οὐκ εἶ κρατούντων πρὸς πύλας ὅσον τάχος;

Sed ne tum quidem Euripides scaenam commutat, cum res ferunt, ut persona scaena relicta homines adeat, qui alio loco versantur[1]).

In Heraclidis enim chorus praeconem Eurysthei se ad regem ipsum convertere iubet his verbis (v. 111—12):

οὔκουν τυράννῳ τῆσδε γῆς φράσαντά σε
χρῆν ταῦτα τολμᾶν;

Quod consilium vix praeco probavit (v. 116—17), cum Demophon ipse ad templum advenit (v. 118—19):

καὶ μὴν ὅδ' αὐτὸς ἔρχεται σπουδὴν ἔχων
Ἀκάμας τ' ἀδελφός, τῶνδ' ἐπήκοοι λόγων.

Atque ita fit ut hoc loco praeco cum rege id agat, quod si scaena mutari potuisset, in regia ipsa peragendum fuisset.

Cuius rei gravissimum exemplum praebet Iphigenia Aulidensis. Achilles enim postquam Clytaemestrae suasit ut maritum a consilio illo crudelissimo revocare conaretur, haec dicit (v. 1016):

ἢν δ' ἀντιβαίνῃ, πρὸς ἐμέ σοι πορευτέον.

Cui consilio si illa paruisset, fieri non potuisset quin reli-

---

[1]) Cf. p. 38 sq.

qua fabulae pars ad tentorium Achillis perageretur. Quod ne accidat, Clytaemestrae haec quaerenti (v. 1025—1027):

ἢν δ' αὖ τι μὴ πράσσωμεν ὧν ἐγὼ θέλω,
ποῦ σ' αὖθις ὀψόμεσθα; ποῖ χρή μ' ἀθλίαν
ἐλθοῦσαν εὑρεῖν σὴν χέρ' ἐπίκουρον κακῶν;

Achilles respondet (v. 1028—31):

ἡμεῖς σε φύλακες οὗ χρεὼν φυλάξομεν,
μή τίς σ' ἴδῃ στείχουσαν ἐπτοημένην
Δαναῶν δι' ὄχλου· μηδὲ πατρῷον δόμον
αἴσχυν'.

Quam causam inanem fictam esse a poeta, ut Achilli in eundem locum redire liceret, quamvis Clytaemestra ipsa illum adire deberet, quis est qui negaverit?

Quae alia exstant exempla (Helen. 825 sq. et Iph. Aul. 801 sq.) accuratius tractare supersedeo.

Quoniam intelleximus in Euripidis fabulis personas in locum a rebus ipsis peragendis alienissimum prodire, dummodo cur huc pervenerint aliquid proferant causae, iam restat ut perspiciamus, quo modo Euripides unum illum locum ad res ipsas agendas accommodaverit.

In Helena enim Euripides duo loca inter se secreta in unum contraxit: sepulcrum Protei, quo Helena confugit, atque regiam Theoclymeni. Neque enim moris fuisse, ut reges Aegyptiorum ante regiam ipsam humarentur, verbis Theoclymeni intellegitur, qui se hac de causa patrem hoc ipso loco sepelivisse dicit (v. 1165--68):

ἐπ' ἐξόδοισι γὰρ
ἔθαψα, Πρωτεῦ, σ' ἕνεκ' ἐμῆς προσρήσεως·
ἀεὶ δέ σ' ἐξιὼν τε κεἰσιὼν δόμους
Θεοκλύμενος παῖς ὅδε προσεννέπει, πάτερ.

Eadem ratione Euripides personas interiore domo amovet, quae, si intus essent, ne ante domum res agerentur impediturae essent.

Si enim Theoclymenus, inimicissimus ille Graecis, regiam ipsam tenuisset, fieri non potuisset ut Menelaus et Helena ad regiam sermones inter sese consererent, quibus fraudibus usi

effugere possent e manibus illius. Itaque venandi causa domo abiit (cf. v. 153—55). Sed postquam illi eas res, quas ne audiret Theoclymenus remotus erat, deliberaverunt, suo tempore revertitur.

Neque in Iphigenia Aulidensi primo quidem obtutu apparet, cur Agamemno postquam uxorem Argos redire frustra iusserit, se Calchantem aditurum esse dicat, quippe cuius praecepta iam satis comperta habeat (v. 746—48):

ὅμως δὲ σὺν Κάλχαντι τῷ θυηπόλῳ
κοινῇ τὸ τῆς θεοῦ φίλον, ἐμοὶ δ᾽ οὐκ εὐτυχές,
ἐξιστορήσων εἶμι, μόχθον Ἑλλάδος.

Cuius rei causa adventu Achillis aperta fit; si enim Agamemno intra tentorium remansisset, neque ut Achilles et Clytaemestra concurrerent contigisset (v. 801 sq.) neque illae de quibus colloquuntur res hoc loco peragi potuissent. Nam postquam per senem illum de occultis consiliis Agamemnonis certiores facti sunt, Achilles se nihil praetermissurum esse iurat quin infamiam sibi allatam ulciscatur, atque Clytaemestra se filiam manibus patris erepturam esse promittit (cf. v. 835, 961, 970 sq.).

Ob easdem causas Hippolytus (Hipp. v. 659), Polyphemus (Cycl. v. 129 sq.), Pentheus (Bacch. v. 215 sq.)[1]) aliquamdiu domo remoti sunt, qui data occasione in priorem locum redirent.

Qua ab ratione non multum differt haec:

In Iphigenia enim Taurica fieri non poterat quin Orestes Pyladesque priusquam capti Iphigeniae dederentur, explicarent unde venissent atque quid sibi vellent. Quas ad res demonstrandas ut ora maritima, ad quam appulerant navem, multo magis idonea fuit templo Dianae ipso per totam fabulam repraesentato, ita hunc unicum ad locum se conferunt. Sed ea quidem re poeta in alteram incidit difficultatem; quoniam enim interdiu usque ad hunc locum periculosissimum progredi ausi sunt, nihil obstabat ne templum ipsum introirent et simulacrum deae raperent. Quod cum plane abhorreret ab ipsius consilio, Euripides templum muris ita munitum esse finxit, ut illi se interdiu propositum peragere posse desperarent atque infecta

---

1) Cf. Lobeck, Sophocl. Aiax adn. ad v. 813.

re ad oram reverterentur. Orestes enim Pyladem interrogat (v. 96—98):

τί δρῶμεν; ἀμφίβληστρα γὰρ τοίχων ὁρᾷς
ὑψηλά· πότερα κλιμάκων προσαμβάσεις
ἐκβησόμεσθα; πῶς ἂν οὖν λάθοιμεν ἄν;

Cui ille respondet (v. 106—107):

ναοῦ δ' ἀπαλλαχθέντε κρύψωμεν δέμας
κατ' ἄντρ' ἃ πόντος νοτίδι διακλύζει μέλας.

Neque alio spectare mihi videtur, quod in Cyclope Silenus agnos ex specu in lucem emovit (cf. v. 137 et 222 sq.).

Quoniam demonstravisse mihi videor, quibus et quam variis artificiis usus poeta unicum illum locum ad res agendas accommodaverit, restat ut explicem, quanti quod lege illa „Aristotelica“ Euripides adstrictus erat, momenti fuerit ad res ipsas conformandas; neque enim parvae molis fuisse concedes omnes res ad actionem pertinentes unum in locum conferre.

Quod Electra fabula maxime probatur, in qua Orestem prohiberi necesse erat ne ad consilium suum perficiendum Argos se conferret, quandoquidem casam Electrae adierat. Venerat enim ad sororem, cum qua de Aegistho Clytaemestraque interficiendis consilia communicaret (cf. v. 100 sq.). Itaque senem illum rusticum quo modo Aegisthum capere possit, his verbis interrogat (v. 614):

ἥκω 'πὶ τόνδε στέφανον (sc. *κτανεῖν Αἴγισθον*
καὶ μητέρα)· *ἀλλὰ πῶς λάβω;*

Qui ei respondet (v. 615—17):

τειχέων μὲν ἐλθὼν ἐντὸς οὐδὲν ἂν σθένοις.
φρουραῖς κέκασται δεξιαῖς τε δορυφόρων,
φοβεῖται γάρ σε κοὐχ εὕδει σαφῶς.

Subito autem seni in mentem venit se Aegisthum in luco propinquo Nymphis sacrificantem neque stipatoribus illis sed famulis comitatum conspexisse. Sed cur Aegisthus quamvis in regia ipsa praesidio illorum usus esset, in lucum apertum solos famulos (v. 631: *δμῶες*) secum duxerit, intellegemus, si nobiscum reputaverimus Euripidem illum omnino ea de causa Argis

ipsis removisse atque propius casam admovisse, ut Oresti facinore commisso ad vicum redeundi facultas daretur. Si enim ut Aegisthum trucidaret, in urbem ipsam se contulisset, quidnam habuisset causae cur in hanc scaenam rediret?

Neque Clytaemestra ipsa facile ex urbe longinqua huc advocari potuit. Itaque et illa eum lucum adit idque post Aegisthum, quamvis Euripides hanc veram causam celare studeat; Oresti enim interroganti (v. 642):

τί δ' οὐχ ἅμ' ἐξωρμᾶτ' ἐμὴ μήτηρ πόσει;

senex haec respondet (v. 643):

ψόγον τρέμουσα δημοτῶν ἐλείπετο.

Quae si una cum Aegistho eo advenisset, fieri non potuisset quin eodem modo atque ille in luco ipso ab Oreste interficeretur. Atqui Clytaemestram ipsam in scaenam prodire necesse erat, priusquam trucidaretur, ut spectatores ex sermonibus cum Electra consertis cognoscerent, quem ad modum adversus filiam se gereret. Itaque Electra illam ex luco arcessi iubet hac causa ficta (v. 652):

λεχώ μ' ἀπάγγελλ' οὖσαν ἄρσενος τόκου.

Atque ut corpus Astyanactis de moenibus deiecti scaena non mutata spectatoribus produceretur, Andromacha in Troadibus fabula filium in Hectoris scuto positum sepeliri voluit; nam hac quidem causa ficta Talthybio cum corpore illius in scaenam prodeundi facultas datur (cf. v. 1141—44)[1]):

ἀντὶ κέδρου περιβόλων τε λαΐνων
ἐν τῇδε θάψαι παῖδα· σὰς δ' ἐς ὠλένας
δοῦναι, πέπλοισιν ὡς περιστείλῃς νεκρὸν
στεφάνοις θ', ὅση σοι δύναμις.

Sed lex illa „Aristotelica“ quanti fuerit momenti ad res conformandas, maxime inde cognoscitur, quod Euripides quas res alio peragendas esse loco verbis personarum ipsarum apparet, eas in hanc unam scaenam confert.

---

[1]) Cf. Wilamowitz, Griech. Tragödien III p. 285: „*Durch die neue Erfindung, dass er sie das Söhnchen Hektors in Hektors Schilde betten lässt, erreicht der Dichter nicht nur eine rührende Aktion, die Schmückung einer Kindesleiche . . .*“.

In prologo enim Ionis fabulae Mercurius haec vaticinatur (v. 66—73):

ἥκουσι (sc. *Ξοῦθος καὶ Κρέουσα*) *πρὸς μαντεῖ' Ἀπόλλωνος τάδε,*
ἔρωτι παίδων. Λοξίας δὲ τὴν τύχην
εἰς τοῦτ' ἐλαύνει, κοὐ λέληθεν, ὡς δοκεῖ.
δώσει γὰρ εἰσελθόντι μαντεῖον τόδε
Ξούθῳ τὸν αὑτοῦ παῖδα, καὶ πεφυκέναι
κείνου σφε φήσει, μητρὸς ὡς ἐλθὼν δόμους
γνωσθῇ Κρεούσῃ, καὶ γάμοι τε Λοξίου
κρυπτοὶ γένωνται παῖς τ' ἔχῃ τὰ πρόσφορα.

Quibus verbis satis superque elucere mihi videtur Creusam filium domi (v. 71—72: *μητρὸς ὡς ἐλθὼν δόμους γνωσθῇ Κρεούσῃ*), hoc est Athenis, esse cognituram. Quod si accidisset, cum scaena mutanda esset, Euripides vaticinatione dei plane praetermissa Ionem a matre Delphis ipsis agnosci facit. Qua in re perficienda quantum collocaverit studium atque laborem, singulis locis manifestum est. Natura enim ferebat, ut pater filium repertum sine mora Athenas reducere cuperet (cf. v. 576 sq., 654 sq.); cui cum Ion ipse assentiretur, fieri non potuit quin scaena mutaretur (cf. v. 668: *στείχοιμ' ἄν*). Ut autem Delphis remanere ipsis liceat, pater filio haec suadet (v. 663—65):

ἀλλὰ τῶν φίλων
πλήρωμ' ἀθροίσας βουθύτῳ σὺν ἡδονῇ
πρόσειπε μέλλων Δελφίδ' ἐκλιπεῖν πόλιν.

Neque aliter Euripides id spectavit, ut Creusa Ionem Delphis ipsis ulcisceretur, dum convivium illud cum patre ageret. Quamquam enim primo quidem paedagogo interroganti, quo loco facinus illud commissura esset, idem quod deus ipse vaticinatus erat responderat (v. 1021):

ἐν ταῖς Ἀθήναις, δῶμ' ὅταν τοὐμὸν μόλῃ,

tamen denique ab illo commovetur ut sine mora Ionem perdere conetur [1]).

---

[1]) Quibus rebus expositis nemini dubium erit quin unde de Arnim (De prologorum Euripideorum arte et interpolatione, Gryphisw. 1882, p. 90: „*Vides igitur in hac fabula necessitudinem quae est inter homines et deos ita*

In Oreste vero fabula Electra fratrem super cervices Hermionae domum reversae gladium stringere iusserat, qua obside uteretur adversus Menelaum. Haec enim sunt verba eius (v. 1193—99):

ξίφος δὲ χρὴ
δέρῃ πρὸς αὐτῇ παρθένου σπάσαντ' ἔχειν.
κἂν μέν σε σώζῃ μὴ θανεῖν χρῄζων κόρην
Μενέλαος Ἑλένης πτῶμ' ἰδὼν ἐν αἵματι,
μέθες πεπᾶσθαι πατρὶ παρθένου δέμας·
ἢν δ' ὀξυθύμου μὴ κρατῶν φρονήματος
κτείνῃ σε, καὶ σὺ σφάζε παρθένου δέρην.

Neque dubium esse potest quin Electra cum fratri illud suaderet, de interiore domo cogitaverit, ubi Menelao corpus Helenae in sanguine (*ἐν αἵματι*) iacentis conspicere liceret. Quacum re consentit, quod Hermiona ubi primum advenit, in regiam trahitur (v. 1349 sq.).

Sed simulatque Menelaus ad regiam rediit, subito res contra cadunt atque Electra suaserat. Tantum enim abest ut Menelaus quippe qui portis clausis ante regiam retineatur, introeat, ut Orestes Pyladesque gladio super caput Hermionae destricto in tecto regiae appareant. Atque cur ostium occluserit, Orestes ipse his verbis explicat (v. 1571—72):

μοχλοῖς ἄραρε κλῇθρα, σῆς βοηδρόμου
σπουδῆς ἅ σ' εἴρξει, μὴ δόμων εἴσω περᾶν.

Quibus rebus efficitur ut res quae sequuntur in scaena ipsa agantur, quamquam si per res scaenicas licuisset, intra regiam peragendae fuissent. Quae cum ita sint, quanto ignaviorem Orestes se praebeat quam si Menelao intra regiam ipsam obstitisset, Euripides quaerere omittit.

Qua re demonstrata hoc ipsum veri est simile Euripidem etiam fabulas illas antiquas, in quibus argumenta tragoediarum eius versantur, ita commutavisse ut ad hunc unum locum quadrent. Qua in quaestione quod plerumque

---

ab Euripide descriptam esse, ut illi, quamquam horum numine regantur, tamen libertatem quandam volendi optineant") causam illius inter prologum et fabulam ipsam discrepantiae repeti velit, plane sit reiciendum.

firmo caremus fundamento, dolendum est; nam nullum fere carminum illorum, de quibus argumenta tragoediarum Graecarum pendent, memoriae traditum est. Tamen una exstat fabula qua demonstrari potest, quem ad modum poeta tragicus duram illam materiam conformaverit, Cyclopem dico[1].

Cum enim apud Homerum (ι 216—460) longe plurimae res intra specum Polyphemi agantur, Euripides easdem fere res ante specum peragi facit. Ne igitur Ulixes ubi primum advenit, in specum ipsum introeat, ubi Polyphemi reditum exspectet, initio fabulae ipso Silenus in scaenam procedit. Atque cum fieri non posset quin spectatores de rebus intra specum gestis certiores fierent, Polyphemus specum saxo operire neglexit, quo modo Ulixi foras prodire atque necem sociorum huc renuntiare liceret[2]. Sed hac vitata Charybdi poeta incidit in Scyllam; nam vix potest credi Ulixem postquam specu decessit, ante eum remanere; quae res ne his quidem verbis corrigi potest, quibus cur effugere praetermittat Ulixes excusare conetur (v. 478—82):

ἐγὼ γὰρ ἄνδρας ἀπολιπὼν φίλους
τοὺς ἔνδον ὄντας οὐ μόνος σωθήσομαι.
καίτοι φύγοιμ᾽ ἄν, κἀκβέβηκ᾽ ἄντρου μυχῶν·
ἀλλ᾽ οὐ δίκαιον ἀπολιπόντ᾽ ἐμοὺς φίλους,
ξὺν οἷσπερ ἦλθον δεῦρο, σωθῆναι μόνον.,

neque enim quicquam erat impedimento ne socii ipsi eodem modo atque Ulixes e specu procederent.

Restat ut quae de Rheso fabula statuenda sunt paucis explicem. Etiamsi hanc fabulam Euripidis esse negandum est, tamen poetam qui Rhesum composuit artius pressisse vestigia Euripidis quam Aeschyli vel Sophoclis constat[3].

Cuius fabulae actionem vel in nonnullas horas compressam esse ex verbis personarum ipsis elucet.

---

[1]) De Rheso cf. p. 82.

[2]) Cf. Hartung, Eur. Werke, griech. mit metr. Übers. vol. XV p. 15.

[3]) Cf. Rolfium, the Tragedy Rhesus (Harvard Studies in Class. Philol. IV p. 97).

Priore enim in fabulae parte atra nox est (cf. vv. 1, 13, 17, 19, 53, 139, 146, 228, 331 sq.) et paulatim clarescit (v. 529); fabula vero exeunte diem exoriri his locis cognoscitur (v. 984–85):

σὺ δ' εἴ τι πράσσειν τῶν προκειμένων θέλεις,
Ἕκτορ, πάρεστι· φῶς γὰρ ἡμέρας τόδε,

et Hector dicit (v. 991—92):

πέποιθα Τρωσί θ' ἡμέραν ἐλευθέραν
ἀκτῖνα τὴν στείχουσαν ἡλίου φέρειν.

Neque unquam in Rheso scaenam mutari [1]) cum iis quae supra de Euripideis fabulis dixi convenit. Quae cum ita sint, fieri non potest quin personae locum ab initio in scaena repraesentatum iis rebus peragendis eligant, quas si scaena mutari potuisset, sine dubio alio loco peregissent. Quod enim Ulixes et Diomedes equis Rhesi direptis ante Hectoris tentorium ipsum comprehenduntur, poeta id agit ut Ulixes custodes Troicos coram spectatoribus fallere possit (v. 674 sq.); neque enim illos sua sponte ad tentorium ipsum Hectoris confugere, ubi maximum sibi imminere periculum sciant credi potest.

Maximi autem momenti est Rhesus fabula ad hanc quaestionem propterea, quod documento est, quantopere poetis tragicis unius loci observandi gratia res traditae fuerint commutandae. Apud Homerum (*K* 400 sq.) Dolo ipse captus Ulixem Diomedemque Rhesum advenisse edocet iisque interrogantibus suadet ut illum primum aggrederentur, his usus verbis (*K* 433—34):

εἰ γὰρ δὴ μέματον Τρώων καταδῦναι ὅμιλον,
Θρήϊκες οἵδ' ἀπάνευθε νεήλυδες, ἔσχατοι ἄλλων.

Quod consilium secuti ad castra Thracum contendunt, ubi Rhesum dormientem caedant (*K* 469 sq.).

At in Rheso fabula Dolo rege Thracum plane praetermisso, quo itinere ad tentorium Hectoris perveniant, illis explicat, ut omnino habeant cur in scaenam prodeant; nam simulatque in scaenam progressi sunt, Diomedes haec dicit (v. 575—76):

---

[1]) Nam uno illo loco excepto (cf. v. 523) chorus nunquam de scaena decedit. Cf. p. 58.

καὶ μὴν Δόλων γε τάσδ' ἔφραζεν Ἕκτορος
κοίτας, ἐφ' ᾗπερ ἔγχος εἵλκυσται τόδε.

Quibus viris quod Hectorem non invenerint perturbatis Minerva auxilio venit haec suadens (v. 598—99):

ἄνδρα δ' οὐ πέπυσθε σύμμαχον
Τροίᾳ μολόντα Ῥῆσον οὐ φαύλῳ τρόπῳ;

et v. 605—606:

τοῦτον κατακτὰς πάντ' ἔχεις. τὰς δ' Ἕκτορος
εὐνὰς ἔασον καὶ καρατόμους σφαγάς.

Quibus verbis acceptis Ulixes et Diomedes scaena decedunt, ut quae dea iusserit perficiant. Si enim poeta tragicus Homerum secutus Ulixem et Diomedem eo temporis momento producere voluisset, quo per Dolonem de condicione Rhesi fierent certiores, scaena mutanda fuerat. At ut priusquam illud facinus commiserint, spectatoribus ante oculos ponantur, poeta facere non potest quin a narratione Homerica discedat: eo quod Rhesum post abitum Dolonis ad castra Troianorum advenientem reddit, efficit ut Dolo adventus Thracum nescius eos ad tentorium Hectoris scaena repraesentatum mittat, unde Minerva illos in Rhesi cubile invadere iubeat[1]).

[1]) Quam discrepantiam inter Homerum et poetam tragicum exstare, etiam Hagenbachius (De Rheso tragoedia p. 21) observavit: „*Noster abitum Dolonis ante Rhesi adventum ponit; apud epicum poetam Graecos de adventu Rhesi Dolo fecit certiores*". Sed qua causa commotus poeta hoc fecerit tacet.

Index fabularum.

Typis expresserunt Maretzke et Maertin Trebnicenses

BRESLAUER
PHILOLOGISCHE ABHANDLUNGEN

HERAUSGEGEBEN

VON

RICHARD FÖRSTER

PROFESSOR DER CLASSISCHEN ALTERTUMSWISSENSCHAFT AN DER UNIVERSITÄT BRESLAU

NEUNTER BAND

FÜNFTES HEFT

De Aenea Gazaeo

scripsit

Stephanus Sikorski

BRESLAU
VERLAG VON M. & H. MARCUS
1909

Fortsetzung 3. Umschlagseite!

BRESLAUER PHILOLOGISCHE ABHANDLUNGEN

HERAUSGEGEBEN

VON

RICHARD FÖRSTER

PROFESSOR DER CLASSISCHEN ALTERTUMSWISSENSCHAFT AN DER UNIVERSITÄT BRESLAU

NEUNTER BAND

FÜNFTES HEFT

De Aenea Gazaeo

scripsit

Stephanus Sikorski

BRESLAU

VERLAG VON M. & H. MARCUS

1909

De Aenea Gazaeo

scripsit

Stephanus Sikorski

Vratislaviae
M. et H. Marcus
MCMIX

Ricardo Foerster

sacrum

I.

Quibus e fontibus hauserit Aeneas Gazaeus.

Neminem esse puto Aeneae dialogum, qui inscribitur Theophrastus, legentem, qui non intellegat, quanto studio doctus ille vir undique collegerit sententias philosophorum, qui aut libros composuerunt de providentia, de immortalitate animarum, de corporum resurrectione, aut illas gravissimas quaestiones in operibus suis tetigerunt. Prorsus quidem omnia, quae Aeneas sumpsit ex eorum operibus, cognosci non possunt. Nam cum illis temporibus floreret genus scriptorum, qui undique collatas clarissimorum virorum sententias in unum condebant promptuarium, fieri potuit ut hoc inserviret scriptoribus; nos autem, cum illa florilegia perierint, in periculo versamur ne putemus eos ex studio veterum has hausisse sententias. Accedit quod scriptores, qui primis post Christum natum saeculis opera composuerunt, ipsi commentationes suas creberrime veterum sententiis ornaverunt. Itaque etiam ex illis multa fluxisse in posteriorum libros quis est quin intellegat? Eo facilius in errorem incidere possumus, quod permulta illorum tum clarissimorum operum non pervenerunt ad nostram aetatem. Quod autem mihi videtur maximi esse momenti, florebant illis temporibus scholae philosophorum et rhetorum, in quibus discipuli discebant a magistris, sive quomodo quis scribere deberet, ne longius aberraret a genere scribendi Atticorum, sive quibus doctrinis philosophi veteris et recentioris aetatis usi essent. Aeneas autem ipse confessus est (p. 1,7 sq., 19,22, cf. Boiss. p. 160) se philosophiam didicisse ab Hierocle, philosopho Alexandrino. Sed, quamquam omnia in medium proferre non possumus, tamen per-

multa nobis occurrerunt, quae doceant Russi[1]) de philosophis christianis illorum temporum dictum videri quadrare etiam in Aeneam (p. 3): *Οἱ φιλοσοφοῦντες χριστιανοὶ τῆς ἐποχῆς ταύτης οὐδὲν ἴδιον παράγουσιν, ἀλλὰ κολοιοὶ ἀλλοτρίοις πτεροῖς ἀγαλλόμενοι ἰδιοποιοῦνται ἀλλότρια δόγματα.*

Itaque liceat mihi nunc demonstrare, quomodo Aeneas sapientiam aliorum traduxerit in suum dialogum. Incipiam autem a Platone, qui, cum veterrimus et celeberrimus sit omnium scriptorum, quibus Aeneas usus sit, tum plurimum contulit et ad compositionem totius dialogi et ad usum verborum genusque dicendi et ad doctrinam ipsam. Quae cum ita sint, consideremus primum, quomodo Aeneas Platonem in compositione operis sui imitatus sit. Praetermitto iam ipsam dialogi formam, quae, quamquam a Platone summa arte exculta, tamen usitatior illis temporibus fuit, quam ut ex ea ipsa effici possit Aeneam imitatum esse Platonem. Sed graviora proferamus.

Iam initium dialogi congruit cum Platone. Nam ut Phaedr. 227 A Socrates interrogat *Ὦ φίλε Φαῖδρε, ποῖ δὴ καὶ πόθεν;* et hic respondet *Παρὰ Λυσίου, ὦ Σώκρατες, τοῦ Κεφάλου, πορεύομαι δὲ πρὸς περίπατον ἔξω τείχους*, ita Aeneae dialogus incipit a verbis *Ποῖ δὴ καὶ πόθεν, Εὐξίθεε; — Παρὰ τῶν Σύρων πρὸς Ἀθηναίους, ὦ Αἴγυπτε*[2]). Mox illud *σοὶ πάρειμι τὸν Νεῖλον, οὐ τὸν Ἰλισσὸν θεώμενος* (1,4) pertinet ad Platonis Phaedrum, nam Socrates amicum ducit ad Ilissum 229 A *δεῦρ' ἐκτραπόμενοι κατὰ τὸν Ἰλισὸν ἴωμεν.* Memorabile autem est Aeneam non unum dialogum Platonis imitatum esse, sed e compluribus elementa collegisse et in unum coniunxisse. Itaque paulo post in memoriam sibi revocans Platonem inducere Socratem ab Hippocrate deductum ad Protagoram, statim Euxitheum facit ab Aegyptio delegatum ad Theophrastum. Quem Protagorae locum Aeneam revera in mente habuisse satis palam fit e similitudine quae exstat inter

---

[1]) *Τρεῖς Γαζαῖοι, συμβολαὶ εἰς τὴν ἱστορίαν τῆς φιλοσοφίας τῶν Γαζαίων ὑπὸ Δημοσθένους Ῥούσσου.* Diss. inaug. Lips. 1893. *Αἰνείας ὁ Γαζαῖος* p. 1—43.

[2]) Similiter Lys. 203 A sed non in initio dialogi *Ὦ Σώκρατες, ἔφη, ποῖ δὴ πορεύει καὶ πόθεν; Ἐξ Ἀκαδημίας, ἦν δ' ἐγώ, πορεύομαι εὐθὺ Λυκείου.*

illos dialogos. Verba enim Platonis (Prot. 309 D) Ὦ τί λέγεις; Πρωταγόρας ἐπιδεδήμηκεν; — Τρίτην γε ἤδη ἡμέραν Aeneas mutat in κατῆρεν ἡμῖν τὸ μέγα κλέος τῶν Ἀθηναίων, ὁ Θεόφραστος, καὶ τρίτην ἄγει ταύτην ἡμέραν (3, 8). Paulo post (3, 12) appellat Theophrastum sapientissimum omnium hominum, quo οὐ γάρ ἐστιν οὔτε παρ' Ἀθηναίοις οὔτε παρ' ἄλλοις σοφωτέρῳ περιτυχεῖν, sine dubio quia Protagoras appellatur σοφώτατος μὲν οὖν δή που τῶν γε νῦν. Cum autem initium Gorgiae quandam habeat similitudinem cum Protagora, — nam ut in hoc dialogo hospes Socratem ad Protagoram, ita in Gorgia Callicles Socratem ad Gorgiam ducit, — mirum non est, quod Aeneas unum cum altero miscens brevi post e Gorgia haurit, quae ei ad rem videntur esse. Itaque imitatus illum Platonis locum (Gorg. 447 D) Εἰπέ μοι, ὦ Γοργία, ἀληθῆ λέγει Καλλικλῆς ὅδε ὅτι ἐπαγγέλλῃ ἀποκρίνεσθαι ὅτι ἄν τίς σε ἐρωτᾷ; — Ἀληθῆ, ὦ Χαιρεφῶν· καὶ γὰρ νῦν δὴ αὐτὰ ταῦτα ἐπηγγελλόμην, καὶ λέγω ὅτι οὐδείς μέ πω ἠρώτηκε καινὸν οὐδὲν πολλῶν ἐτῶν, facit Euxitheum e Theophrasto quaerentem (4, 8) Ἀλλ' εἰπέ μοι (λέγει γὰρ ὁ Αἴγυπτος ὡς οὐκ ἔστιν ἄλλοθεν ἢ παρὰ σοῦ μανθάνειν) ἔξεστιν ἐρωτᾶν ὅ τι καὶ βούλομαι; et Theophrastum respondentem: Ἐρώτα δή, εἴπερ μοι βούλει χαρίζεσθαι. οὐδεὶς γάρ με πολλῶν ἐτῶν ἠρώτηκε καινὸν οὐδέν. His verbis exordio dialogi finito Aeneas ad rem accedit fingitque Euxitheum quaerentem, quid Theophrastus censeat de immortalitate animarum et de corporum resurrectione. Quod consentit cum Platonis usu, cuius in dialogis saepissime Socrates quendam e grege audientium interrogat, et, postquam hic nimis temere respondit, responsum hoc falsum esse plane demonstrat. Neque minus ipse Theophrastus simillimus est sophistis, quos Plato saepe illudit, faciens eos in initio quidem dialogi nimis suis opinionibus inflatos putantesque se omnia optime novisse, brevi autem demonstrans eos nihil novisse recte. Euxitheus autem cum Socrate Platonis comparandus est, quippe qui induat saepe personam discipuli, si accedit ad adversarium quendam, mox autem confutans eius dicta mutat personam ita ut ex discipulo magister factus esse videatur. Ceterum de disputationis inter Euxitheum et Theophrastum structura nihil addendum est nisi apud Aeneam similiter atque apud Platonem gra-

vissimam dialogi partem incipere verbis (50, 1) *Ἄκουε δή, φασί, μάλα καλοῦ λόγου.* (Gorg. 523 A *Ἄκουε δή, φασί, μάλα καλοῦ λόγου*)[1]. Invenitur autem magna similitudo in fine ipso dialogi cum Phaedro clare demonstrans atque evidenter, quomodo Aeneas soleat decerpere fructus ex operibus tum Platonis tum aliorum. Nam raro fit ut ad verbum describat exempla sua, semper fere commutat sententias, addit quae videntur ad rem, demit quae minus apte orationi includuntur.

Phaedr. 279 B *Ὦ φίλε Πάν τε καὶ ἄλλοι ὅσοι τῇδε θεοί, δοίητέ μοι καλῷ γενέσθαι . . . ἐμοὶ μὲν γὰρ μετρίως ηὖκται . . . ἴωμεν.*	Aen. 78, 12 *Ὦ βασιλεῦ καὶ πάτερ . . . ὦ πρώτη σοφία τοῦ Πατρός . . . ὦ Πνεῦμα Ἅγιον . . . ὦ θεία τριὰς καὶ μονὰς ἁγία, δοίης ἡμῖν τοῦ ἄνω κάλλους τὴν μνήμην . . . . Ἱκανῶς ἡμῖν ηὖκται · ἀλλ' ἴωμεν.*

Satis docuisse videor Aeneam in structura dialogi usum esse elementis quae exstant in tribus libris Platonis, Phaedro, Gorgia, Protagora. Nemo igitur erit qui dubitet, quin Aeneas hos libros legerit.

Sed quae demonstravi, docent certo Aeneam novisse nonnulla Platonis opera, non docent eum Platonem semel atque iterum legisse, non docent eum alios quoque Platonis dialogos legisse. Quod ut demonstremus, primum Aeneae scribendi genus comparemus cum Platone, tum consideremus similitudines, quae exstant inter utriusque sententias.

Atque facillime quidem retinetur memoria initium orationis. Quam ob rem Aeneas saepissime ab eisdem verbis sumit initium sermonis ac Plato. Exempla afferam:

Aen. 1, 7 *ἦ πολλὴν χάριν οἶδα τῷ πνεύματι.*	Polit. 257 A *ἦ πολλὴν χάριν ὀφείλω σοι.*
1, 8 *Ἦ οὐ μέμνησαι;*	Lys. 222 D *ἦ οὐ μέμνησθε;*
3, 17 *ἀλλ' ἴωμεν.*	saepissime invenitur apud Platonem.
4, 10 *Ἐρώτα δή, εἴπερ μοι βούλει χαρίζεσθαι.*	Rep. IV 430 D *ἀλλ' εἰ ἔμοιγε βούλει χαρίζεσθαι.*

[1]) Cf. Russus l. l. 11 adn. 2.

5,3 ἐγώ σοι διανοίγειν πειράσομαι τὰ τῶν παλαιῶν ἀπόρρητα.	Phaed. 59 E ἐγώ σοι ἐξ ἀρχῆς πάντα πειράσομαι διηγήσασθαι.
7,9 Εὐδαίμων εἶ, ὦ Θεόφραστε, ὅτι οὐδέν σε διέλαθε.	Rep. IV 422 E εὐδαίμων εἶ, ἦν δ' ἐγώ, ὅτι
9,16 ἦ καλῶς λέγεις.	Phaed. 24 A ἦ καὶ καλῶς δοκεῖ . . . οὕτω λέγεσθαι.
21,4 ἀποκρινοῦμαι, εἴ σοι ἥδιον.	Gorg. 504 C εἴ σοι ἥδιόν ἐστιν, ἐγὼ ἐρῶ.
62,3 Μορμολύττῃ, ὦ γενναῖε.	Gorg. 473 D Μορμολύττῃ αὖ, ὦ γενναῖε.
69,16 οὐκ ἀγεννῶς ἐπεξέρχῃ τῷ λόγῳ.	Gorg. 492 D Οὐκ ἀγεννῶς γε, ὦ Καλλίκλεις, ἐπεξέρχῃ τῷ λόγῳ παρρησιαζόμενος.
75,20 Τὸ ποῖον δὴ λέγεις;	Phaedr. 265 A τὸ ποῖον δὴ λέγεις;
77,3 Πῶς γὰρ ἔμελλεν, ὦ φιλότης;	Gorg. 506 E Πῶς γὰρ οὐ μέλλει;
	Phaedr. 228 D saepius ὦ φιλότης.

Non tam saepe, sed non raro uterque auctor eadem vocabula coniunxit. Quae inveni, afferam:

4,17 τουτὶ γάρ με διδάσκειν ἐθέλουσιν οἱ πάλαι σοφοί.	Conv. 185 C διδάσκουσι γάρ με ἴσα λέγειν οὑτωσὶ οἱ σοφοί.
7,9 πολλῶν ὄντων καὶ ποικίλων.	saepissime invenitur apud Platonem.
	Theaet. 146 D Rep. IV. 426 A
7,10 τῶν πάλαι λεγομένων.	Polit. 268 E τῶν πάλαι λεχθέντων.
7,11 διδάσκεις σαφῶς.	Prot. 361 B διδάσκεις σαφῶς.
9,2 Ἐγὼ δὲ πρὸς ταύτην ἰλιγγιάσας τὴν ἀπορίαν.	Lys. 216 C ἀλλὰ τῷ ὄντι αὐτὸς ἰλιγγιῶ ὑπὲρ τῆς τοῦ λόγου ἀπορίας[1]).

[1]) Boissonadius nonnulla ad hunc locum attulit id unum oblitus a

9,11 *ἀνθρωπίνη τις οἴησις.*	Phaedr. 244 E *ἀνθρωπίνῃ οἰήσει.*
10,2 *φιλήκοος γάρ εἰμι καὶ φιλομαθής.*	Phaedr. 30 E *φιλομαθὴς γάρ εἰμι.*
	Legg. VII 810 E *πολυηκόους καὶ πολυμαθεῖς.*
35,2 *τὸν δὲ ἐπὶ γήραος οὐδῷ.*	Rep. I 328 E *ὁ δὴ ἐπὶ γήραος οὐδῷ*[1]).
48,12 *εἰ νεανικὸν εἰπεῖν.*	Epist. IV 320 D *εἰ καὶ νεανικώτερόν ἐστιν εἰπεῖν.*
70,5 *τῶν δὲ ἀλόγων ζώων τὴν γένεσιν τοῖς στοιχείοις ἐξάγειν προσέταττε.*	Tim. 69 C *τῶν δὲ θνητῶν τὴν γένεσιν τοῖς ἑαυτοῦ γεννήμασιν δημιουργεῖν προσέταξε.*

Restat ut illos locos conferamus, qui non solum verbis inter se congruunt, sed etiam sensu aut translatione, quos tamen Aeneas non mutuatus est, ut argumentum e Platone hauriret, sed ut verbis praestantissimi illius philosophi splendorem dialogi ampliorem redderet. Ad hoc demonstrandum locos huc pertinentes cum Platonicis in conspectu ponam.

3,10 *παρ' ἐκείνου γὰρ μάθοις ἂν ὅ τι ζητεῖς, ἢ μάθοις ἂν ὡς οὐδὲ παρ' ἀνθρώπων τοῦτο προσήκει ζητεῖν.*	Tim. 29 C *μεμνημένους ὡς . . . φύσιν ἀνθρωπίνην ἔχομεν, ὥστε περὶ τούτων τὸν εἰκότα μῦθον ἀποδεχομένους, πρέπει τούτου μηδὲν ἔτι πέρα ζητεῖν*[2]).
20,22 *οὕτω γραὸς μυθολογία.*	Rep. I 350 E *ὥσπερ ταῖς γραυσὶ ταῖς τοὺς μύθους λεγούσαις.*
26,11 *Κἂν ὁ λόγος ἀργήσῃ διὰ ῥᾳθυμίαν καὶ ὄκνον ἢ δι' ἀπαιδευσίαν καὶ τὴν κάτω*	Quae ad arbitrium ab Aenea mutata (auriga enim et equi in Platonis dialogo longe

Libanio et Synesio coniuncta esse *ἰλιγγιῶ* et *ἀπορῶ*, non *ἰλιγγιῶ* et *ἀπορία*. Quod non inveni nisi loco Platonis.

[1]) Quamquam *ἐπὶ γήραος οὐδῷ* dictum Homericum est (Χ 60 Ω 487 ο 348) et saepius etiam alibi occurrit, tamen commemorandum esse putavi.

[2]) Cf. Phaed. 107 B.

σχολὴν καὶ τὴν τῶν ἄνω λήθην, ἐπιθυμία καὶ θυμός, οἷον ἵππων ζεῦγος ἐκπεσόντος τοῦ ἡνιόχου συνταράττεται.	aliud valent atque in Theophrasto) exstant Phaedr. 246 A — 247 C.
22, 13 *ἀλλὰ τὸ μὲν βαλάντιον περικόπτειν καὶ τὸ σῶμα διατέμνειν δύναται (ὁ κακοῦργος).*	Gorg. 508 D *οὔ φημι, ὦ Καλλίκλεις, τὸ τύπτεσθαι ἐπὶ κόρρης ἀδίκως αἴσχιστον εἶναι οὐδέ γε τὸ τέμνεσθαι οὔτε τὸ σῶμα τὸ ἐμὸν οὔτε τὸ βαλλάντιον.*
27, 22 *ὁ δὲ θεὸς τῆς πλεονεξίας τὴν ἀταξίαν εἰς τάξιν ἄγει.*	Tim. 30 A *πᾶν ὅσον ἦν ὁρατὸν . . . κινούμενον πλημμελῶς καὶ ἀτάκτως εἰς τάξιν αὐτὸ ἤγαγεν ἐκ τῆς ἀταξίας.*
32, 4 *οἱ δὲ οἷον ἐν σκότει πλανηθέντες.*	Phaed. 99 B *ὃ δή μοι φαίνονται ψηλαφῶντες οἱ πολλοὶ ὥσπερ ἐν σκότει.*
43, 24 *ἀργοτέρα δὲ μᾶλλον ἢ ἀρίστη, ἣν ὑμεῖς ἀδιάφθορον καὶ νεοτελῆ καλεῖτε, ἣ μὴ προτέρου ἐπειράθη σώματος, ἀλλὰ πρώτην γένεσιν τῇδε βιοτεύει.*	Phaedr. 250 E *ὁ μὲν οὖν μὴ νεοτελὴς ἢ διεφθαρμένος.* 252 D *ἕως ἂν ᾖ ἀδιάφθορος καὶ τὴν τῇδε πρώτην γένεσιν βιοτεύῃ.*
45, 7 *τὸ γὰρ θνητὸν τῷ ἀθανάτῳ οὐχ ὅμοιον, ἀλλ' ἐναντίον.*	Phaed. 105 D *πότερον δ' ἔστι τι ζωῇ ἐναντίον ἢ οὐδέν; ἔστιν, ἔφη. τί; θάνατος.*
48, 12 *ταῦτα γὰρ ἐξελήλεγκται καί, εἰ νεανικὸν εἰπεῖν, ἀδαμαντίνοις δεσμοῖς δέδεται.*	Gorg. 508 E *ταῦτα ἡμῖν ἄνω ἐκεῖ ἐν τοῖς πρόσθεν λόγοις οὕτω φανέντα, ὡς ἐγὼ λέγω, κατέχεται καὶ δέδεται καὶ εἰ ἀγροικότερόν τι εἰπεῖν ἔστιν, σιδηροῖς καὶ ἀδαμαντίνοις λόγοις.*
57, 20 *οἷον ἐν σκότει τῶν θνητῶν αἰσθήσονται, καὶ ὥσπερ εἰς ποταμὸν ἐμπεσόντες τῇ καὶ τῇ φέρονται κρατούμενοι μᾶλλον ἢ κρατοῦντες.*	Tim. 43 A *Αἱ δ' εἰς ποταμὸν ἐνδεθεῖσαι πολὺν οὔτ' ἐκράτουν οὔτ' ἐκρατοῦντο, βίᾳ δ' ἐφέροντο καὶ ἔφερον.*

72, 15 *καὶ τούτοις ἀπερισκέπτως συνέπεσθε, καθάπερ πρὸς θαλλὸν τὰ θρέμματα.*	Phaedr. 230 D *ὥσπερ γὰρ οἱ τὰ πεινῶντα θρέμματα θαλλὸν ἤ τινα καρπὸν προσείοντες ἄγουσιν.*

Omnes locos, quos modo attuli, Aeneas prorsus e contextu orationis Platonis divellit. Quam ob rem longum esse neque magni pretii putavi ostendere, quomodo Aeneas verba Platonis in dialogum suum inseruerit.

Quae cum ita sint, accedam ad gravissimam dissertationis partem, qua demonstrabo, quae similitudo inveniatur inter sententias Aeneae et Platonis. Hic autem imprimis commemorandum est Aeneam saepissime quidem sententias philosophi illius illustrissimi, quoad non abhorrerent a placitis Christianorum, in suum dialogum inseruisse, saepissime adversarios confutavisse recurrentem ad Platonem ut ad auctoritatem, cui sine reprehensione credendum esset, nunquam autem doctrina Platonis adductum esse ut crederet, quae aliena essent a dogmate Christianorum. Quam ob rem ne Platoni quidem parcit, quippe qui unus fuerit e multis, qui crediderint animas iam prius vivas exstitisse rursusque redituras esse in corpora sive hominum sive bestiarum. Quod ut demonstrem, enumerabo locos similes Platonis et Aeneae, atque primum afferam sententias Platonis ab Aenea vituperatas, tum locos Platonis non abhorrentes a doctrina Aeneae. Atque saepissime inveniuntur loci Platonis ab Aenea confutati in prima dialogi parte, qua enumerat diversas sententias philosophorum, qui docuerint animam iam antequam nata esset, vixisse et post mortem in alia corpora sive hominum sive bestiarum migraturam esse. Non autem omnia, quae Aeneas affert, hic proferenda sunt, complura enim e Plotino hausta esse iam Russus (p. 34—38) demonstravit. Exstat autem in illa oratione e Plotino deprompta locus, qui non invenitur apud illum, sed haustus est ex ipso Platone. Exstat in primo capite, ubi quaestio instituitur, utrum anima necessitate acta an sua sponte rursus in terram ventura sit:

6, 10 *καὶ ἐπειδὰν ὁ τῆς κάκης ἵππος βρίθῃ, ἄνω μένειν*	Phaedr. 247 B *βρίθει γὰρ ὁ τῆς κάκης ἵππος μετέχων,*

καὶ ἐποχεῖσθαι βεβαίως οὐ δύναται.

ἐπὶ τὴν γῆν ῥέπων τε καὶ βαρύνων, ᾧ μὴ καλῶς ἦν τεθραμμένος τῶν ἡνιόχων.

In capite secundo tractatur quaestio, utrum homines mutentur in homines an in bestias. Quae hic exstant, ex ipso Platone hausta esse videntur:

10, 21 *ὁ δὲ δὴ Πλάτων τὸν Τίμαιον ἐπιδεικνὺς τὰς τῶν ἀνδρῶν ἔφη ψυχὰς ἐν τῷδε τῷ βίῳ θηλυνομένας εἰς γυναῖκας ἀναβιῶναι, κακίας δὲ ἐμπεπλησμένας εἰς θηρία καταβαίνειν, καὶ τοῖς μὲν χερσαίοις συνδιαιτᾶσθαι, τοῖς δὲ πτηνοῖς συμπέτεσθαι καὶ τοῖς ἐνύδροις συναγελάζεσθαι.*

Tim. 42 B *καὶ ὁ μὲν εὖ τὸν προσήκοντα χρόνον βιοὺς . . . βίον εὐδαίμονα καὶ συνήθη ἕξοι · σφαλεὶς δὲ τούτων εἰς γυναικὸς φύσιν ἐν τῇ δευτέρᾳ γενέσει μεταβαλοῖ · μὴ παυόμενος δὲ ἐν τούτοις ἔτι κακίας, τρόπον ὃν κακύνοιτο, κατὰ τὴν ὁμοιότητα τῆς τοῦ τρόπου γενέσεως εἴς τινα τοιαύτην ἀεὶ μεταβαλοῖ θήρειον φύσιν.*

Tim. 90 E *Τῶν γενομένων ἀνδρῶν ὅσοι δειλοὶ καὶ τὸν βίον ἀδίκως διῆλθον, κατὰ λόγον τὸν εἰκότα γυναῖκες μετεφύοντο ἐν τῇ δευτέρᾳ γενέσει . . . τὸ δὲ τῶν ὀρνέων φῦλον μετερρυθμίζετο . . . ἐκ τῶν ἀκάκων ἀνδρῶν, κούφων δὲ . . . τὸ δ' αὖ πεζὸν καὶ θηριῶδες γέγονεν ἐκ τῶν μηδὲν προσχρωμένων φιλοσοφίᾳ . . . τὸ δὲ τέταρτον γένος ἔνυδρον γέγονεν ἐκ τῶν μάλιστα ἀνοητοτάτων καὶ ἀμαθεστάτων.*

Quos locos Aeneas in unum coniunxit hauriens ex 42 B homines ob crimina mutari in bestias, ex 90 E homines mollitie imbutos (*θηλυνόμενος* enim similis est *δειλῷ*) in feminas transfigurari, et semel solum hominem in aliam formam converti.

11,3 *τὴν δὲ πρὸς* Φαίδωνα *Σωκράτους συνουσίαν διεξιὼν τοὺς ὑπὸ πλεονεξίας ἐπαιρομένους καὶ πρὸς ἁρπαγὰς ἑτοίμους εἰς* ἰκτίνους *καὶ* λύκους *μεταβάλλει, τὸν δὲ ὑπὸ ἐπιθυμιῶν δεδουλωμένον εἰς τοὺς* ὄνους *ἀπελαύνει.*

Phaed. 81 E *ἐνδοῦνται δέ, ὥσπερ εἰκός, εἰς τοιαῦτα ἤθη ὁποῖ' ἄττ' ἂν καὶ μεμελετηκυῖαι τύχωσιν ἐν τῷ βίῳ . . . οἷον τοὺς μὲν γαστριμαργίας τε καὶ ὕβρεως καὶ φιλοποσίας μεμελετηκότας καὶ μὴ διευλαβημένους εἰς τὰ τῶν* ὄνων *γένη καὶ τῶν τοιούτων θηρίων εἰκὸς ἐνδύεσθαι . . . τούς δέ γε ἀδικίας τε καὶ τυραννίδας καὶ* ἁρπαγὰς *προτετιμηκότας εἰς τὰ τῶν* λύκων *τε καὶ ἱεράκων καὶ* ἰκτίνων *γένη.*

11,7 *τὴν δὲ εὐδαίμονα πόλιν οἰκίζων ἐκεῖ που λέγει τὸν Ὀρφέα τὸν τῆς Καλλιόπης, ἐπειδὴ παρὰ γυναικῶν διασπασθεὶς τόνδε τὸν βίον ἐτελεύτησε,* τὸν ἄνθρωπον φεύγοντα, κύκνον γενόμενον, *οἷα μουσικὸν ὄντα, τὴν μουσικὴν ἐργάζεσθαι.*

Rep. X 620 A *ἰδεῖν μὲν γὰρ ψυχὴν ἔφη τήν ποτε* Ὀρφέως *γενομένην* κύκνου βίον *αἱ*ρουμένην *μίσει τοῦ γυναικείου γένους διὰ τὸν ὑπ' ἐκείνων θάνατον οὐκ ἐθέλουσαν ἐν γυναικὶ γεννηθεῖσαν γενέσθαι . . . εἶναι δὲ τὴν Αἴαντος τοῦ Τελαμωνίου,* φεύγουσαν ἄνθρωπον *γενέσθαι.*

Aeneas Platonis locum describens mutat, quae de Aiace dicuntur, cum Platonis de Orpheo verbis dicitque Orpheum vitam cycni elegisse.

11,9 *ὁ δὲ* Θερσίτης, *ὃς πάντων αἴσχιστος ἦν . . . τὸν Ἀχιλλέα . . . μιμούμενος εἰς* πίθηκον *μετασχηματίζεται.*

Rep. X 620 C *πόρρω δ' ἐν ὑστάτοις ἰδεῖν τὴν τοῦ γελωτοποιοῦ* Θερσίτου πίθηκον *ἐνδυομένην.*

17,17 *καὶ γὰρ τὰς* μαθήσεις ἀναμνήσεις *ἀμέλει καλοῦσιν οἱ παλαιοί.*

Phaed. 72 E *ὅτι ἡμῖν ἡ* μάθησις *οὐκ ἄλλο τι ἢ* ἀνάμνησις *τυγχάνει οὖσα.*

Aeneas hanc Platonis sententiam affert, ut eos coarguat, qui animas saepius in corpora humana descendere putaverunt, quamquam non meminerunt, quae passi sunt in priore vita. Probare quidem eam non potuit, nisi animae inesse iam a creatione omnium rerum cognitionem putabat. Aeneas iterum redarguit atque refellit Platonem, qui, cum dixerit animas rursus descensuras esse in corpora, tamen bonis polliceatur vitam aeternam in Elysio, malis autem poenas sempiternas in Tartaro. Nam si haec vera essent, futurum fuisse ut denique deserta terra esset tot hominibus sublatis.

48,1 *Εἰ γὰρ αὐτὸς ἀεὶ τοιοῦτος διαμένει, καὶ εἰ μὲν ἀγαθοὶ εἰς τὸ Ἠλύσιον ἀναδραμόντες ἀθάνατα συμποσιάσουσιν ἀεὶ τοῦ νέκταρος ἐμπιπλάμενοι (νόμος γὰρ καὶ οὗτος τῆς Πλάτωνος πολιτείας), οἱ δὲ κακοὶ εἰς Τάρταρον ἐμπεσόντες, ὅθεν οὔποτε ἐκβήσονται, αὐτοὶ μὲν οὐκ ἔτι ὀνίνανται, παραδείγματα δὲ γενόμενοι τῆς δίκης ἐς ἀεὶ κείσονται (ταῦτα γὰρ ἐν Φαίδωνι καὶ Γοργίᾳ Σωκράτης διισχυρίζεται).*

Rep. II 363 C *Μουσαῖος δὲ τούτων νεανικώτερα τἀγαθὰ καὶ ὁ υἱὸς αὐτοῦ παρὰ θεῶν διδόασιν τοῖς δικαίοις· εἰς Ἅιδου γὰρ ἀγαγόντες τῷ λόγῳ καὶ κατακλίναντες καὶ συμπόσιον τῶν ὁσίων κατασκευάσαντες ἐστεφανωμένους ποιοῦσιν τὸν ἅπαντα χρόνον ἤδη διάγειν μεθύοντας.* (Cf. X 614 B.)

Phaed. 113 E *οἳ δ' ἂν δόξωσιν ἀνιάτως ἔχειν διὰ τὰ μεγέθη τῶν ἁμαρτημάτων . . . τούτους δὲ ἡ προσήκουσα Μοῖρα ῥίπτει εἰς τὸν Τάρταρον, ὅθεν οὔποτε ἐκβαίνουσιν.*

Gorg. 525 C *οἳ δ' ἂν τὰ ἔσχατα ἀδικήσωσι, καὶ διὰ τὰ τοιαῦτα ἀδικήματα ἀνίατοι γένωνται, ἐκ τούτων τὰ παραδείγματα γίγνεται, καὶ οὗτοι αὐτοὶ μὲν οὐκέτι ὀνίνανται οὐδὲν ἅτε ἀνίατοι ὄντες, ἄλλοι δὲ ὀνίνανται οἱ τούτους ὁρῶντες διὰ τὰς ἁμαρτίας . . . ἀτεχνῶς παραδείγματα ἀνηρτημένους ἐκεῖ ἐν Ἅιδου.*

Brevi post aliam Platonis doctrinam affert, quam quidem non probat, hoc autem loco non vituperat satis refutatam eam putans argumentis, quae contra transitionem animae iam attulit:

48, 13 *Εἰ δὲ ἐν χιλίοις ἔτεσιν ἅπαξ φησὶν ὁ τοῦ Φαίδρου Σωκράτης τὴν ψυχὴν ἑκάστην σώματι κοινωνεῖν καὶ εἰς μυριοστὴν περίοδον τῶν ψυχῶν τὸ μέτρον ἐξαρκεῖν λέγεται, ἡμεῖς ἐλαττόνων ψυχῶν δεησόμεθα.*

Phaedr. 248 E *εἰς μὲν γὰρ τὸ αὐτὸ ὅθεν ἥκει ἡ ψυχὴ ἑκάστη οὐκ ἀφικνεῖται ἐτῶν μυρίων.*

Illudit Aeneas illos, qui putabant animam descendere in varia corpora, prout appropinquaverit illis, demonstratque umbras, quae vagentur circa sepulcra, non esse aëria illa corpora animarum, sed mala daemonia humanas repraesentantia animas. Quae contra Platonem dicta esse patet ex similitudine verborum:

60, 14 *Ἀλλ' ἀκούεις οἷα τὰ περὶ τὰ μνήματα σκιοειδῆ φαντάσματα; ταῦτά ἐστι τὰ ἀερώδη τῶν ψυχῶν σώματα, ἃ δὴ εἴδωλα καλεῖται.*

Phaed. 81 C *ὥσπερ λέγεται, περὶ τὰ μνήματά τε καὶ τοὺς τάφους κυλινδουμένη, περὶ ἃ δὴ καὶ ὤφθη ἄττα ψυχῶν σκιοειδῆ φαντάσματα, οἷα παρέχονται αἱ τοιαῦται ψυχαὶ εἴδωλα.*

Propositis igitur Platonis sententiis, quae Aeneae displicuerunt, nunc quidem demonstrare velim, quid Aeneae placuerit e dogmatis philosophi illius illustrissimi. Plurima quidem potuit haurire philosophus christianus ex libris Platonis, cuius philosophia, quae virtutis, officii et bene vivendi disciplinam continet — ut alia omittam — simillima est legibus Christianorum. Itaque plurimae nobis similitudines occurrunt.

Aeneas confutans eos, qui crediderunt animas ob crimina induere bestiarum formam, demonstrat poenam hanc propositum non assequi, cum cupiditatem non exstinguat, immo vero augeat. Poenam enim debere mederi malis cupiditatibus docet eisdem fere verbis ac Plato:

13,17 *Καὶ μὴν ἡ δίκη τῶν παθημάτων· ἰατρικὴ νομίζεται.*	Gorg. 478 D *ἰατρικὴ γίγνεται πονηρίας ἡ δίκη.*

In Gorgia exstat Platonis de vero malo oratio, qua celeberrimus ille vir demonstrat non omnia, quae nobis mala esse videantur, esse re vera mala, quia nobis prosint reddentia nos, si quid iniusti fecerimus, meliores; summam autem malorum esse iniustitiam et intemperantiam et omnino improbitatem animi. Similia affert Aeneas 21,6—22,8 ornans ea sententiis ex aliis Platonis dialogis haustis. Longum est neque magni pretii totum Gorgiae locum afferre, cum non magnae exstent similitudines. Haec solum commemoro:

21,16 *ὥσπερ καὶ τὴν νόσον τῷ Θεάγει μέγα πρὸς φιλοσοφίαν ἔφη συμβάλλεσθαι οὑτωσὶ λέγων, εἴ τί που μέμνημαι· ἀλλὰ μὴν καὶ Θεάγει τῷ ἡμετέρῳ ἑταίρῳ πάντα συμβάλλεται πρὸς τὸ ἐκπεσεῖν φιλοσοφίας, ἡ δὲ νοσοτροφία κατείργουσα ἐπέχει.*	Rep. VI 496 B *καὶ γὰρ Θεάγει τὰ μὲν ἄλλα πάντα παρεσκεύασται πρὸς τὸ ἐκπεσεῖν φιλοσοφίας, ἡ δὲ τοῦ σώματος νοσοτροφία ἀπείργουσα αὐτὸν τῶν πολιτικῶν κατέχει.*
22,6 *Ἀκολασία δὲ καὶ πλεονεξία καὶ ἄνοια καὶ δειλία τὰ αἴσχιστα τῶν κακῶν ἔστι τε καὶ λέγεται.*	Gorg. 477 E *Ἡ ἀδικία ἄρα καὶ ἡ ἀκολασία καὶ ἡ ἄλλη ψυχῆς πονηρία μέγιστον τῶν ὄντων κακόν ἐστιν; — φαίνεται.* Similia alibi apud Platonem inveniuntur: Rep. X 209 C. Alcib. I 115 D.
22,8 *τὸν δὲ θάνατον κακῶν ἐλευθερίαν καὶ λύσιν μάλα σεμνῶς ὀνομάζει διδάσκων, ὡς ὁ θεὸς ἐλεήσας τὸν ἄνθρωπον θνητὰ αὐτοῦ καὶ τὰ δεσμὰ πεποίηκεν.*	Phaed. 67 D *οὐκοῦν τοῦτό γε θάνατος ὀνομάζεται, λύσις καὶ χωρισμὸς ψυχῆς ἀπὸ σώματος;*
	Plotin. IV III 12 *Ζεὺς δὲ πατὴρ ἐλεήσας πονουμένας θνητὰ αὐτῶν τὰ δεσμὰ ποιῶν περὶ ἃ πονοῦνται.*

Primum quidem videmus Aeneam iterum mutavisse ad suum arbitrium verba Platonis, sed non ita ut sensus omnino mutaretur. Tum autem nobis occurrit mirus error Aeneae, quippe qui tribuerit Platoni verba Plotini.

Contra Aeneas et Plato bonum solum felicem appellant:

22,9 *εἴγε σωφροσύνη καὶ δικαιοσύνη καὶ ἀνδρεία καὶ φρόνησις ἀληθὴς εὐδαιμονία.*	Gorg. 470 E *τὸν μὲν γὰρ καλὸν καὶ ἀγαθὸν ἄνδρα καὶ γυναῖκα εὐδαίμονα εἶναί φημι, τὸν δὲ ἄδικον καὶ πονηρὸν ἄθλιον.*

Aeneas 22 sq. summis effert laudibus voluntatis nostrae libertatem, quae nos deo similes reddat, eamque maximum dei donum esse testatur. Quam doctrinam non raro occurrere nobis in Platonis dialogis quis est qui nesciat? Quam ob rem non mirum est, quod Aeneas hoc in suam rem convertens Platonis dictis sua comprobat. Iam singula perlustremus.

22,15 *ἀδέσποτον δὲ ἀρετή.*	Rep. X 617 E *ἀρετὴ δὲ ἀδέσποτον.*
22,24 *βίαιον γὰρ οὐδὲν κάλλιστον μάθημα, οὐδ' ἀνάγκῃ τι γιγνόμενον πρὸς εὐφημίαν ἐπιτήδειον.*	Rep. VII 536 E *ὅτι, ἦν δ' ἐγώ, οὐδὲν μάθημα μετὰ δουλείας τὸν ἐλεύθερον χρὴ μανθάνειν. οἱ μὲν γὰρ τοῦ σώματος πόνοι βίᾳ πονούμενοι χεῖρον οὐδὲν τὸ σῶμα ἀπεργάζονται, ψυχῇ δὲ βίαιον οὐδὲν ἔμμονον μάθημα.*

Plato causas perlustrans, quibus commoti homines in peccata incidant, tertio loco commemorat ignorantiam, quam quidem distinguendam esse in simplicem et duplicem censet, prout homo aut ignorans quid rectum sit aut putans se scire quae omnino ignoret, iniuste agat. Aeneas imitatus est Platonem docens hominem nimis deditum voluptatibus divitiisque duplici morbo affectum esse, cum non modo vera bona ignoret, sed etiam caduca et mortalia re vera bona esse censeat:

27,10 *Ὁ δὲ μηδὲν τούτων διανοηθεὶς ἡσυχίαν ἄγειν οὐ δύ-*	Legg. IX 863 C *τὸ μὲν ἁπλοῦν αὐτοῦ κούφων ἁμαρτη-*

νᾶται, ἀλλὰ συνταραχθεὶς εἰκῇ φέρεται, καὶ οἷον ἐν σκότῳ προσπταίων λοιδορεῖται οὐδὲν εἰδὼς τῶν ἐν μέσῳ προκειμένων καλῶς, ἀλλ' αὐτὴν ἀμαθῶς ἀγνοήσας τὴν ἄγνοιαν διπλάσιον νοσεῖ οὔτ' αὐτὸς θεωρῶν καὶ τὰ ἐν ποσὶ διαβάλλων καὶ οὐκ ἐθέλων τὸ γιγνόμενον, ἀλλ' ὅπερ ἂν αὐτῷ δοκῇ, τοῦτο καλὸν καὶ χρήσιμον ὑπολαμβάνων.	*μάτων αἴτιον ἡγούμενος, τί δὲ διπλοῦν, ὅταν ἀμαθαίνῃ τις μὴ μόνον ἀγνοίᾳ ξυνεχόμενος, ἀλλὰ καὶ δόξῃ σοφίας, ὡς εἰδὼς παντελῶς περὶ ἃ μηδαμῶς οἶδε.*

Permultos scriptores hunc Platonis locum imitatos esse Boissonadius demonstrat, ex quibus affero Gregor. Naz. Or. 28 p. 519[1]) *πίστις δὲ ἀγέτω πλέον ἡμᾶς ἢ λόγος, εἴπερ ἔμαθες τὸ ἀσθενὲς ἐν τοῖς ἐγγυτέρω καὶ λόγον ἔγνως τῷ γνῶναι τὰ ὑπὲρ λόγον, ἵνα μὴ παντελῶς ἐπίγειος ᾖς ἢ περίγειος, ἀγνοῶν καὶ αὐτὸ τοῦτο, τὴν ἄγνοιαν.*

36,4 *Μὴ δή τις φιλοχρηματείτω παίδων ἕνεκα.*	Legg. V 729 A *Μὴ δή τις φιλοχρημονείτω παίδων ἕνεκα.*
41,12 *Ἀναθέμενος οὖν τὸ πόθεν .... ταῖς δὲ γυναιξὶ πειθόμενος ὅτι.*	Gorg. 512 E *ἐπιτρέψαντα περὶ τούτων τῷ θεῷ καὶ πιστεύσαντα ταῖς γυναιξὶν ὅτι.*

Accedimus nunc ad gravissimam rem. Investigandum enim est quid Aeneas censuerit de poenis, quibus deus persequitur eos, qui peccatis aut crimini se dederint, explorandumque quomodo doctrina Aeneae cum Platone congruat. Placita enim Aeneae valde mihi inter se pugnare videntur. Ut enim consentiens cum Platone credit deum homines qui peccatis se non funditus dederint, ita ut sani fieri possint, poenis meliores reddere et in Elysio beatitudine donare perpetua et aeterna, scelestos autem omnino non sanandos in Tartarum inicere ad

[1]) Gregorii Nazianzeni Theologi opera ed. opera et studio Monachorum ord. S. Benedicti e Congreg. S. Mauri, Parisiis 1778.

aeternos cruciatus, ita (57,14—58,9) demonstrat deum misericordia commotum homines in Tartarum quidem mittere ad poenas solvendas, si autem cupiditatum dominationem fregerint, eos recepturum in Elysium felicitatemque aeternam eis daturum esse. Quod mihi simillimum esse videtur doctrinae Gregorii Nysseni (de anima 212 B), quem quidem partes Origenis secutum esse nemo est quin sciat[1]):

58,1 *καὶ τούτους ἐλεήσας οὐκ ἐᾷ νοσεῖν ἀθάνατα, ἅτε θνητὸν ποιήσας οὗ τὸ πλέον ἀπολαύειν ὀρέγονται, οὗ λυθέντος καὶ ἡ τυραννὶς συνδιαλύεται. καὶ μετὰ τὴν τῶν τυράννων κατάλυσιν ἀθάνατον αὖθις ποιήσει τὸ μέρος, ὃ δι' ἐκείνους θνητὸν τὸ πρῶτον ἀφῆκεν.*

Greg. Nyss. de anima 212 B *τῆς κακίας ποτὲ ταῖς μακραῖς τῶν αἰώνων περιόδοις ἀφανισθείσης οὐδὲν ἔξω τοῦ ἀγαθοῦ καταληφθήσεται, ἀλλὰ καὶ παρ' ἐκείνων ὁμόφωνος ἡ ὁμολογία τῆς τοῦ Χριστοῦ κυριότητος ἔσται.*

Ut autem appareat, quantopere loci Aeneae et Platonis inter se consentiant, proponere eos optimum esse mihi videtur:

29,4 *τῷ δὲ δικαστῇ γυμνὰ πάντα, καὶ κατιδὼν τὸν ἄνθρωπον τὰ μὲν ἄλλα πράττοντα καλῶς, μικρὸν δέ τι αὐτοῦ λελωβημένον, ἰάσιμον δὲ φαρμάκῳ, ἐνταῦθα συγχωρεῖ παθεῖν τι αὐτὸν καὶ ἀποτίσαι, ὥστε καθαρὸν γενόμενον τῶν ἐκεῖ καλῶν καθαρῶς ἀπολαύειν.*

Gorg. 525 B *εἰσὶν δὲ οἱ μὲν ὠφελούμενοί τε καὶ δίκην διδόντες ὑπὸ θεῶν τε καὶ ἀνθρώπων οὗτοι οἳ ἂν ἰάσιμα ἁμαρτήματα ἁμάρτωσιν, ὅμως δὲ δι' ἀλγηδόνων καὶ ὀδυνῶν γίγνεται αὐτοῖς ἡ ὠφελία καὶ ἐνθάδε καὶ ἐν Ἅιδου.*

30,11 *Εἰ μὲν γὰρ ἦν ὁ θάνατος τοῦ παντὸς ἀπαλλαγή, καλῶς ἂν ἠπόρουν, εἴ τις πονηρὸς ὢν ἐν τυραννίδι τὸν βίον ἐτελεύτησεν. νῦν δέ, ἐπείπερ ἀθάνα-*

Phaed. 107 C *εἰ μὲν γὰρ ἦν ὁ θάνατος τοῦ παντὸς ἀπαλλαγή, ἕρμαιον ἂν ἦν τοῖς κακοῖς ἀποθανοῦσι τοῦ τε σώματος ἅμ' ἀπηλλάχθαι καὶ τῆς αὐτῶν κακίας*

---

[1]) Cf. Moeller, Gregorii Nysseni de natura hominis, Halis 1854, p. 2.

τος ἡ ψυχή, οὐδὲ εἰς Ἅιδου μεταχωρήσασα φεύγει τὴν δίκην, ἀλλ' ἐκεῖ μάλιστα τῆς τιμωρίας αἰσθάνεται εἰς Τάρταρον πεσοῦσα, ὅθεν οὔποτε ἐκβήσεται, ὥστε ἕρμαιον τοῖς κακοῖς ἐνταῦθα νοσεῖν καὶ ἀπορεῖν καὶ δουλεύειν.

μετὰ τῆς ψυχῆς. νῦν δ' ἐπειδὴ ἀθάνατος φαίνεται οὖσα, οὐδεμία ἂν εἴη αὐτῇ ἄλλη ἀποφυγὴ κακῶν οὐδὲ σωτηρία πλὴν τοῦ ὡς βελτίστην τε καὶ φρονιμωτάτην γενέσθαι.

Phaed. 113 E τούτους δὲ (τοὺς κακούργους) ἡ προσήκουσα μοῖρα ῥίπτει εἰς τὸν Τάρταρον, ὅθεν οὔποτε ἐκβαίνουσιν.

40,15 τὴν δὲ ἄνανδρον καὶ ῥάθυμον καὶ ἀνόητον καὶ λάλον καὶ διαταράττουσαν μὲν τὸ θέατρον, τοὺς δὲ νόμους συγχέουσαν μισήσας εὐθὺ τῆς φρουρᾶς εἰς τὸ τῆς τίσεως δεσμωτήριον ἀπέπεμψεν, ὅθεν ἀποδιδράσκειν οὐ θέμις.

Gorg. 525 A καὶ ὑπὸ ἐξουσίας καὶ τρυφῆς καὶ ὕβρεως καὶ ἀκρατίας τῶν πράξεων ἀσυμμετρίας τε καὶ αἰσχρότητος γέμουσαν τὴν ψυχὴν εἶδεν, ἰδὼν δὲ ἀτίμως ταύτην ἀπέπεμψεν εὐθὺ τῆς φρουρᾶς, οἷ μέλει ἐλθοῦσα ἀνατλῆναι καὶ προσήκοντα πάθη.

Gorg. 523 B τὸν δὲ ἀδίκως καὶ ἀθέως εἰς τὸ τῆς τίσεώς τε καὶ δίκης δεσμωτήριον, ὃ δὴ Τάρταρον καλοῦσιν ἰέναι.

Satis demonstravisse videor quae similitudo exstet inter Aeneam et Platonem in immortalitate animae tractanda. Iam accedamus ad Aeneae de creatione et solutione et resurrectione mundi doctrinam. Qua in re eum diligentissime secutum esse Gregorium Nyssenum infra demonstrabimus. Neminem autem fugit Platonem quoque in variis dialogis similia docere. Itaque Aeneas in hac parte saepissime ad Platonis auctoritatem recurrit eiusque dictis sua placita comprobat. Sed ne longus sim, locos inter se comparandos afferam:

45,12 θεοὶ θεῶν, ὧν ἐγὼ πατήρ τε καὶ δημιουργός, ἀθάνατοι μὲν πάμπαν οὐκ

Tim. 41 A Θεοὶ θεῶν, ὧν ἐγὼ δημιουργὸς πατήρ τε ἔργων, δι' ἐμοῦ γενόμενα ἄλυτα

ἐστέ, ἐπείπερ ἐγένεσθε. οὔ τί γε μὴν λυθήσεσθε τῆς ἐμῆς βουλήσεως κρείττονος θανάτου λαχόντες. 54,20 Τί δέ; τὸ καλῶς συνδεθὲν καὶ ἁρμοσθὲν λύειν σοφίας εἶναί σοι δοκεῖ;	ἐμοῦ γε μὴ θέλοντος. τὸ μὲν οὖν δὴ δεθὲν πᾶν λυτόν, τό γε μὴν καλῶς ἁρμοσθὲν καὶ ἔχον εὖ λύειν ἐθέλειν κακοῦ. δι' ἃ καὶ ἐπείπερ γεγένησθε, ἀθάνατοι μὲν οὐκ ἐστὲ οὐδ' ἄλυτοι τὸ πάμπαν, οὔτι μὲν δὴ λυθήσεσθέ γε οὐδὲ τεύξεσθε θανάτου μοίρας τῆς ἐμῆς βουλήσεως μείζονος ἔτι δεσμοῦ καὶ κυριωτέρου λαχόντες ἐκείνων οἷς, ὅτ' ἐγίγνεσθε, συνεδεῖσθε.
46,1 Πλάτωνι δὲ δοκεῖ καὶ τὸν ὅλον κόσμον τοῦτον καὶ γενέσθαι καὶ θνητὸν εἶναι καὶ ἀθάνατον διασῴζεσθαι.	Polit. 273 D διὸ δὴ καὶ τότ' ἤδη θεὸς ὁ κοσμήσας αὐτὸν καθορῶν ἐν ἀπορίαις ὄντα κηδόμενος, ἵνα μὴ χειμασθεὶς ὑπὸ ταραχῆς διαλυθεὶς εἰς τὸν τῆς ἀνομοιότητος ἄπειρον ὄντα τόπον δύῃ, πάλιν ἔφεδρος αὐτοῦ τῶν πηδαλίων γιγνόμενος τὰ νοσήσαντα καὶ λυθέντα ἐν τῇ καθ' ἑαυτὸν προτέρᾳ περιόδῳ στρέψας κοσμεῖ τε καὶ ἐπανορθῶν ἀθάνατον αὐτὸν καὶ ἀγήρων ἀπεργάζεται.
51,7 οὐρανὸν δέ, ὅθεν ὁ χρόνος ἄρχεται . . . δημιουργεῖ.	Tim. 38 B χρόνος δ' οὖν μετ' οὐρανοῦ γέγονεν.
51,21 Αὐτὸς δὲ ἡμῖν ὁ Πλάτων, μέμνησαι γὰρ ἐν Τιμαίῳ πῶς οὐδὲν σχηματιζόμενος ἀποφαίνεται πρότερον ἐρωτῶν, πότερον γέγονεν ὁ κόσμος ἢ οὐ γέγονεν εἶθ' ἡ αἰτία προσγέγραπται. ὁρατός τε γάρ ἐστιν ἁπτός τέ	Tim. 28 B πότερον ἦν ἀεὶ γενέσεως ἀρχὴν ἔχων οὐδεμίαν ἢ γέγονεν ἀπ' ἀρχῆς τινὸς ἀρξάμενος; – γέγονεν. – ὁρατὸς γὰρ ἁπτός τέ ἐστιν καὶ σῶμα ἔχων, πάντα δὲ τὰ τοιαῦτα αἰσθητὰ . . . γιγνόμενα καὶ γεννητὰ ἐφάνη.

ἐστιν. Τοῦ οὐρανοῦ χαριέστατον οἱ ἀστέρες. ἀλλ' ὅμως καὶ οὗτοι γεγόνασιν.

53,8 *ὁρατὸν γὰρ ὄντα καὶ ἁπτὸν καὶ πάντῃ σωματοειδῆ ἀμήχανον ἦν ἀγένητον εἶναι.*

Tim. 31 B *Σωματοειδὲς δὲ δὴ καὶ ὁρατὸν ἁπτόν τε δεῖ τὸ γενόμενον εἶναι.*

58,9 *Οἶδε τὴν φθορὰν ταύτην ὁ Πλάτων, εἰ καὶ τὴν μέλλουσαν ἀθανασίαν ἠγνόησεν. οὐ γὰρ τῆς γῆς μόνον, ἀλλὰ καὶ τοῦ οὐρανοῦ φθορὰν σαφῶς ἐπεισάγει Τιμαίῳ λέγων ἐκ τῆς οἰκείας φθορᾶς τὸν οὐρανὸν τρέφεσθαι.*

Tim. 33 C *αὐτὸ γὰρ ἑαυτῷ τροφὴν τὴν ἑαυτοῦ φθίσιν παρέχον καὶ πάντα ἐν ἑαυτῷ καὶ ὑφ' ἑαυτοῦ πάσχον καὶ δρῶν ἐκ τέχνης γέγονεν.*

Aeneas in illa parte dialogi qua celebrat dogma Trinitatis leviter tangit quaestionem, cur deus creaverit intellectuales substantias docetque eum hoc fecisse, quia benignus esset. Similiter Plato liberalitate divina mundum creatum esse demonstrat.

51,3 *ἠβούλετο γὰρ ἔχειν οὓς ἂν εὖ ποιῇ. Διὰ τοῦτο τὰς ἄνω δυνάμεις προβάλλεται τοῦ ἀγαθοῦ καὶ τῆς πρώτης εὐεργεσίας ἱκανὰς ἀπολαύειν· ἀγαθῷ γὰρ οὐδεὶς περὶ οὐδενὸς φθόνος.*

Tim. 29 D *Λέγωμεν δὴ δι' ἥντινα αἰτίαν γένεσιν καὶ τὸ πᾶν τόδε ὁ συνιστὰς συνέστησεν. ἀγαθὸς ἦν, ἀγαθῷ δὲ οὐδεὶς περὶ οὐδενὸς οὐδέποτε ἐγγίγνεται φθόνος.*
Phaedr. 242 A *φθόνος γὰρ ἔξω θείου χοροῦ ἵσταται.*

Aeneas cogit e veneratione qua corpora defunctorum persequimur ea non omnino superflua esse, sed deum ea immortalitate donaturum esse. Haurit autem exemplum venerationis illius e Platone:

68,21 *καὶ μάτην ἡμῖν ὁ Πλάτων παρακελεύεται τῆς αὐτοῦ πόλεως τοὺς φύλακας τελευτῶντας τιμᾶν καὶ τῶν σωμάτων τὰς θήκας προσκυνεῖν.* Significantur hic Platonis Leges XII 947 B, sed longum est amplissimum hunc locum describere, cum nulla exstet similitudo verborum.

Sub finem dialogi Theophrastus victum se professus persuasum habet omnia quae Euxitheus dixerit vera esse excusatque suam ab Academia defectionem verbis Platonis, quippe qui monuerit homines, ut sibi tantisper obtemperarent, dum sapientior quispiam appareret. Neminem autem sapientiorem esse deo:

77,21 *Ἀλλὰ χαιρέτω μὲν Ἀκαδημία, πρὸς ἐκεῖνον δὲ ἴωμεν. Αὐτὸς γὰρ ὁ Πλάτων μέχρι τούτου κελεύει πείθεσθαι Πλάτωνι, ἕως ἂν αὐτοῦ σοφώτερος ἀναφανῇ.*

Rep. III 388 E *Δεῖ δέ γε οὐχ, ὡς ἄρτι ἡμῖν ὁ λόγος ἐσήμαινεν· ᾧ πειστέον, ἕως ἄν τις ἡμᾶς ἄλλῳ καλλίονι πείσῃ.*

9,13 *ἀλλὰ καὶ Πλάτωνι συνδοκεῖ τοῖς αὐτοῦ πείθεσθαι, ἕως ἂν θειότερος ἄνθρωπος ἀναφανεὶς αὐτὸ τἀληθὲς ἐκδιδάσκῃ, ᾧ προσήκει πάλιν συνέπεσθαι.*

Ad haec Euxitheus valde gavisus monet Theophrastum, ut secum sacrificia immolet Deo, sed non more paganorum sanguinolenta, sed animum purum virtutibusque deo similem. Immundo enim mundum attingere nefas esse. Similem sententiam pronuntiat Plato demonstrans veram scientiam solum adipiscendam esse hominibus ab omni cupiditate et corporis insania liberatis:

78,10 *Μὴ καθαρῷ γὰρ καθαροῦ ἐφάπτεσθαι οὐ θεμιτὸν εἶναι νομίζεται.*

Phaed. 67 B *Μὴ καθαρῷ γὰρ καθαροῦ ἐφάπτεσθαι μὴ οὐ θεμιτὸν ᾖ.*

Restat ut breviter comprehendamus, quid quaestione effectum sit. Exstant similitudines maiores inter Theophrastum et Platonis Timaeum, Phaedrum, Rempublicam, Gorgiam, Phaedonem, Protagoram. Itaque nemo dubitabit quin Aeneas illos dialogos legerit. E ceteris autem dialogis, quibus minorem quandam similitudinem esse cum Aeneae libello invenimus, veri est simillimum Aeneam hausisse. Sunt autem: Leges, Politicus, Convivium, Lysis, Epistula quarta, Euthydemus, Hippias maior. Ceterum non habemus cur iudicemus Aeneam reliquos Platonis libros non novisse.

Ex his quae dixi satis apparet, quomodo Aeneas usus sit Platone.

De Aristotele.

Ut autem hic exstant plurimae similitudines, ita nihil

invenimus comparantes Aeneam cum Aristotele, quod certe testetur illum ullum opus huius, quem quidem impugnat[1]), legisse. Nam quae affert de Aristotele p. $7,_{3}$ et $7,_{22}$ pervulgata fuerunt illis temporibus (cf. Nemesius De nat. hominis p. $31,_{1}$, $92,_{11}$, $106,_{1}$). Quae autem exstant in pag. 53, ad Atticum redeunt ($53,_{12}$ *Τὸν δὲ Ἀριστοτέλη καὶ γελοῖον ἀποκαλεῖ* [Atticus] *ὁμολογοῦντα* sq.).

Haec quidem de Aristotele.

De Xenophonte.

Nonnullae autem mihi occurrerunt similitudines inter Aeneam et Xenophontis convivium.

$7,_{12}$ *Μνημονικὸς δὲ τοῦ Ἱππίου μᾶλλον ἐφάνης.*	Conv. $4,_{62}$ *οἶδα δέ σ' Ἱππίᾳ τῷ Ἠλείῳ, παρ' οὗ οὗτος καὶ τὸ μνημονικὸν ἔμαθεν.* Commemoratur Hippias etiam apud Platonem Hipp. mai. 285 E.
$21,_{14}$ *Αὐτὸς μὲν οὖν ὁ Σωκράτης ἐπὶ πενίᾳ μέγα φρονεῖ καὶ πλοῦτον αὐτὴν ὀνομάζει.*	Conv. $3,_{9}$ *ἐπὶ πενίᾳ μέγα φρονεῖς; ἐγὼ αὖ, ἔφη, ἐπὶ πενίᾳ μέγα φρονῶ. Νὴ Δί', ἔφη ὁ Σωκράτης, ἐπ' εὐχαρίστῳ μὲν πράγματι.*
$33,_{24}$ *πᾶσαν γὰρ δὴ κακίαν ἡδονὴ μὲν ὥσπερ ἔλαιον φλόγα διεγείρει, λύπη δὲ καθάπερ ὁ μανδραγόρας κοιμίζει.*	Conv. $2,_{24}$ *ὁ οἶνος ἄρδων τὰς ψυχὰς τὰς μὲν λύπας, ὥσπερ ὁ μανδραγόρας τοὺς ἀνθρώπους, κοιμίζει, τὰς δὲ φιλοφροσύνας, ὥσπερ ἔλαιον φλόγα ἐγείρει.*

Hic locus optime testatur Aeneam ex veterum scriptorum libris saepissime hausisse quae sibi idonea esse viderentur ad ornandam orationem, mutavisse autem sententias ad suum arbitrium.

Denique simili translatione atque Xenophon Aeneas usus est:

$47,_{21}$ *ὡς ἔφη τις παρ' ὑμῖν σοφῶν κενὸν οὐδὲν οὐδ' ὅσον ἀθέρα καὶ τρίχα βαλεῖν.*	Conv. $6,_{2}$ *Ἦ οὖν λέληθέ σ' ὅτι μεταξὺ τοῦ ὑμᾶς λέγειν οὐδ' ἂν τρίχα μὴ ὅτι λόγον ἄν τις παρείρειε.*

[1]) Cf. p. $53,_{12}$ sq.

De Plotino.

Iam accedamus ad Plotinum, quem ab Aenea summo studio lectum esse iam Russus demonstravit. Res vero denuo perscrutanda est non solum quia Russus multas similitudines, quae exstant inter illos philosophos, praetermisit, sed etiam demonstrare omisit quomodo Aeneas hauserit ex Plotino.

Iam in prima dialogi parte exstat magnus locus paene ad verbum e Plotino descriptus, quo enumerantur variae philosophorum de animarum in alia corpora transitione doctrinae.

5,6 Ὁ μὲν γὰρ Ἡράκλειτος διαδοχὴν ἀναγκαίαν τιθέμενος ἄνω καὶ κάτω τῆς ψυχῆς τὴν πορείαν ἔφη γίγνεσθαι. Ἐπεὶ κάματος αὐτῇ τῷ δημιουργῷ συνέπεσθαι καὶ ἄνω μετὰ τοῦ θεοῦ τόδε τὸ πᾶν συμπεριπολεῖν καὶ ὑπ' ἐκείνῳ τετάχθαι καὶ ἄρχεσθαι[1]), διὰ τοῦτο τῇ τοῦ ἠρεμεῖν ἐπιθυμίᾳ καὶ ἀρχῆς ἐλπίδι κάτω φησὶ τὴν ψυχὴν φέρεσθαι. Ὁ δὲ Ἐμπεδοκλῆς ἐκφοβεῖ νόμον εἶναι λέγων ταῖς ψυχαῖς ἁμαρτούσαις ἐνταῦθα πεσεῖν . . . ὑποδεικνὺς ἠρέμα, ὃ καὶ Πυθαγόρας ᾐνίττετο.	Enn. IV 8, 1 ὁ μὲν γὰρ Ἡράκλειτος, ὃς ἡμῖν παρακελεύεται ζητεῖν τοῦτο, ἀμοιβάς τε ἀναγκαίας τιθέμενος ἐκ τῶν ἐναντίων ὁδόν τε ἄνω καὶ κάτω εἰπὼν καὶ μεταβάλλων ἀναπαύεται καὶ κάματός ἐστι τοῖς αὐτοῖς μοχθεῖν καὶ ἄρχεσθαι... Ἐμπεδοκλῆς τε εἰπὼν ἁμαρτανούσαις νόμον εἶναι ταῖς ψυχαῖς πεσεῖν ἐνταῦθα . . .
	ὅσον καὶ Πυθαγόρας, οἶμαι, καὶ οἱ ἀπ' ἐκείνου ᾐνίττοντο περί τε τούτου περί τε πολλῶν ἄλλων. . . .
Ὁ δὲ δὴ Πλάτων ὁ ἡμέτερος πρόγονος πολλά τε καὶ καλὰ ψυχῆς πέρι δια-	λείπεται δὴ ἡμῖν ὁ θεῖος Πλάτων, ὃς πολλά τε καὶ καλὰ περὶ ψυχῆς εἶπε

[1]) Loco ἐπεὶ κάματος — ἄρχεσθαι codex olim Augustanus nunc Monacensis praebet ἐπεὶ κάματος ἐπὶ (corr. κάματός ἐστι) τοῖς αὐτοῖς ἄνω μοχθεῖν καὶ τοῖς θεοῖς συμπεριπολεῖν καὶ ἄρχεσθαι. Quam lectionem non genuinam esse suo loco ostendetur.

λέγεται περί τε τῆς πορείας καὶ πολλαχῇ λέγων οὐ ταὐτὰ πανταχῇ λέγει. Ἀλλὰ νῦν μὲν ὁ ἐν Φαίδωνι Σωκράτης αὐτὸ τὸ αἰσθητὸν ἅπαν ἀτιμάσας καὶ τὴν πρὸς τὸ σῶμα τῆς ψυχῆς κοινωνίαν μεμψάμενος, ὡς δεσμῷ τινι καὶ οἷον ἐν σήματι τῷ σώματι θαπτομένην τὴν ψυχὴν ὀλοφύρεται καὶ τὸν ἐν ἀποῤῥήτοις λόγον ἀποθαυμάζει λέγοντα ὡς ἔν τινι φρουρᾷ, ἐπειδὴ ἀφικόμεθα, γεγόναμεν· καὶ τόδε τὸ πᾶν Ἐμπεδοκλῆς μὲν ἄντρον πεποίηκεν· ἐν Πολιτείᾳ δὲ Πλάτων μεταβάλλων σπήλαιον ὀνομάζει, ἀμέλει καὶ τῶν δεσμῶν λύσιν καὶ τοῦ σπηλαίου φυγὴν τὴν ἐντεῦθεν τῆς ψυχῆς ἔφη πορείαν. Ἄλλοτε δὲ ὁ τοῦ Φαίδρου Σωκράτης τὰς κατιούσας ψυχὰς τῶν πτερῶν ἐψιλωμένας φησὶ θεωρεῖν . . . καὶ αὕτη τῆς ἀφίξεως αἰτία· καὶ περίοδοι πάλιν ἀνελθοῦσαν αὐτὴν αὖθις τῇδε φέρουσι καὶ κρίσει καὶ δίκη καταπέμπουσιν· ἀλλὰ καὶ κλῆροι καὶ τύχαι καὶ ἀνάγκαι καθέλκουσιν. Οὕτω πανταχοῦ τὴν πρὸς τὸ σῶμα τῆς ψυχῆς κάθοδον μεμψάμενος, τὸν Τίμαιον συντιθεὶς μεταβαλλόμενος τὴν

περί τε ἀφίξεως αὐτῆς πολλαχῇ εἴρηκεν ἐν τοῖς αὐτοῦ λόγοις, . . . οὐ ταὐτὸν λέγων πανταχῇ φανεῖται, . . . ἀλλὰ τὸ αἰσθητὸν πᾶν πανταχοῦ ἀτιμάσας καὶ τὴν πρὸς τὸ σῶμα κοινωνίαν μεμψάμενος ἐν δεσμῷ τε εἶναι καὶ τεθάφθαι ἐν αὐτῷ τὴν ψυχὴν λέγει καὶ τὸν ἐν ἀποῤῥήτοις λεγόμενον λόγον μέγαν εἶναι, ὃς ἐν φρουρᾷ τὴν ψυχήν φησιν εἶναι· καὶ τὸ σπήλαιον αὐτῷ, ὥσπερ Ἐμπεδοκλεῖ τὸ ἄντρον, τόδε τὸ πᾶν δοκεῖ μοι λέγειν, ὅπου γε λύσιν τῶν δεσμῶν καὶ ἄνοδον ἐκ τοῦ σπηλαίου τῇ ψυχῇ φησιν εἶναι τὴν πρὸς τὸ νοητὸν πορείαν.

ἐν δὲ Φαίδρῳ πτεροῤῥύησιν αἰτίαν τῆς ἐνταῦθα ἀφίξεως· καὶ περίοδοι αὐτῷ ἀνελθοῦσαν πάλιν φέρουσι τῇδε καὶ κρίσεις δὲ καταπέμπουσιν ἄλλας ἐνταῦθα καὶ κλῆροι καὶ τύχαι καὶ ἀνάγκαι.

καὶ ἐν τούτοις ἅπασι μεμψάμενος τὴν τῆς ψυχῆς ἄφιξιν πρὸς σῶμα, ἐν Τιμαίῳ περὶ τοῦδε τοῦ παντὸς λέγων τόν τε κόσμον

ἄφιξιν ἐπαινεῖ καὶ τόνδε τὸν κόσμον ἀποθαυμάζει θεὸν εὐδαίμονα προσονομάζων καὶ τὴν ψυχὴν ἐνταῦθα φανεῖσαν ἀσπάζεται· παρ' ἀγαθοῦ γὰρ αὐτὴν δημιουργοῦ δεδόσθαι πείθεται καὶ τοὺς ἄλλους πείθειν παρασκευάζεται· ἔδει γὰρ ἔννουν εἶναι τόδε τὸ πᾶν (ἄνευ δὲ ψυχῆς οὐχ οἷόν τε ἦν γενέσθαι) ἀλλὰ καὶ τέλειον.	ἐπαινεῖ καὶ θεὸν λέγει εἶναι εὐδαίμονα τήν τε ψυχὴν παρὰ ἀγαθοῦ τοῦ δημιουργοῦ πρὸς τὸ ἔννουν τόδε τὸ πᾶν εἶναι δεδόσθαι, ἐπειδὴ ἔννουν μὲν αὐτὸ ἔδει εἶναι, ἄνευ δὲ ψυχῆς οὐχ οἷόν τε ἦν τοῦτο γενέσθαι.
τοῦτο δὲ ἡ ἑκάστου ψυχὴ δίδωσι τῷ παντὶ . . . πρὸς τὸ μὴ ἀτελὲς διαμένειν τόδε τὸ καλὸν αὐτοῦ ποίημα· ἠβούλετο γὰρ ἐν τῷ αἰσθητῷ κόσμῳ δεικνύναι ὅσαπερ ἐν τῷ νοητῷ προϋπάρχει.	ἥ τε οὖν ψυχὴ ἡ τοῦ παντὸς τούτου χάριν εἰς αὐτὸ παρὰ τοῦ θεοῦ ἐπέμφθη ἥ τε ἑκάστου ἡμῶν πρὸς τὸ τέλειον αὐτὸ εἶναι· ἐπειδὴ ἔδει, ὅσα ἐν [τῷ] νοητῷ κόσμῳ, τὰ αὐτὰ ταῦτα γένη ζῴων καὶ ἐν τῷ αἰσθητῷ ὑπάρχειν.
7,13 Ἀλλὰ τί δράσω, ἀμφίβολος ἔτι διαμένω . . . . οὐκ εἰδώς, ὅτῳ χρὴ μᾶλλον συνέπεσθαι, πότερον Ἡρακλείτῳ, ᾧ δοκεῖ τῶν ἄνω πόνων τῆς ψυχῆς ἀνάπαυλαν εἶναι τὴν εἰς τόνδε τὸν βίον φυγήν, ἢ τῷ Ἐμπεδοκλεῖ, ὅς κατὰ τίσιν ὑπὲρ ὧν ἥμαρτεν ἐνταῦθα τὴν ψυχὴν ἀπέρριψεν.	Enn. IV 8,5 οὐ τοίνυν διαφωνεῖ ἀλλήλοις ἥτε εἰς γένεσιν σπορὰ . . . . οὐδ' ἡ Ἐμπεδοκλέους φυγὴ ἀπὸ τοῦ θεοῦ καὶ πλάνη οὐδ' ἡ ἁμαρτία, ἐφ' ᾗ ἡ δίκη, οὐδ' ἡ Ἡρακλείτου ἀνάπαυλα ἐν τῇ φυγῇ.

Itaque quamquam Aeneas passim secutus est Plotinum, tamen longe aliam fecit conclusionem. Plotinus enim omnia Empedoclis, Heracliti, Platonis de animae descensu dicta inter se plane consentire demonstrat (IV 8,4,5). Aeneas autem nihil ex hac oratione depromens nisi verba e nexu sermonis Plotini

avulsa nos docet philosophos illos non solum non eadem de eisdem rebus sensisse, sed etiam sibi non constitisse.

Denique hausit Aeneas e Plotino quae de Anaxagora affert:

52,21 *ἀλλ᾽ ἀδίνατον ἅμα τῷ δημιουργῷ παραλαμβάνειν τὴν ὕλην. Καὶ τοῦτο Πλωτῖνος περιεργαζόμενος τὴν ὕλην σαφῶς πάνυ προλέγει καὶ τὸν Ἀναξαγόραν κωμῳδεῖ, ὅτι μὴ προλέγει, ἀλλ᾽ ἅμα τὸν δημιουργὸν καὶ τὴν ὕλην εἰσήγαγεν, ἀδύνατον δὲ ἅμα.*

II 4,7 *Ἀναξαγόρας δὲ . . . ὃν εἰσάγει νοῦν ἀναιρεῖ οὐκ αὐτὸν τὴν μορφὴν καὶ τὸ εἶδος διδόντα ποιῶν οὐδὲ πρότερον τῆς ὕλης, ἀλλ᾽ ἅμα, ἀδίνατον δὲ ἅμα.*

Iam accedamus ad doctrinam Aeneae cum Plotino comparandam. Quem philosophum longe aliter profuisse Aeneae ac Platonem inde cognoscitur quod, ut Platonis nomen reperitur in omnibus fere paginis, ita Plotinus solum ter toto dialogo appellatur (p. 12, 51, 52). Atque revera Platonem habuit Aeneas testem placitorum suorum, Plotinum auctorem argumentationis. Quod maxime patebit doctrinam Aeneae de providentia dei cum Plotino comparantibus.

Reperitur apud Aeneam Plotini dictum hominem esse praeditum non summa sed infima facultate animae habentis rationem itaque nemini mirum debere esse, quod nonnunquam a virtute aberret.

24,16 *ἐθέλεις δὲ τὸν ἄνθρωπον ἅπαντα κατορθοῦν καὶ μηδὲν διαμαρτεῖν; Σφόδρα θαυμάζεις τὸν ἄνθρωπον· διὸ θαυμάζεις, εἴ τι διήμαρτεν. Ἀλλ᾽ ἔστιν οὐ τῆς πρώτης λογικῆς μερίδος, ἀλλὰ τῆς ἐσχάτης ὁ ἄνθρωπος, ὃς ψυχῆς μὲν ἀθανασίᾳ καὶ λόγῳ τῶν ἀλόγων ἐπικρατεῖ, φθορᾷ δὲ σώματος καὶ τροφῆς ἐνδείᾳ τῶν ἄνω λογικῶν οὐσιῶν ἀπολείπεται.*

Enn. III 2,8 *θαυμάζεται δὲ ἐν ἀνθρώποις ἀδικία, ὅτι ἄνθρωπον ἀξιοῦσιν ἐν τῷ παντὶ τὸ τίμιον εἶναι ὡς οὐδενὸς ὄντος σοφωτέρου. τὸ δὲ κεῖται ἐν μέσῳ θεῶν καὶ θηρίων.*

IV 8,7 *θείας μὲν μοίρας οὖσαν, ἐν ἐσχάτῳ δὲ τοῦ νοητοῦ οὖσαν.*

Itaque uterque nos docet non minus absurdum esse postulare ne quid homines peccent, quam si quis accusaret ultima, propterea quod non essent prima.

25, 9 *Εἰ δὲ τὰ ἔσχατα, ὅτι μὴ πρῶτα διαγράψοιμεν, οὐκ ἂν φθάνοιμεν πᾶσαν τάξιν διαλύοντες; Φέρε γάρ, εἰ τὸν λίθον ἐκβάλλειν ἐθέλοιμεν, ὅτι μὴ καρποὺς οἷα τὰ φυτὰ δίδωσι, τὰ δὲ φυτὰ διαβάλλειν, ὅτι μὴ τὴν γῆν οἷα βοῦς ἐργάζεται, τὸν δε βοῦν κακίζειν, οὐ γὰρ τῷ γεωργῷ παραπλησίως βούλεται. ὁ δὲ γεωργὸς αὐτὸς ἀπελαυνέσθω, ὅτι μὴ ταῖς ἄνω δυνάμεσιν ἐξ ἴσου τροφῆς ἠμέλησεν· εἶθ' ὑπ' ἀλόγου σοφίας μέχρι τῶν θείων ἀναβαίνοι τις, ὡς οὐδὲ αἱ ἄνω δυνάμεις δημιουργεῖν, ἀλλὰ τῷ δημιουργῷ διακονεῖν ἐτάχθησαν.*	III 3, 3 *ἢ ἐπὶ τὸ γενόμενον αὐτὸ ἢ ὅλως οὐκ αἰτιατέον, ὥσπερ οὐδὲ ἐπὶ φυτῶν γενέσεως, ὅτι μὴ αἰσθάνεται, ἢ ἐπὶ ζῴων τῶν ἄλλων, ὅτι μὴ ὡς ἄνθρωποι ἔχουσι· ταὐτὸν γὰρ τοῦτο τῷ διὰ τί ἄνθρωποι οὐχ ὅπερ θεοί.* III 2, 3 *καὶ τὰ μὲν τοῦ εἶναι μετέχειν δοκεῖ μόνον, τὰ δὲ τοῦ ζῆν, τὰ δὲ μᾶλλον ἐν τῷ αἰσθάνεσθαι, τὰ δὲ ἤδη λόγον ἔχει, τὰ δὲ πᾶσαν ζωήν. οὐ γὰρ τὰ ἴσα ἀπαιτεῖν δεῖ τοῖς μὴ ἴσοις· οὐδὲ γὰρ δακτύλων τὸ βλέπειν, ἀλλὰ ὀφθαλμῶν τοῦτο, δακτύλου δὲ ἄλλο, τὸ εἶναι, οἶμαι, δακτύλῳ καὶ τὸ αὐτοῦ ἔχειν.*
25, 22 *σμικρὸν γὰρ τῶν γενομένων οὐδέν, ἀλλὰ πάντα καλὰ καὶ μεγάλα καὶ τεταγμένα. καὶ ὁ λίθος καλὸς ᾗ λίθος, καὶ τὸ δένδρον ᾗ δένδρον, καὶ ὁ λέων καλός, κἂν ἐπίοι κατὰ λόγον τῆς ἀλόγου ζωῆς*[1].	III 3, 3 *ἄτοπος ὁ τὸ πλέον ἀπαιτῶν τοῦ δοθέντος, ὥσπερ εἰ καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων ζῴων ἀπαιτοῖ καὶ τῶν φυτῶν. δεῖ γὰρ οὐ ζητεῖν, εἰ ἔλαττον ἄλλου, ἀλλ' εἰ ὡς αὐτὸ αὐταρκῶς.* VI 3, 11 *πιθήκων, φησίν, ὁ κάλλιστος αἰσχρὸς συμβάλλειν ἑτέρῳ γένει. ἀλλ' ἐφ' ἑαυτοῦ μὲν καλόν, πρὸς ἄλλο δὲ ἢ κάλλιον ἢ τοὐναντίον.*

[1]) Ad *ὁ λέων — ζωῆς* Russus p. 35 conferendum censuit III 2, 4 *Ζῴων δὲ εἰς ἄλληλα ἀναγκαῖαι αἱ ἐπιθέσεις καὶ φθοραί,* sed neque verba neque sensus convenit inter has sententias.

Demonstrat Plotinus hoc loco pulchrum in qualitatum genere ponendum esse ita ut omnia pulchra sint, quae secundum ipsas considerentur.

Quamquam igitur hominum sit peccare, tamen omnibus operam dandam esse ne peccatis se dent neve puero sibi insito obtemperent.

26, 19 *οὐκ ἄρα τῷ ἐν ἡμῖν παιδὶ τὴν ἀρχὴν ἐπιτρεπτέον.*

I 4, 15 *καὶ τὸν ἐν ἑαυτῷ κινηθέντα οἷον πρὸς λύπας παῖδα καταπαύσει (ὁ σοφὸς) ἢ ἀπειλῇ ἢ λόγῳ, ἀπειλῇ δὲ ἀπαθεῖ.*

Aeneas iterum demonstrat non omnia, quae nobis mala esse videantur, esse re vera mala affertque eadem fere argumenta atque Plotinus. Uterque enim docet non omnino mala vituperanda esse, cum ea deus aptissime mundi ordini subiungat. Itaque, si quis scelestus iniuria afficiat bonum, eum iniuste quidem facere, bono autem haec saluti esse.

27, 22 *ὁ δὲ θεὸς τῆς πλεονεξίας τὴν ἀταξίαν εἰς τάξιν ἄγει, οἷον ἄπιστος τεχνίτης πρὸς τὸ κοινὸν τῆς ἐργασίας καλῶς τῷ φανέντι χρησάμενος καὶ τὸ ἀπεῤῥιμμένον εἰκῇ καὶ τοῖς ἄλλοις ἄχρηστον ἐκκαθαίρων καὶ συναρμόζειν ἀναγκάζων καὶ* π ρ ὸ ς τ ὸ ὅ λ ο ν *συντάττων.*

III 2, 2 *καὶ μίαν ἐφ' αὐτοῖς τοιαῦτα ποιοῦσι. καὶ πάσχουσιν ὅμως ἁρμονίαν ἐνεστήσατο φθεγγομένων μὲν ἑκάστων τὰ αὐτῶν, τοῦ δὲ λόγου ἐπ' αὐτοῖς τὴν ἁρμονίαν καὶ μίαν τὴν σύνταξιν* ε ἰ ς τ ὰ ὅ λ α *ποιουμένου.*

III 2, 5 *καὶ οὐκ ἀχρεῖα δὲ οὐδὲ ταῦτα παντάπασιν εἰς σύνταξιν καὶ συμπλήρωσιν τοῦ ὅλου.*

ὥστε τὸ γιγνόμενον ἀδίκημα τῷ μὲν π ο ι ή σ α ν τ ι *κακὸν καὶ* ἀ δ ί κ η μ α, *καὶ οὐκ ἂν ἀφεθείη τῆς* α ἰ τ ί α ς *ὁ δράσας οὐδὲ ἀποδιδράσκει τὴν δίκην, τῷ δὲ* π α θ ό ν τ ι *οὐ* κ α κ ό ν, *ἀλλὰ χρήσιμον, εἴ γε προσθήκην εὐδαιμονίας*

IV 3, 16 *ἢ καὶ τὸ* ἄ δ ι κ ο ν *τοῦτο οὐ κακὸν ὂν τῷ* π α θ ό ν τ ι *πρὸς τὴν τοῦ ὅλου χρήσιμον πλοκὴν . . . καὶ τὸ ἄδικον δὴ τὸ παρ' ἄλλου εἰς ἄλλον αὐτῷ μὲν τῷ* π ο ι ή σ α ν τ ι ἄ δ ι κ ο ν *καὶ οὐκ ἀφείθη* α ἰ τ ί α ς *ὁ* δ ρ ά σ α ς, *συντεταγ-*

αὐτῷ τὸ πάθος προὐξένησε καὶ εἰς ὄφελος τῷ κοινῷ συντάττεται.

28, 16 καὶ ἄλλως, εἰ ἀγαθὸς ὁ παθών, εἰς ἀγαθὸν ἡ τελευτὴ τούτῳ συμβαίνει.

μένον δ᾽ ἐν τῷ παντὶ οὐκ ἄδικον ἐν ἐκείνῳ οὐδ᾽ εἰς τὸν παθόντα, ἀλλ᾽ οὕτως ἐχρῆν. εἰ δ᾽ ἀγαθὸς ὁ παθών, εἰς ἀγαθὸν ἡ τελευτὴ τούτων.

III 2, 13 καὶ φονεύσαντες ἀδίκως φονευθῆναι ἀδίκως μὲν τῷ ποιήσαντι, αὐτῷ δὲ δικαίως τῷ παθόντι, . . .

29, 9 εἰ δέ τις ἀδικῶν ἄνθρωπον ἄλλον παρ᾽ ἄλλου πάθοι κακῶς, αὐτὸς μὲν πέπονθε δικαίως, ὁ δὲ δράσας ἀδίκως ἐπέθετο, καὶ οὐ μήποτε ἐκφύγοι.

Cf. Nemesii de natura hominis p. 366 ὁ φονεύων ἀδίκως φονεύει, καὶ ὁ φονευόμενος ἢ δικαίως φονεύεται ἢ συμφερόντως· δικαίως μὲν ἔσθ᾽ ὅτε διὰ πράξεις ἀτόπους, ἡμῖν δὲ ἀδήλους.

Saepissime quidem deum iam in hac vita poenis afficere eos, qui levioribus peccatis se dediderint aut errore aut imbecillitate commoti. Non semper enim hominum iniurias proficisci ex mala voluntate, saepe eos bonum appetentes aberrare ab iusto iniusteque se gerere uterque philosophus demonstrat:

28, 25 Ἐνίοτε δὲ σπεύδει μὲν πρὸς ἀρετὴν ὁ ἄνθρωπος, ὤλισθε δὲ καί τι παράνομον ἢ διεπράξατο ἢ διενοήθη.

III 2, 4 Ἀνθρώπων δὲ εἰς ἀλλήλους ἀδικίαι ἔχοιεν μὲν ἂν αἰτίαν ἔφεσιν τοῦ ἀγαθοῦ. ἀδυναμίᾳ δὲ τοῦ τυχεῖν σφαλλόμενοι ἐπ᾽ ἀλλήλους τρέπονται.

Quae mala, quamquam saepe homines iuvent, tamen non a deo venire sed ab hominibus, deum autem omnia in unam iungere harmoniam:

29, 17 Καὶ οὐ διὰ τοῦτο κακὸν ἐγένετο, ὡς ἂν συνταχθείη, ἀλλ᾽, ἐπειδὴ ἐγένετο παρ᾽ ἡμῶν, ἀπὸ τῆς προνοίας συνετάττετο. Δύναμις δὲ καὶ τοῦτο με-

III 2, 5 Καὶ οὐ γέγονε τὰ κακὰ διὰ ταῦτα, ἀλλ᾽ ὅτι χρῆται καὶ αὐτοῖς εἰς δέον. ἐπείπερ ἐγένετο, εἴρηται. Τοῦτο δὲ δυνάμεως μεγίστης καλῶς καὶ τοῖς

γάλη, καλῶς καὶ τοῖς κακοῖς χρήσασθαι καὶ τοῖς ἐξ ἡμῶν ἀμόρφοις γενομένοις εἰς μορφὰς ἑτέρας συντελεῖν δύνασθαι.

κακοῖς χρῆσθαι δύνασθαι καὶ τοῖς ἀμόρφοις γενομένοις εἰς ἑτέρας μορφὰς χρῆσθαι ἱκανὴν εἶναι.

Ut autem prorsus coarguat eos, qui negent providentiam esse, quia tot boni homines miseri sint, mali autem felices exsistant, affert Euxitheus maximum testimonium demonstrans scelestum, nisi quidem iam in terra solvisset poenas, ad inferos demissum meritas daturum esse, bonum autem a deo praemio merito donatum iri. Tum Theophrastus se victum confitetur, nescit autem, quomodo fiat, ut tot homines manci et debiles nascantur, quamquam vita priore sublata nihil iniusti fecerint. Ad haec respondet Euxitheus debilitates illas non animae puniendae causa existere, sed procedere ex corporum mala creatione. Similia praebet Plotinus in capite, quo demonstratur formas, quas Graeci *ἰδέας* vocant, a deo oriri, in mundo autem illas species saepe suffocari:

31, 4 *Τούτων ἔγωγε τὰ πολλὰ σώματος συντυχίαν, οὐ ψυχῆς τιμωρίαν εἶναι λογίζομαι. τῆς γὰρ ἀρχῆς μὴ ἀρχούσης ἀνάγκη τὰ ἑπόμενα συμφύρεσθαι.*

V 9, 10 *ποδῶν δὲ χωλεία [ἡ μὲν] ἤδη ἐν τῇ γενέσει οὐ κρατήσαντος λόγου, ἡ δὲ ἐκ τύχης λύμη τοῦ εἴδους.*

Addidit Euxitheus similia eis quae iam antea dixit, morbum non in malis putandum esse, quia bonos ab iuste agendo non prohibeat, malos autem coerceat ne criminibus se dent. Qua in parte Aeneas paene ad verbum nonnulla e Plotino descripsit.

33, 20 *Ὅλως δὲ πενία καὶ νόσος καὶ τὰ λεγόμενα κακὰ τοῖς μὲν ἀγαθοῖς οὐδέν . . . . τοῖς δὲ φαυλοτάτοις συμφορὰ νομίζεται.*

III 2, 5 *Πενίαι δὲ καὶ νόσοι τοῖς μὲν ἀγαθοῖς οὐδέν, τοῖς δὲ κακοῖς συμφορά.*

Accedere quod deus prospiciat omnia non solum quae iam fuerint, sed etiam quae longo post tempore eventura sint. Itaque deum hominibus, quos malos fieri cognoverit, saepissime facultatem iniuriam faciendi demere mancos et debiles eos fin-

gentem. Mutat hic Aeneas ad suum usum doctrinam Plotini, qui persuasum habens animas migrare ex aliis corporibus in alia ostendit deum, qui omnia sciat, praeterita non minus quam futura, mutare hominem, qui se indignum iam praebuerit benevolentia ipsius, ita ut in vita sequente nemini nocere possit.

32, 8 *οὐ τὸ παρὸν μόνον βλέπει τῆς προνοίας ὁ νόμος, ἀλλὰ καὶ τὸ μέλλον γίγνεσθαι, καὶ οἷς προσήκει τὴν ἀξίαν ἐκεῖθεν τάττει. τὸν μὲν γενέσθαι δοῦλον ἀφῆκε, (χαλεπὸς γὰρ ἂν δεσπότης ἐφάνη), τὸν δὲ πένητα καταλέλοιπε (κακῶς γὰρ ἂν ἐχρήσατο πλούτῳ)· ὁ δέ, (ἤμελλε γὰρ ἐξαπατᾶν καὶ κολακεύειν καὶ ὀξέως πρὸς ἁρπαγὰς ἐξάγειν τὸν πεσόντα), συνεθλάσθη τὴν κεφαλήν, . . .*

III 2, 18 *Ἐπεὶ οὐδ᾽ ἐκεῖνον ἀποβλητέον τὸν λόγον, ὃς οὐ πρὸς τὸ παρὸν ἑκάστοτέ φησι βλέπειν, ἀλλὰ πρὸς τὰς πρόσθεν περιόδους καὶ αὖ τὸ μέλλον, ὥστε ἐκεῖθεν τάττειν τὴν ἀξίαν καὶ μετατιθέναι ἐκ δεσποτῶν τῶν πρόσθεν δούλους ποιοῦντα, εἰ ἐγένοντο κακοὶ δεσπόται, καὶ ὅτι σύμφορον αὐτοῖς οὕτω, καὶ εἰ κακῶς ἐχρήσαντο πλούτῳ, πένητας, καὶ ὅτι ἀγαθοῖς οὐκ ἀσύμφορον πένησιν εἶναι . . .*

32, 26 *. . ὡς ἂν μάθοιμεν τῇ τοῦ ἀμόρφου παραθέσει οἷον τὸ κάλλος.*

III 2, 5 *. . καὶ μανθάνειν δὲ ποιεῖ οἷον ἀγαθὸν ἀρετὴ παραθέσει κακῶν.*

Quamquam autem haec saepe ita fiant, tamen non semper a deo nasci illas debilitates corporis humani, saepius parentes accusandos esse. Non enim ita debere esse providentiam, ut nos nihil simus, docet Aeneas verbis Plotini e nexu orationis exemptis:

34, 2 *Οὐ γὰρ ἔδει τὴν πρόνοιαν οὕτως εἶναι, ὡς μηδὲν ἡμᾶς εἶναι· πάντα γὰρ οὔσης προνοίας οὐδὲν ἂν εἴη· τίνος γὰρ ἂν εἴη, εἰ μόνον εἴη, τὸ θεῖον;*

III 2, 9 *Οὐ γὰρ δὴ οὕτω τὴν πρόνοιαν εἶναι δεῖ, ὥστε μηδὲν ἡμᾶς εἶναι· πάντα δὲ οὔσης προνοίας καὶ μόνης αὐτῆς οὐδ᾽ ἂν εἴη· τίνος γὰρ ἂν ἔτι εἴη; ἀλλὰ μόνον ἂν εἴη τὸ θεῖον.*

Sed ne has quidem corporis infirmitates omnino utilitate carere, cum homines excitent ut vigilent magis atque sobrii

accedant ad procreationem infantium. Similem sententiam reperimus apud Plotinum, quamquam hic dicitur pravitatem multa parere bona reddentem animos vigilantes.

34, 13 *Καὶ οὐδὲ ταῦτα παντελῶς ἄχρηστα τῷ παντί. ἔλεγχος γὰρ ἀκολασίας γίγνεται καὶ ἐγείρει καὶ ἐγρηγορέναι τοὺς ἄλλους ἀναπείθει.*

III 2, 5 *Καὶ οὐκ ἀχρεῖα δὲ οὐδὲ ταῦτα παντάπασιν εἰς σύνταξιν καὶ συμπλήρωσιν τοῦ ὅλου . . . καὶ γὰρ ἐγρηγορότας ἐποίησε καὶ νοῦν καὶ σύνεσιν ἐγείρει.*

Quae cum ita sint, neminem vituperaturum esse deum nisi stultum.

34, 23 *Οὗτος τῆς προνοίας ὁ λόγος, ὃν οὐδεὶς μέμφεται, πλὴν ἀλογίᾳ χρώμενος, ὥσπερ οἱ τῆς γραφικῆς ἄπειροι, οἳ τὰ ποικίλα καὶ γλαφυρὰ καὶ χαρίεντα τῆς τέχνης κακίζουσιν.*

III 2, 11 *οὕτως οὐδ᾽ ὁ λόγος πάντα θεοὺς εἰργάζετο, . . . οὐ φθόνῳ, ἀλλὰ λόγῳ ποικιλίαν νοερὰν ἔχοντι, ἡμεῖς δέ, ὥσπερ οἱ ἄπειροι γραφικῆς τέχνης αἰτιῶνται, ὡς οὐ καλὰ τὰ χρώματα πανταχοῦ . . .*

Tacendo Theophrastus se convictum confitetur, nescit autem, quomodo fiat, ut tot homines ad extremam senectutem veniant, alii autem vix nati iam morti succumbant. Ad haec Euxitheus cum plurimas causas tum in medium profert iam brevissimum vitae spatium plurimum valere, quia anima iam coniuncta cum mortali corpore meliorem esse immortalitatem cognoverit. Similia reperiuntur apud Plotinum:

35, 6 *καὶ προσεκέρδανε τῆς γενέσεως τὴν πεῖραν καὶ τῇ παραθέσει τοῦ θνητοῦ σώματος τὸ ἀθάνατον ἄμεινον ἔγνω.*

IV 8, 7 *ἄλλως τε καὶ δυνατὸν ὂν πάλιν ἐξαναδῦναι ἱστορίαν ὧν ἐνταῦθα εἶδέ τε καὶ ἔπαθε προσλαβούσῃ καὶ μαθούσῃ, οἷον ἄρα ἐστὶν ἐκεῖ εἶναι καὶ τῇ παραθέσει τῶν οἷον ἐναντίων σαφέστερον τὰ ἀμείνω μαθούσῃ.*

Hae sunt similitudines, quae inter Aeneae et Plotini de providentia dei exstant sententias. Permultae autem etiam in reliqua dialogi parte dispersae reperiuntur. Aeneas refutans

veterum philosophorum de animis doctrinas, quas mutari ob crimina in homines asininos crediderint, docet hunc cruciatum a proposito longe aberrare, quia non solum exstinguat pravitatem, sed etiam augeat malas cupiditates. Itaque, si animarum in alia corpora esset transitio, illam debere ita esse, ut homo, qui alicui iniuriam attulerit, in altera vita idem patiatur:

13, 25 *Νῦν ὁ δεῖνα τῶν ἀγρίων ἐστὶ καὶ τῶν νέων διαφθείρει τὴν ὥραν. αὖθις γιγνέσθω νέος καλός, ὡς ἂν καὶ αὐτὸς ταῦτα πάθοι. ἕτερος, μοιχός, εἰς γυναῖκα μεταβαλλέσθω, ὡς ἂν ὑπὸ μοιχείας ὑβρίζοιτο.*	III 2, 13 *μὴ γὰρ δὴ κατὰ συντυχίαν δοῦλον μηδὲ αἰχμάλωτον ὡς ἔτυχε μηδὲ ὑβρισθῆναι εἰς σῶμα εἰκῆ, ἀλλὰ ἦν ποτε ταῦτα ποιήσας, ἃ νῦν ἐστι πάσχων· καὶ μητέρα τις ἀνελὼν ὑπὸ παιδὸς ἀναιρεθήσεται γενόμενος γυνή, καὶ βιασάμενος γυναῖκα γυνὴ ἔσται, ἵνα βιασθῇ.*

Quam sententiam Aeneas tribuit Porphyrio et Iamblicho oblitus iam ante eos Plotinum idem dixisse. Cum autem in reliquiis Porphyrii et Iamblichi haec sententia non reperiatur, statuere non possumus, utrum verba haec re vera fuerint in illorum operibus an Aeneas unum pro altero attulerit, quam rem apud eum non inauditam esse iam antea demonstravimus.

Aeneas agens de libero arbitrio usus est sententia simillima duorum locorum Plotini, quorum alter verbis quidem non ita congruit, exstat autem in oratione simillima Aeneae — ut hic comparat hominem libero non praeditum arbitrio cum lapide, ita Plotinus sententias eorum vituperat, qui putant in astris sortem nostram positam esse, itaque ex homine lapidem faciunt —, alter vero verbis quidem maxime consentit cum Plotino, hic autem prorsus e contextu orationis divulsus est.

23, 2 *Πῶς δ' ἀμείνων ὁ ἄνθρωπος ἦν, εἰ λίθος ἦν, ὅποι βούλοιτο ὁ τεχνίτης, περιφερόμενος, ἢ τινα φθόγγον ἀφ' ἑαυτοῦ παρεχόμενος, ὃν εἰς τὴν ὅλην ἁρμονίαν ὁ δημιουργὸς συντάττει καλῶς;*	III 1, 5 *ἡμῖν δὲ οὐδὲν διδοὺς λίθοις φερομένοις καταλείπει εἶναι, ἀλλ' οὐκ ἀνθρώποις ἔχουσι παρ' αὐτῶν καὶ ἐκ τῆς αὐτῶν φύσεως ἔργον.* III 2, 17 *καὶ τὸ ὅλον τοῦτο καλὸν οὐκ, εἰ λίθος εἴη ἕκα-*

στος, ἀλλ' εἰ τὸν φθόγγον τὸν αὐτοῦ εἰσφερόμενος συντελοῖ εἰς μίαν ἁρμονίαν ζωὴν καὶ αὐτὸς φωνῶν.

Aeneas ex eo quod anima, priusquam in corpus descenderet, inutilis atque otiosa esset, cogit eam una cum corpore creatam esse. Hanc quidem conclusionem Plotinus non facit, quamquam ipse fatetur animam tantisper supervacaneam esse, dum in corpus descendat:

43, 19 *Εἰ δ' ἑνὸς ὄντος τοῦ ἀνθρώπου τὴν μὲν ψυχὴν προϋπάρχειν, πολλῷ δ' ὕστερον τὸ σῶμα συμπεπλάσθαι φήσομεν, ἀργή τις ἦν, πρὶν καταβῆναι καὶ περιττὴ χρόνον τοσοῦτον ἡ ψυχή, καὶ οὐκ ἔδειξεν ἐνεργείᾳ τὴν δύναμιν οὐδ' ἔγνω ὅπερ εἶχε.*

IV 8, 5 *καὶ δείξασα ἔργα τε καὶ ποιήσεις, ἃ ἐν τῷ ἀσωμάτῳ ἠρεμοῦντα μάτην τε ἂν ἦν εἰς τὸ ἐνεργεῖν ἀεὶ οὐκ ἰόντα τήν τε ψυχὴν αὐτὴν ἔλαθεν ἂν ἃ εἶχεν οὐκ ἐκφανέντα οὐδὲ πρόοδον λαβόντα, εἴπερ πανταχοῦ ἡ ἐνέργεια τὴν δύναμιν ἔδειξε. . . .*

Brevi post Aeneas demonstrat iam omnem artem et omnem scientiam docere animam immortalem esse itaque vim in anima latentem ex varietate eorum, quae oculis obiecta sint, cognosci. Eandem sententiam pronuntiat Plotinus, cum demonstret animam vim sibi illatam non posse ostendere, nisi corpus induerit:

45, 22 *καὶ θαυμάσαις ἂν τὴν ἔνδον τῆς ψυχῆς δύναμιν ἀπὸ τῆς ποικιλίας τῶν ἔξω καταμαθών.*

IV 8, 5 *νῦν μὲν γὰρ θαῦμα ἔχει τῶν ἔνδον ἕκαστος διὰ τῆς ποικιλίας τῶν ἔξω, οἷά ἐστιν ἐκ τοῦ τὰ γλαφυρὰ ταῦτα δρᾶσαι.*

47, 17 solum sententiae ipsae similes sunt, cum causae, propter quas Aeneas et Plotinus eas proferunt, aliae sint:

47, 18 *καὶ μὴν νοερῶν δυνάμεων μεστὸς μὲν ὅλος ὁ οὐρανός, μεστὸς δὲ ὁ αἰθήρ, ἀγγέλων τε καὶ δαιμόνων πλήρης μὲν ὁ ἀήρ, πλήρης δὲ καὶ ἡ γῆ καὶ ἡ θάλαττα.*

II 9, 8 *γῆ μὲν δὴ πᾶσα ζῴων ποικίλων πλήρης καὶ ἀθανάτων καὶ μέχρις οὐρανοῦ μεστὰ πάντα.*

Plotinus demonstrat non omnia posse bona et pulcra esse in mundo, nam si quis eximeret omnem turpitudinem, pulcritudo quoque plane suffocaretur. Aeneas similiter cogit deum praestantiora et deteriora creavisse, non invidia commotum, sed ne, si omnia similia essent, omnia in unum confluerent itaque funditus interirent:

55, 14 *Ἀγαθῷ περὶ οὐδενὸς φθόνος οὐδείς. Ἀλλ' εἰ πάντα ὅμοια ἦν, οὐδὲ ἦν· ἓν γὰρ ἦν. Νῦν δὲ λογικὰς καὶ νοερὰς οὐσίας καὶ ἁπλῶς τὸν νοητὸν κόσμον ὅλον ἀθάνατον προὐβάλλετο, καὶ φθόνος οὐδείς.*	III 2, 11 *οὕτως οὐδ' ὁ λόγος πάντα θεοὺς εἰργάζετο, ἀλλὰ τὰ μὲν θεούς, τὰ δὲ δαίμονας, δευτέραν φύσιν, εἶτα ἀνθρώπους καὶ ζῷα ἐφεξῆς, οὐ φθόνῳ, ἀλλὰ λόγῳ ποικιλίαν νοερὰν ἔχοντι.*
56, 8 *τελείου γὰρ λόγου καὶ δημιουργοῦ μὴ μόνον διάφορα ποιεῖν, ἀλλὰ καὶ ἀλλήλοις ἐναντία, οἷον λευκὸν καὶ μέλαν, καὶ θερμὸν καὶ ψυχρόν, καὶ ἀθάνατα καὶ θνητά . . .*	III 2, 16 *ὁρῶμεν δὲ καὶ ἐν τῷ παντὶ τὰ ἐναντία, οἷον λευκὸν μέλαν, θερμὸν ψυχρόν, καὶ δὴ πτερωτὸν ἄπτερον, ὑπόπουν ἄπουν, λογικὸν ἄλογον . . . ὥστε ἄκρως ἕτερον ποιῶν καὶ τὰ ἐναντία ποιήσει ἐξ ἀνάγκης καὶ τέλειος ἔσται, οὐκ εἰ διάφορα μόνον, ἀλλ' εἰ καὶ ἐναντία ποιεῖ εἶναι ἑαυτὸν [ὁ λόγος].*

Ex his quae dixi satis intellegitur, quomodo Aeneas usus sit Plotino.

De Gregorio Nysseno.

Nunc accedimus ad demonstrandum Aeneam fructus argumentationis hausisse etiam ex operibus Gregorii Nysseni. Perscrutanda autem mihi proposui opera celeberrimi illius sanctissimique viri, quae inscribuntur De opificio hominis et De anima et resurrectione. Iuvat me in hac re Russus, qui breviter commemoravit (p. 42, 1) Aeneam demonstrantem hominum reditum in vitam auctorem habuisse Gregorium Nyssenum. Antequam autem enumerem similitudines, statuere velim Aeneam longe aliter usum esse libris scriptorum paga-

norum atque operibus Gregorii. Nam ut non veritus est sententias illorum ad verbum paene describere, ita mutat semper verba Gregorii, ut sensus solum congruat, verba autem longe differant. Cum autem similia mutuatus sit et e dialogo de anima et e commentatione de opificio hominis, liceat mihi simul comparare Aeneae dialogum cum Gregorio in laudando libero hominum arbitrio. Itaque reperitur in utroque sententia virtutem pro nihilo putandam esse, nisi ab omni sit coactione et necessitate libera:

22, 15 *ἀλλὰ τῶν μὲν ἄλλων ἐπικρατεῖ, ἀρετὴ δὲ ἀδέσποτον . . .* 22, 23 *καὶ τίς αὕτη γένοιτο ἂν ἀρετὴ δουλεύειν ἠναγκασμένη ψυχῇ;*	de opif. 87 *ἀδέσποτον γάρ τι χρῆμα ἡ ἀρετὴ καὶ ἑκούσιον, τὸ δὲ κατηναγκασμένον καὶ βεβιασμένον ἀρετὴ εἶναι οὐ δύναται.*
22, 19 *Τί γὰρ ἐλευθερίας σεμνότερον, ἣ παραλαβοῦσα τὸν ἄνθρωπον θεὸν τὸν ἄνθρωπον ἀπεργάζεται.*	de anim. 228 E *Ἡ δ' ἐλευθερία ἐστὶν ἡ πρὸς τὸ ἀδέσποτόν τε καὶ αὐτοκρατὲς ὁμοίωσις.* Cf. orat. de mortuis III 634 B.

In utriusque scriptoris operibus exstat sententia dei voluntatem evadere statim in naturam redigique ad essentiam:

41, 15 *αὐτὸς γὰρ ὁ τὸν ἀγῶνα τιθεὶς εἰσκαλεῖται, καὶ τὸ κήρυγμα φύσις γίγνεται.*	de anim. 239 D *ἡ ὁρμὴ τῆς θείας παραιρέσεως, ὅταν ἐθέλῃ, πρᾶγμα γίγνεται καὶ οὐσιοῦται τὸ βούλημα εὐθὺς φύσις γινόμενον.*

Nunc aggrediamur Aeneae de resurrectione argumentationem cum Gregorio comparandam. Qui accedunt ad rem refutantes opinionem paganorum, qui resurrectionem impugnaverunt ob eam causam, quod corpora dispergerentur et diffluerent; iure enim uterque affert corpora quidem in elementa sua dissolvi, elementis autem conservatis fieri posse ut, si deus vocaverit, omnia in antiquum statum restituantur.

61, 21 *Τὸ γήϊνον λέγεις; μέγα θαῦμα. καὶ μὴν διαλέλυται καὶ διεσκέδασται καὶ τὸ μὲν ὑπὸ τῶν ἰχθύων διατέμνεται,*	de opif. 115 *Δεικνύουσι γὰρ τῶν ἀρχαίων νεκρῶν τὸν ἀφανισμὸν καὶ ἔτι πρὸς τούτοις τὰ σαρκοβόρα τῶν ζῴων*

τὸ δὲ ὑπὸ τῶν ὀρνέων διασπαράττεται, καὶ ταῦτα ὑφ' ἑτέρων ἁλίσκεται καὶ διόλλυται, ὡς μηδὲν εἶναι τοῦ ἀνθρωπίνου σώματος γνώρισμα.	τῷ λόγῳ προφέρουσι, καὶ τὸν ἰχθὺν τῷ ἰδίῳ σώματι τὴν σάρκα τοῦ ναυαγήσαντος ἀναλαβόντα, καὶ τούτων πάλιν τροφὴν ἀνθρώπων γενόμενον, καὶ εἰς τὸν τοῦ βεβρωκότος ὄγκον μετακεχωρηκότα διὰ τῆς πέψεως.
62, 13 Οὐκοῦν τοῦ ἀνθρώπου τὸ σῶμα, καὶ ὁ ἰχθὺς καὶ τὸ ὄρνεον καὶ τὸ θηρίον εἰς τὰ στοιχεῖα πάλιν ἀνέδραμε, καὶ ἕκαστον ὅθεν συνῆλθεν, εἰς ἐκεῖνο διαλύεται. Εἰ τοίνυν τὰ στοιχεῖα διασώζεται, καὶ ἡ τοῦ ἡμετέρου σώματος ἀφορμὴ συνδιασώζεται καί, ὅταν ὁ δημιουργὸς καλῇ, πάντα πανταχόθεν συλλέγεται.	de opif. 115 τὴν μὲν διάλυσιν τοῦ σώματος εἰς τὰ ἐξ ὧν συνέστηκε γίγνεσθαι ..... (116) ὅπου δ' ἂν τις καθ' ὑπόθεσιν περιενέγκῃ τῷ λόγῳ τὸν ἄνθρωπον, ἐντὸς τοῦ κόσμου πάντως ἐστίν. Τοῦτον δὲ τῇ χειρὶ τοῦ θεοῦ περικρατεῖσθαι ἡ θεόπνευστος διδάσκει φωνή.

Si quis autem in dubitationem vocaverit illam resurrectionem asseverans non posse e dispersis elementis novam evenire vitam, sciat iam naturam probare contraria, saepissime enim mortem causam esse novae vitae. Exemplo affertur semen non germinare nisi fuerit dissolutum in terra. Sata autem et arbusta e putrefactis orta seminibus multo pulcriora fieri quam semina, e quibus orta sint. Itaque testari illa, quae mirabiliter in seminibus fiant, resurrectionis mysterium, quin etiam polliceri deum non solum id quod dissolutum sit in antiquum statum restituturum, sed etiam magna et praeclara naturae hominum additurum esse. Haec deprompsit Aeneas e dialogo de anima. (Aen. 62, 13 — 64, 9; Greg. de anim. 256 B—D.) Adhibendus etiam est locus haustus e commentatione composita de opificio hominis, quem quidem Aeneas admodum e nexu argumentationis excerpsit demonstrans praestantissimum testimonium resurrectionis esse hominem, quippe qui natus e parvula quadam informique materia fiat animal potentissimum dignissimumque admiratione:

62, 18 *Εἰ γὰρ τὴν ἀρχὴν ἡ μικρά τις καὶ ἀνείδεος ὑγρότης ὅλον ἄνθρωπον ἀπεκύησεν, οὐκ ἂν ἔτι θαυμάσαιμι, εἰ ὅλον τοῦ ἀνθρώπου τὸ σῶμα τοῖς στοιχείοις κατασπαρὲν οὐ πλέον, ἀλλ' αὐτὸ τὸ μέτρον ἀπέδωκεν.*

de opif. 118 *Καίτοι γε τὸ γνωριμώτατον τῶν ἡμετέρων ἐσιωπήσαμεν, αὐτὴν λέγω τὴν πρώτην τῆς συστάσεως ἡμῶν ἀφορμήν ... Τίς δ' ἂν μὴ τῇ κοινῇ φύσει τὸ τοιοῦτον μαθὼν δυνατὸν ἡγήσαιτο τὸ γιγνόμενον, ὅτι τὸ βραχύ τε καὶ ἀντ' οὐδενὸς ἐκεῖνο τοῦ τοσούτου πράγματός ἐστιν ἀρχή.*

Longum est totum locum afferre, qui exstat de anim. 256 B—D. Nonnulla solum afferam, quae maiorem praebent similitudinem:

63, 6 *ἀλλὰ γίγαρτον κατασαπὲν ὅλην ἐχορήγησε (τὴν ἄμπελον). Ποῖ τοίνυν τὸ στέλεχος ἐκρύπτετο; ποῦ δὴ τὰ μυρία φύλλα; ὁ δὲ καρπὸς ποῦ διελάνθανεν;*

de anima 256 C *Ποῦ τοίνυν ταῦτα τὰ περὶ τὸν σῖτον ἦν πρὸ τῆς ἐν τῇ βώλῳ αὐτοῦ διαλύσεως;*

64, 2 *Καὶ μὴν ταύτην τὴν ἀπιστίαν προανελὼν δημιουργὸς τοσαῦτα θαύματα παραπλήσια δίδωσιν, ὡς ἂν μηδὲ ἐκεῖνο ὕστερον ἄπιστον ὀφθείη ...*

de opif. 110 *Ἐπειδὴ γὰρ μέγα καὶ ὑπὲρ πίστιν ἦν τὸ κατὰ τὴν ἀναστασίαν θαῦμα, διὰ τῶν κατωτέρω τῆς θαυματοποιίας ἀρξάμενος ἠρέμα πως τὴν πίστιν ἡμῶν προσεθίζει τοῖς μείζοσι.*

Exstat in Gregorii dialogo qui inscribitur De anima locus, quo clarissimus ille vir ostendit iam Paulum apostolum omnia argumenta, quae obicerentur doctrinae christianorum de resurrectione refutavisse in celeberrima illa ad Corinthios epistula prima (I cap. XV, 35). Idem affert interpretaturque diligentissime totum illum locum. Simillima autem argumentatione atque Paulus usus est Aeneas. Itaque, cum evicerimus Aeneam mutuatum esse permulta a Gregorio, ex hoc loco non cogendum est eum legisse libros divinos. Ceterum nulla mihi occurrit similitudo cui confidere possimus. Unum locum inveni qui aliquid simile praebeat:

24, 14 *Οὐκοῦν μηδ' ὁ ἥλιος ἅπαντας* (bonum et malum) *θερμαινέτω, μηδ' ἡ γῆ καρπὸν ἅπασι φερέτω.*

Matth. V 45 *ὅπως γένησθε υἱοὶ τοῦ πατρὸς ὑμῶν τοῦ ἐν οὐρανοῖς, ὅτι τὸν ἥλιον αὐτοῦ ἀνατέλλει ἐπὶ πονηροὺς καὶ ἀγαθούς, καὶ βρέχει ἐπὶ δικαίους καὶ ἀδίκους.*

Redeamus autem ad propositum. Comparandus est ille locus Gregorii cum Aenea.

65, 11 *Ἢ οὐχ ὁρᾷς, ὅτι ὁ σῖτος, ὅταν αὐτὸν οἱ ἄνθρωποι σπείραντες γῇ κρύψωσιν, αὐτὸς μὲν ἐφθάρη καὶ ἐξεχύθη καὶ τέθνηκεν, ὁ δὲ δημιουργικὸς αὐτοῦ λόγος . . . ἀναζωπυρεῖ κατασβεσθέντα τὸν σῖτον.*

de anim. 255 B (= Paulus ad Corinth. I, XV 35) *Ἐρεῖς οὖν μοι. Πῶς ἐγείρονται οἱ νεκροί; ποίῳ δὲ σώματι ἔρχονται; Ἄφρον, φησί, σὺ ὁ σπείρεις, οὐ τὸ σῶμα τὸ γενησόμενον σπείρεις, ἀλλὰ γυμνὸν κόκκον, εἰ τύχοι, σίτου ἤ ἄλλου τινὸς τῶν σπερμάτων. Ὁ δὲ θεὸς δίδωσιν αὐτῷ σῶμα, καθὼς ἠθέλησεν.*

Quae similitudo exstat in illa dialogi parte qua Aeneas demonstrat, quomodo quaeque anima corpus receptura sit. Rationem autem argumentationis philosophus ille hausit e commentatione de opificio hominis demonstrans quidem nonnulla longe aliter atque Gregorius, ita ut videatur operam navavisse, ut meliorem redderet doctrinam quam accepisset. Itaque consentit quidem cum Gregorio corpus compositum esse e materia et forma illamque mutari et dispergi, hanc autem eandem semper esse.

65, 9 *Ἐξ ὕλης καὶ εἴδους τὸ σῶμα. Ἡ μὲν οὖν ὕλη φθείρεται καὶ διαλύεται, μένει δὲ σῶος καὶ ἄλυτος τοῦ εἴδους ὁ λόγος.*

de opif. 117 *Ἀλλοιοῦται μὲν γὰρ δι' αὐξήσεώς τε καὶ μειώσεως τὸ σῶμα, οἷον ἱμάτιά τινα, τὰς καθεξῆς ἡλικίας μετενδυόμενον. Ἕστηκε δὲ διὰ πάσης τροφῆς ἀμετάβλητον ἐφ' ἑαυτοῦ τὸ εἶδος.*

Contra Gregorius quidem demonstrat illud *εἶδος* (= substantiam, essentiam (corporis)) tantum coniunctum esse cum

divina parte animae, substantiam autem illam mutari materiae statu, itaque colligendum esse animam, quippe quae iam coniuncta sit cum essentia illa, facile recognituram esse elementa corporis, quae quidem effecerint, ut essentia ea fuerit quae facta sit (de opif. 117, 118). Aeneas autem illam speciem iam per se pronuntiat, ubi tempus praestitutum advenerit, collecturam et in antiquum statum restituturam esse corporis elementa, quo facilius anima ea recognoscat (65, 9 — 66, 6). Quamquam igitur valde inter se dissentiunt, tamen simillimo exemplo testantur doctrinam suam:

66, 6 *Καὶ αὐτὸς ὁ συγκαλῶν θεὸς ἑκάστην ψυχὴν πρὸς τὸ οἰκεῖον ἐκπέμπει καὶ διαχωρίζει καὶ διανέμει, καθάπερ οἱ παρ' ἡμῖν ἀγαθοὶ νομεῖς, οἳ μυρίων ὄντων τῶν βοσκημάτων διακρίνουσι ῥᾳδίως ᾗ χρὴ ἕκαστα, καὶ οὐ δέος μή ποτε συνταραχθείη.*

de opif. 116 *Εἶδές που πάντως ἐν ταῖς ἀνθρωπίναις οἰκήσεσι κοινὴν ἀγέλην ζώων τινῶν ἐκ κοινοῦ συνισταμένην. ἀλλ' ὅταν πάλιν πρὸς τοὺς κεκτημένους αὐτὴ καταμερίζηται, ἥ τε πρὸς τοὺς οἴκους συνήθεια καὶ τὰ ἐπικείμενα σημεῖα τὸ ἴδιον ἑκάστῳ ἀποκαθίστησι.*

In sequente parte argumentationis ambo philosophi inter se consentiunt. Uterque enim demonstrat naturam ipsam fateri fieri posse facillime, ut anima colligat rursus elementa corporis undique dispersa. Nam ut ex uno umore unumquodque arbustum id solum eligat, quod sibi utile sit, ut vim in semine abditam patefaciat, ita animam ex elementis ea solum collecturam esse, quae iam antea in corpore eius fuerint. (Aen. 66, 10—20, Greg. de opif. 118.) Hausit etiam exemplum Aeneas e Gregorio, quamquam valde mutatum. Gregorius enim comparat elementorum dispersionem cum diffluente argento vivo, quod quidem cum nullo alio corpore misceatur, si autem colligeretur, in unum conflueret purum, ut fuit antea; ita elementa corporis confluere in unum iussu dei mota. Aeneas contra contentionem facit inter Achillem aeneum vetustate solutum temporis et dispersum, cuius aere servato artifex quidam usus est novumque fecit Achillem mutans speciem materiae ita, ut ex aeneo aureus factus esse videatur, contentionem dico facit inter Achillem

illum et hominem, quippe qui resurrecturus sit de mortuis multo pulcrior et praestantior quam fuerit in priore vita:

66, 22 οἷον εἰ Ἀχιλλεὺς σταίη χαλκοῦς, λυθείη δὲ τῷ χρόνῳ οὗτος ὁ Ἀχιλλεύς, καί τινες τὸν χαλκὸν ἠμελημένον λαβόντες καὶ κατακερματίσαντες πανταχοῦ διασπείρωσι . . . κτλ.	de opif. 118 Λέγεται δὲ καὶ ὑδράργυρον προχεθεῖσαν τοῦ περιέχοντος καθ' ὑπτίου τινὸς καὶ κονιορθώδους χωρίου εἰς λεπτὰ σφαιρωθεῖσαν κατὰ τὴν γῆν διασκίδνασθαι, πρὸς οὐδὲν τῶν ἐπιτυχόντων ἐμμιγνυμένην, εἰ δέ τις πάλιν τὰ πολλαχῇ κατεσπαρμένα εἰς ἓν συναγείρειεν, αὐτομάτως ἀναχεῖσθαι πρὸς τὸ ὁμόφυλον, οὐδενὶ μέσῳ πρὸς τὴν οἰκείαν μίξιν διεγειρομένην.
67, 5 . . οὕτω τῶν σωμάτων ἡ ὕλη τὸ βαρὺ καὶ κεχυμένον καὶ θνητὸν διαφυγοῦσα τῇ τοῦ δημιουργοῦ φιλοτιμίᾳ καὶ τέχνῃ καθαρὰ καὶ κούφη καὶ ἀθάνατος γίγνεται.	de anima 230 D ὄψει γὰρ τοῦτο τὸ σωματικὸν περιβόλαιον τὸ νῦν διαλυθὲν τῷ θανάτῳ, ἐκ τῶν αὐτῶν πάλιν ἐξυφαινόμενον, οὐ καὶ τὴν παχυμερῆ ταύτην καὶ βαρεῖαν κατασκευήν, ἀλλ' ἐπὶ τὸ λεπτότερόν τε καὶ ἀερῶδες, κατακλωσθέντος τοῦ νήματος, ὥστε σοι καὶ παρεῖναι τὸ ἀγαπώμενον καὶ ἐν ἀμείνονι καὶ ἐρασμιωτέρῳ τῷ κάλλει πάλιν ἀποκαθίστασθαι.

Praeter scriptores quos modo tractavi Aeneas nominatim affert Hieroclem (1, 8, 2, 13) Heraclitum (5, 4, 8, 15) Empedoclem (5, 10, 6, 3, 8, 15) Pythagoram (5, 16, 8, 14, 9, 6, 38, 23, 54, 7) Harpocrationem (12, 3) Boethum (12, 8) Numenium (12, 4) Porphyrium (12, 11, 14, 17, 51, 15) Iamblichum (12, 11, 14, 18) Syrianum (14, 12) Proclum (14, 13) Apollonium Cappadocem (18, 24, 19, 21) Ctesiam (19, 4) Arrianum (19 16) Hieroclem qui ab eo dicitur „οὐχ ὁ διδάσκαλος, ἀλλ' ὁ προβαλλόμενος τὰ θαυμάσια" (19 21), Hippocratem medicum (34, 7) Anaxagoram (52, 23) Atticum (53, 3) Pythagoram

Rhodium (61, 5) Pindarum et Herodotum (72, 2. 3) Theopompum (72, 25). Quorum cum opera partim amissa sint, ex eis autem quae ad nostram pervenerunt aetatem certe cognosci non possit Aeneam eis usum esse, cautio adhibenda est ne putemus Aeneam opera illorum legisse, praesertim cum nonnulla testentur eum iam apud alios scriptores invenisse sententias et nomina a se commemorata. Itaque quae dicit p. 5—7 de Heraclito, Empedocle, Pythagora, Platone, e Plotino eum hausisse iam antea (p. 22) demonstravimus. Ex eodem fonte fluxerunt quae dicuntur de Heraclito et Empedocle 8, 15 et de Anaxagora 52, 23; similiter quae exstant p. 11—12 de Plotini, Platonis, Porphyrii, Iamblichi dogmatis e fonte communi Aeneae et Nemesii (qui alibi quoque easdem profert sententias atque Aeneas[1]) hausta esse constat e similitudine quae inter argumentationem utriusque philosophi exstat. Uterque enim initium facit a Platonis de animarum in alia corpora transitu doctrina, tum dicit maximam esse inter Platonicos dissensionem nonnullis homines in bestias mutari putantibus, nonnullis asseverantibus non bestiarum corpora eos assumere sed forma animae servata homines mores solum animalium accipere. Quamquam igitur probationis genus simillimum est apud utrumque, tamen singula plurimum inter se dissentiunt. Aeneas affert nomina Plotini, Harpocrationis, Boethi, Numenii, quae desunt in Nemesio, Nemesius contra solus appellat Theodorum et Cronium. Brevi post Aeneas Porphyrium et Iamblichum idem dixisse confirmat, Nemesius eos inter se dissentientes facit. Quae cum ita sint, Aeneam non e Nemesio sed e fonte communi cum Nemesio hausisse puto.

---

[1]) Comparandi sunt loci Aen. 22, 16 Nem. De nat. nom. 314, Aen. 21, 1 Nem. 351, Aen. 24, 22 Nem. 53, Aen. 27, 3 Nem. 362, Aen. 28, 10 Nem. 362, Aen. 29, 1 Nem. 361, Aen. 33, 3 Nem. 335, Aen. 34, 1 Nem. 321, Aen. 37, 14 Nem. 353.

II.

De ratione quae inter codices dialogi Aeneae Gazaei intercedit.

Servati nobis sunt septem codices dialogi graeci interpretatioque latina facta ab Ambrosio Traversario e codice hodie deperdito.

1. **Monacensis graecus** 564 olim Augustanus[1]) (= M), unus e codicibus anno 1545 emptis ab Antonio Eparcho Corcyraeo (in catalogo codicis Vindobonensis latini 9734 est n. 80, 81)[2]) bombycinus formae quartae foliorum 355 saec. XIV. continet: *Ἀρχὴ τῶν τοῦ Πολυδευκους ὀνομαστικῶν.* fol. 104 *Ἐκ τῶν Αἰλιανοῦ περὶ ζώων ἰδιότητος.* fol. 247 *Ἀρχὴ σὺν θεῷ τῶν Τρωικῶν.* fol. 257 *Εἰς τὸν ἅγιον Θεόδωρον ἐπὶ τῷ θαύματι τῶν κωλίβων.* fol. 260 *Τοῦ φιλῆ εἰς τὸν κατὰ πάθους μοναχὸν λαβὸν τὸν κείμενον ἐν τῇ πηγῇ.* fol. 261 *Τοῦ αὐτοῦ εἰς τὸν αὐτοκράτορα βασιλέα.* fol. 262 *Ἱστορίαι γραμματικοῦ ἰῶ. τοῦ τζέτζου ὧν ἐμνήσθη ἐν μίᾳ τῶν αὐτοῦ ἐπιστολῶν.* fol. 295 *Μῦθοι τοῦ Αἰσώπου κατὰ στοιχεῖον.* fol. 322 *Αἰνείου σοφιστοῦ διάλογος ὁ Θεόφραστος.* fol. 338 *Ἱμερίου σοφιστοῦ ἐπιθαλάμιος.* fol. 341 *Τοῦ αὐτοῦ πολεμαρχικός.* fol. 345 *Εἰς βασιλέα παναθηναίοις ἀρχομένου τοῦ ἔαρος.* fol. 346 *Τοῦ θεοστυγοῦς Ἰουλιανοῦ συμπόσιον ἢ κρόνια.*

Dialogum antecedit laudatio sex versuum in honorem Aeneae forsitan facta ab Artago quodam, quia nomen *Ἄρταγος* ex primis cuiusque versus litteris componitur[3]):

Αἰνείου πόνος οὗτος, ὃς ἔξοχος ἀτθίδι μούσῃ
Ῥητόρων (legendum est *ῥητήρων*) *γεγαὼς καὶ*
θειοτέροις ἐνὶ μύθοις

[1]) Catal. cod. Bibl. Monacensis ed. Ign. Hardt Mon. 1812 V p. 426.

[2]) Weinberger Griech. Hdschr. des Antonius Eparchus, Festschrift für Gomperz p. 306.

[3]) Seitz, Schule von Gaza, Diss. Heidelberg. 1892 p. 25.

Τοὺς νῦν καὶ τοὺς πρόσθε παρέδραμεν, ὡς τόδε γράμμα
Ἀτρεκέως ἤλεγξε μηκέτι πυκνή[1]).
Γάζα μέγα φρονέοις, ὅτι τοίον πατρὶς ἐτύχθης,
Ὅστις καὶ ῥητῆρ' Ἐπιφάνιον ἐξεδίδαξεν.

Sequuntur dialogi lemmata novem. Folia 330, 331 altera manu non multo recentiore suppleta sunt loco folii unius codicis vetusti (p. 46, 2 *ἀθάνατον* — 52, 8 *αὐτὴν*). Praeter hanc manus correctrix cernitur altera eiusdem fere temporis, quae usa est atramento fusco. Contuli.

2. Codex **Marcianus** 496[2]), olim Bessarionis (= V) membranaceus formae quartae maioris saeculi decimi aut undecimi. Continet fol. 1[a] *τοῦ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν γρηγορίου ἐπισκόπου νύσης πρὸς τὰ ἀπολιναρίου ἀντιρρητικός.* f. 29[b] *εὐσεβίου τοῦ παμφίλου τῶν κατὰ Μαρκέλλου τοῦ ἀγκύρας ἐπισκόπου λόγος α̅.* f. 48[a] *τῷ τιμιωτάτῳ καὶ ἀγαπητῷ συλλειτουργῷ φλακίλλῳ εὐσέβιος ἐν κυρίῳ χαίρειν.* f. 92[a] *διάλεκτος ἀδαμαντίου τοῦ καὶ ὠριγένους περὶ τῆς εἰς θεὸν ὀρθῆς πίστεως.* f. 125[b] *ζαχαρίου μιτυλήνης ὁ διάλογος ἀμμώνιος ὅτι οὐ συναΐδιος τῷ θεῷ ὁ κόσμος.* f. 143[a] *αἰνείου σοφιστοῦ διάλογος θεόφραστος ὅτι οὐκ ἔστιν ἀνθρώπων προβιοτὴ καὶ ὅτι ἀθάνατος ἡ ψυχή.* f. 160[b] *θεοφίλου πρὸς αὐτόλυκον.*

Quem codicem duae correxerunt manus atramento fusco et subnigro usae. Contuli.

Eadem opera atque codex Marcianus scriptorum ordine servato praeter Antirrheticum Gregorii Nysseni continet

3. codex **Oxoniensis Bodleianus** (= O) Miscellaneus 25 (olim 1040) chartaceus[3]) in folio ff. 286. saeculi decimi sexti [Auct. E 1, 11] f. 213 *Αἰνείου σοφιστοῦ διάλογος θεόφραστος, ὅτι οὐκ ἔστιν ἀνθρώπων προβιωτὴ καὶ ὅτι ἀθάνατος ἡ ψυχή.*

Quem codicem e codice Marciano derivatum esse iam Klostermannus in Eusebio, Otto in Theophilo demonstraverunt firmaturque locis, quos mihi Ricardo Foerstero auctore A. B.

---

[1]) E. Rohde (Seitz l. l.) coniecit *ἤλεγξε πονηθὲν μήτιδι πυκνῇ.*

[2]) Zanetti, Graeca D. Marci bibl. cod. mss. 1740. E. Klostermann, Eusebius IV Lips. 1906 p. XVI 33.

[3]) Catal. Cod. Mss. bibl. Bodleianae I. H. O. Coxe. Oxon. 1855. Klostermann l. l.

Poynton cum Boissonadii editione liberaliter comparavit et eo, quod titulus in utroque codice idem fere est (O. vero erravit cum *προβιωτῇ* pro *προβιοτῇ* praebuit).

1. O consentit cum V contra M

35, 6 *ὕλης* OV *βλάβης* M

35, 9 *κατέσπειρε* OV *ἐγκατέσπειρε* M

35, 14 *καὶ ἐπιστήμην* quae exstant in M, om. OV

2. OV consentiunt inter se contra ceteros codices (praeter codicem M)

35, 3 *διεκόσμησεν μὲν τὴν* OV (et M) *διεκόσμησε τὴν* cet.

35, 13 *εἴτε ἄμεινον εἴτε μὴ* OV (et M) *οὔτε ἄμεινον οὔτε μὴ* cet.

Locis, quibus O et V inter se dissentiunt, falsa lectio est in O:

35, 6 *προσεκέρδανε τῆς γενέσεως τὴν πεῖραν* omisit O, quae sunt in ceteris codicibus.

4. Codex **Parisinus gr. 460**[1]) saec. XVI. chartaceus 220 foliorum exaratus a Constantino Palaeocappa (= A) continens Origenis dialogum contra Marcionistas, Maximi Tyrii quid sit deus secundum Platonem, Zachariae scholastici dialogum de opificio mundi. f. 169 *Αἰνέσου σοφιστοῦ διάλογος Θεόφραστος. Ἔλεγχος τῆς παρ' Ἕλλησι λογομαχίας.* f. 218 Preces ante communionem dicendas. f. 1^r^ Ex Bibliotheca Gilberti Gaulmini Molpinensis cod. XL. Antea fuit codex Georgii d'Armagnac, tum Caroli de Montchal, denique Telleri. Contuli.

5. Codex **Parisinus gr. 461**[1]) chartaceus f. 207 descriptus ab eodem Constantino Palaeocappa (= F) teste subscriptione fol. 207^{v} in calce *Παχώμιος μοναχὸς ἐν τῇ τῆς σεβασμίας λαύρας μονῇ* ceteris a bibliopego recisis[2]). (Boissonadius falso legit *ἐν τῷ . . μοναστηρίῳ.*) Continet Origenis dialogum contra Marcionistas et: *Αἰνέσου σοφιστοῦ διάλογος Θεόφραστος. Ἔλεγχος τῆς παρ' Ἕλλησι λογομαχίας.* Fuit olim in bibliotheca regia Fonteblandensi. Contuli.

6. Codex **Parisinus gr. 1058**[1]) chartaceus saec. XVI ab eodem Palaeocappa exaratus (= B). Continet unicum Aeneae dialogum:

---

[1]) H. Omont invent. sommaire des mss. gr. de la Bibl. Nationale Paris 1898.

[2]) In codice 458 exstat in fine dialogi Zachariae Mitylenaei subscriptio integra: *Παχώμιος μοναχὸς ἐν τῶ τῆς σεβασμίας Λαύρας μοναστηρίῳ αωφμάω* (1541). Boiss. p. 156.

Αἰνέσου Πλατωνικοῦ χριστιανοῦ διάλογος Θεόφραστος. fol. 106. Picturis est ornatus. Fuit olim in bibliotheca Bethunii, postea Regia.

Fol. 3[r] arma Lotharingiae coronata insignibus cardinaliciis docent codicem exaratum esse in usum Caroli I. cardinalis Lotharingiae, archiepiscopi Remensis etc. nati anno 1524, die 27 mensis Iulii a. 1547 purpura ornati. Quamquam enim etiam avunculus eius Ioannes cardinalis Lotharingiae fuit (ab anno 1518 usque ad 1550), tamen Carolo codicem dandum esse ob eam rem puto, quod Palaeocappae commercium fuisse cum Carolo traditum est. Codex enim Paris. gr. 1057 continet dedicationem Palaeocappae ad eundem versusque graecos in honorem eius factos; codex Paris. gr. suppl. 143 ornatus est tribus locis armis cardinalis[1]). Quae inveniuntur etiam in codice Aeneae (fol. 4[r]). Itaque eum scriptum esse efficitur inter mensem Augusti anni 1547 et Martium anni 1551, quo tempore eum mortuum esse Hercules Girlandius tradidit[2]). Contuli.

7. Codex **Bruxellensis** 31 (11373)[3]) chartaceus formae quartae minoris foliorum 131 (= D). Nihil continet nisi Aeneae dialogum. f. 2[r] *Αἰνέσου σοφιστοῦ διάλογος.* Saeculi est decimi sexti ab Iacobo Diassorino scriptus. Fol. 1[v] exstat dedicatio facta Adriano Amerotio († 1560) *Εἰς τὸν εὐσεβέστατον καὶ ἱεροπρεπέστατον ἄνδρα κύριον Ἀδριανὸν ἀμερότιον σοφώτατόν τε καθηγητὴν καὶ νουνεχέστατον.*

Ἀδριανέ, ξείνου ἀνδρὸς τόδε λάζεο δῶρον
Κερκαφίδου Δαναοῦ, εἴγε μικρὸν τελέθει.
τυτθὴ μὲν δέλτος, ζητήματα δ' ἔστιν ἐν αὐτῇ
πίστεος ἀκραιφνοῦς ἄξια σῇ πραπίδι.
Ζεὺς γὰρ ἀεὶ προσάγει παραπλήσιον εἰς τὸν ὁμοῖον,
ὡς ἡ Μαιονίδου φθέγξατο Καλλιόπη[4]). (Od. ρ 218.)

---

1) Pulch, Hermes XVII p. 188 ff.

2) *Τριώδιον* in Aedibus Christophori Zanetti impensis vero Domini Damiani de Sancta Maria. Mense Martis 1551. Cf. Leopold Cohn, Philol. Abh. Martin Hertz zum 70. Geburtstage, Berlin 1888, p. 124.

3) H. Omont, Catal. des mss. grecs de la bibl. royale de Bruxelles in Revue de l'instruct. publ. en Belgique 27, 1884, p. 373.

4) Eadem sententia exstat in carmine dedicatorio a Palaeocappa ad Carolum cardinalem in codice Parisino gr. 1057 facto (Pulch. l. l. p. 190: „Homer habe Recht, wenn er sagt, dass Gott gleich und gleich zu einander geselle").

Μύστην οὖν θεορημοσύνης τόνδ', ἱεροφάντορ,
ξεινίσας ξενικῶς δέχνυσο εὐμενέως.

Ἰάκωβος διασωρῖνος ἕλλην ῥόδιος.

Contuli.

Praeter codices graecos exstat etiam interpretatio latina Ambrosii Traversarii († 1439) e codice quodam nobis ignoto facta (= T). Cuius interpretationis codices multos habemus, e quibus nominasse satis habeo codices Laurentianos St. Crucis Plut. XIII dextr. XII, Plut. LIV cod. 20, Plut. LXXXIX sup. cod. 73 scriptum manu Nicolai Ugolini in insula Chio anno 1473, Riccardianum, Marcianum append. cod. XXXVIII, Bodleianum cod. Miscell. 665.

In epistulis[1]) suis Traversarius nonnunqum commemorat[2]) interpretationem, sed non ita, ut cognoscatur, quando facta sit. Notandum autem est codicem, quo usus est, graecum, iam manus eius iniisse valde corruptum (ad ducem Venetorum Franciscum Foscarum VI, 12 ... *quando Aeneas ille nisi truncus non inveniatur apud nos).* Re vera interpretatio quoque parum integra est, ordoque rerum confusus. Desunt enim in ea p. 23, 8—32, 11 et 48, 23—49, 19, p. 23, 8 sequuntur 58, 18—67, 9 tum demum 32, 11 usque ad finem, omissis iis quae antea exstant.

Editio princeps: Aeneas Gazaeus Platonicus. De immortalitate animorum latine vertit Ambrosius Camaldulensis, Venetiis per Alex. de Paganinis 1513 facta est.

---

[1]) Ambrosii Traversarii latinae epistolae a domino Petro Camneto, adcedit eiusdem Ambrosii vita a Laurentio Mehus, Florentiae ex typographio Caesareo MDCCLIX. — Cf. ep. XIII, 31 ad Michaelem monachum *Petivimus abste et volumen illud graecum ubi est Aeneae dialogus, quem ipsi traduximus* (quae scripta est anno 1438) et imprimis XXIII, 11 ad Andreolum Iustinianum.

[2]) Cf. Augustini Iustiniani epist. ad Philippum Saulum (1513) *„Quum vero Ambrosius Camaldulensis monachus, unus de instauratoribus latinae linguae, rediens e peregrinatione Constantinopolitana, quam literarum gratia cum Guarino et Philelpho obierat, forte fortuna in insulam nostram Chium divertisset ... exceptus honorifice apud avum non prius ab eo discessit, quam illi libellum pulcherrimum de animorum immortalitate de graeco in nostrum verterit sermonem“.* Negat autem Mehus Ambrosium unquam fuisse in Oriente (l. l. II 105) *„qui Orientem nunquam cogitavit ... Quae quidem allegorica dicta non indicant Trav. peregrinationem in Graeciam, quam nunquam suscepit, sed ...“*

Codices graeci et interpretatio Traversarii in duas discedunt classes, quarum prior continetur codicibus MT, altera VOAFBD.

	VAFBD	MT
5, 12	*ὑπὸ δὲ σοφίας — οἰωνός τε*	om.
6, 10	*καὶ ἐπειδὰν — δύναται*	om.
61, 5	*ὁ γοῦν Πυθαγόρας — εἶναι τὸ φάσμα*	om.
78, 6	*οὐδὲ τὸν υἱὸν — τῷ Κρόνῳ*	om.

Contra nonnulla exstant in MT, quae desunt in ceteris:

13, 7 *καὶ μάτην εἰς μέσον παρεισφέρεται* M	*ac nequiquam in medium adduci* T
63, 22 *καὶ τὸ ὄρνεον ὁ φοῖνιξ εἰς πεντακόσια ἔτη βιῶναι λέγεται. τηλευτήσας δὲ καὶ ὅλως διαχυθεὶς, αὖθις ἀνεβίωσε* M	*Praeterea et phoenix avis ultra quingentos annos vivere dicitur; ea vero ubi mortua fuerit ac resoluta, denuo reviviscere putatur* T

Saepissime etiam consentiunt M et T inter se locis, quibus ceteri aliam praebent lectionem:

5, 6 *ἐπεὶ κάματος ἐπὶ τοῖς αὐτοῖς ἄνω μοχθεῖν καὶ τοῖς θεοῖς συμπεριπολεῖν καὶ ἄρχεσθαι* M	*esse enim laboris immodici in eisdem supernis licet sedibus perpetuo degendo fatigari et cum diis conversari iugiter eisque subici* T

Ceteri praebent: *ἐπεὶ κάματος αὐτῇ τῷ δημιουργῷ συνέπεσθαι καὶ ἄνω μετὰ τοῦ θεοῦ τόδε τὸ πᾶν συμπεριπολεῖν καὶ ὑπ' ἐκείνῳ τετάχθαι καὶ ἄρχεσθαι*

18, 15 *οὔτε εἰ ἀηδόνι ἢ ἰκτίνῳ συνηκολούθεις* M	*lusciniam an milonem sequereris* T
cet. *εἰ κύκνῳ ἢ ἰκτίνῳ συνηκολούθεις*	

T autem non fluxit ex M, saepe enim praebet eandem lectionem atque VAFBD.

M	T	VAFBD
2, 20 *ὑποκρινόμενος ὀρχήστρα*	*non novit. Atque saltatorius*	*ὑποκρινόμενος καὶ ὀρχήστρα*
1, 7 *ἢ οὐ μέμνησαι τοῦ Ἱεροκλέους καὶ τῆς Ἱεροκλέους φιλοσοφίας*	*an vero non meministi Hieroclis philosophiae*	*ἢ οὐ μέμνησαι τῆς* (desid. *τῆς* in V) *τοῦ Ἱεροκλέους φιλοσοφίας*

M	T	VAFBD
9,14 αὐτῷ τ' ἀληθές.	*ipsum fontem*	αὐτὸ τ' ἀληθὲς
46,16 ἅς σὺ μὲν οὐκ ἀριθμήσεις, θεὸς δὲ	*quas tibi innumerabiles deus numeratas habet*	ἅς σὺ μὲν οὐκ ἀριθμήσεις, θεὸς δὲ ἠρίθμησεν
51,2 οὐσίας συνέταττε καὶ πεποίηκεν	*substantias ante tempora condidit atque constituit*	οὐσίας πρὸ τοῦ χρόνου πεποίηκεν καὶ συνέταττεν
51,20 οὐ γὰρ πρὸ τῆς ὕλης ποίημα	*neque enim est ante materiam, quod ex materia sumpsit initium*	οὐ γὰρ πρὸ τῆς ὕλης τὸ ἐκ τῆς ὕλης ποίημα
51,25 αὐτός τέ ἐστι	*atque tangibilis*	ἁπτός τέ ἐστι (V -ιν)
70,20 πρὸς ὃ τὸ πρῶτον ἐλάνθανεν ἔχουσα	*cui primo clam familiaris erat*	πρὸς ὃ τὸ πρῶτον ἐπιτηδείως ἐλάνθανεν ἔχουσα.

Quibus locis T = VAFBD semper probam affert lectionem. Contra M non fluxit e codice quem Ambrosius usurpavit. Iam praetereo quod plurimis locis Ambrosius aliud praebet atque codices graeci. Certum enim est interpretem non satis accurate verba reddidisse graeca. Nonnulla eiusmodi afferam:

10,12 et 14,5 verba Aegypti Ambrosius tribuit Euxitheo.
16,4 non interpretatus est τελευτήσαντας.
16,12 deest ὁ γὰρ τῶν ἰχθύων δεσμὸς — 16,14 ψυχαῖς ἐλευθερία γίγνεται in T.

Maius momentum habet, quod Ambrosius loco verborum 48,28 — 49,20, quae exstant in omnibus codicibus, pauca solum inseruit „*non puto equidem, sed certo scio*". Non enim ille vir, qui ceterum optime munere interpretis functus est, tantam dialogi partem facilem intellectu omisisset locoque eius verba inania posuisset, nisi iam in exemplari ipsius defuissent.

Altera classis in duas distinguitur familias, quarum prior continetur codice V, altera codicibus AFBD.

	V	AFBD
10,15	ἔτι	ἐπὶ
10,18	ὦ Εὐξίθεε	om.

31, 15	*μεταβάλλειν*	om.
37, 7	*ἁρμονίας γὰρ*	*ἁρμονίας δὲ*
59, 10	*ἤ*	om.
60, 5	*καὶ οὐ γελοῖον*	*καὶ γελοῖον.*

Omnibus his locis AFBD pravam praebet lectionem.

	V	DAFB
7, 9	*Εὐδαίμον εἶ*	*Εὐδαίμων εἶ*
31, 21	*φθονῶδες*	*φθινῶδες.*

Lectio AFBD proba est.

Loci, quibus A et F inter se dissentiunt, ostendunt neque A ex F neque F ex A derivatum esse sed utrumque codicem ex eodem fluxisse fonte.

	A	F
16, 14	*ἀφύων*	*ἀφυῶν*
16, 17	*ὅτω*	*οὕτω*
30, 8	*ῥώμη*	*ῥώμης*
31, 2	*προδιήμαρτε*	*προήμαρτε*
37, 1	*οὐδὲν*	*οὐδεὶς*
40, 12	*τόνδε τὸν ἀγῶνα*	*τόνδε ἀγῶνα*
44, 4	*ἐναργῆ*	*ἐναργίαι*
50, 16	*δημιουργῆ*	*δημιουργεῖ*
60, 10	*ὥσπερ ἀγέλην*	*ὥσπερ τὴν ἀγέλην*
71, 6	om.	*καί.*

Modo praeferenda est lectio codicis A modo codicis F. Itaque etiam codex A in monte Atho scriptus est.

75, 17 praebent VAF *τοιαῦτα καὶ γενήσεται.* BD *τοιαῦτα πλεῖστα καὶ γέγονε καὶ γενήσεται.* Aeneas hoc loco Euxitheum dicentem facit: *Ταῦτα μὲν παρ' ἡμῖν· γέγονε* [*δὲ* M] *καὶ ἄλλοθι* [*ἀλλ' ἄττα* M] *τοιαῦτα* [*πλεῖστα καὶ γέγονε* BD] *καὶ γενήσεται.* Ambr. „*Ista quidem apud nos; caeterum alia huiusmodi plurima et facta sunt et postea fient*". Habuit igitur Ambrosius in exemplari, quae reperiuntur in M fortasse aucta verbo *πλεῖστα.* Si corrector codd. BD habuisset codicem graecum, intellexisset illud *γέγονε* non respicere ad *ταῦτα μὲν παρ' ἡμῖν*, sed ad *καὶ ἄλλοθι* addidissetque *δὲ.*

50, 14 *δύναμιν αὐτόλογος* VAF *δύναμιν διηγήσεται αὐτόλογος* M *at substantiam virtutemque patris enuntiat* T *δύναμιν δηλώσῃ αὐτόλογος* BD.

Lacunam, quae fuit in codicibus classis alterius corrector codd. BD explevit accuratissime Ambrosii *enuntiat* graeco sermone reddens.

3, 11 *παρ' ἐκείνου μάθοις* AFMV *παρ' ἐκείνου γὰρ μάθοις* BD *is enim te* T

53, 26 *οὐ γὰρ ἅμα δεῖν πάντα* AFV *οὐ γὰρ ἅμα ἐστὶ πάντα* BD *οὐ γὰρ ἅμα δὴ π.* M *non enim simul sunt omnia* T

70, 15 *φλόγα* AFMV *φλόξ* BD *ita ut ex ea ignis et flamma consurgat* T.

Alibi BD contra auctoritatem reliquorum codicum et interpretationis latinae inter se consentiunt.

18, 23 *παρὰ τοῦ Πλούτωνος ἀκηκοέναι λέγων* [*λέγοντος* BD] *ὡς ἀθάνατος ἡ ψυχή* *a Plutone se audisse memorabat* T

55, 1 *καὶ τὸν ὅλον διαλύειν* [*διὰ λύσιν* D *διάλυσιν* B] *προδιώρισεν* *totum simul solvere — praedestinavit* T

	BD	VMAF
6, 10	*προσπελάσασαν*	*προσπελάσασα*
7, 6	*τοῦτον*	*οὕτω.*

Ceterum nonnunquam B solus praebet coniecturam.

38, 8 *φοβερὸς ἡ νόσος* B *φοβερὸν ἡ νόσος* cet. *morbus formidabilis* T

51, 11 *ἐγείρει τε καὶ* cet. *ἐγείρει τε γὰρ καὶ* B

50, 14 *καὶ τῷ νοεῖν* MV *καὶ τὸ νοεῖν* AFBD *τῷ* suprascr. B *intelligentiae ratione* T.

Semel invenitur in D coniectura quae non exstat in B.

61, 16 *ἀλλὰ καὶ τὸ* D *ἀλλὰ τί* cet.

Accedit quod duobus locis quae in D inserta sunt in dialogum exstant ad marginem adscripta in B:

32, 10 *τάττει καὶ τὸν μὲν* D *τάττει· τὸν μὲν* MVAF in B *καὶ* additum in marg.

42, 23 *εἶναι ἔφασαν καὶ* D *εἶναι καὶ* MVAF *ἔφασαν* in marg. B.

Itaque apparet scribam codicis Bruxellensis (Diassorinum) coniecturas Palaeocappae transscripsisse.

Non autem uno codice B usus est Diassorinus. Nonnunquam enim cernuntur lectiones probae in D locis, quibus in B corruptelae exstant.

24, 18	τόκον VMAFD	κόσμον B
50, 17	ἅμα τῷ τόκῳ	ἅμα τῷ κόσμῳ B
71, 1	ἡδέως	ἰδέως B

38, 8, 51, 11 iam antea attuli.

Quem codicem a Diassorino adhibitum aut A aut F fuisse sequitur ex eo quod 18, 22 loco probae lectionis codicis B ex T receptae codex D inseruit falsa, quae non exstant nisi in AF (*Πλούτωνος* MVTB, *Πλάτωνος* AFD).

Non exiguae varietates exstant inter AF et B.

	AF	B
6, 10	προσπελάσασα	προσπελάσασαν
7, 6	οὕτω	τοῦτον
10, 12	ἢ	εἰ
18, 23	λέγων	λέγοντος
38, 3	φοβερὸν	φοβερὸς
50, 17	τόκῳ	κόσμῳ.

Lectiones codicum AF probae sunt.

14, 18	εἰς κτινώδη	ἰκτινώδη
20, 5	ἀναμνημονεῖ	ἀμνημονεῖ.

Lectiones codicis B probae sunt.

Tamen codicem B ad AF redire puto.

Iam enim, ut omittam verisimile non esse Palaeocappam tertio codice e fonte codicum AF profecto, qui nunc neque in antiquis neque in recentibus bibliothecis Galliae invenitur, usum esse, sprevisse autem codices a se ipso in Galliam allatos (hic enim, non in monasterio S. Laurae B scriptum esse supra (p. 45) ostendimus), lectiones diversae, quae reperiuntur inter B et AF, non magni putandae sunt, praesertim cum iam demonstraverimus Palaeocappam non ut librarii plerique solent unum exemplar transscripsisse sed ut editor interpretationem latinam adhibuisse, ut verba scriptoris a sordibus corruptelarum purgaret.

Denique, quod mihi maximi momenti videtur esse, nonnullis locis, quibus nunc B et AF inter se differunt, codex

B correctus est ita ut nonnunquam cernatur scribam inter exarandum lectionem quam falsam esse putabat mutavisse.

9, 7 *οἴγε* omnes codices *γρ. εἴγε* F *εἴ* superscripsit B
10, 12 *εὐδαιμονίην* F *εὐδαιμονοίην* cet. *ο* inter *ν* et *ι* postea inseruit B
10, 19 *χρησμοδῶν* AF *χρησμωδῶν* cet. *ω* ex *ο* correxit B
11, 14 *μετασχιματίζεται* AF *μετασχηματίζεται* cet. *ι* mutatum in *η* in B
38, 11 *Λήδαν* AF *Λήδας* B sed *ας* in rasura.

Palaeocappam autem ambos codices adhibuisse ex eo constat, quod modo lectiones codicis A modo codicis F praebet.

	A	BF
16, 17	*ὅτω*	*οὕτω*
23, 8	*ἢ τίνα*	*ἤ τινα*
48, 9	*τοσούτων*	*τοσοῦτον*
50, 16	*δημιουργῇ*	*δημιουργεῖ*
	AB	F
30, 8	*ῥώμη*	*ῥώμης*
37, 1	*οὐδὲν*	*οὐδεὶς*
44, 4	*ἐναργῆ*	*ἐναργίαι*
60, 10	*ὥσπερ ἀγέλην*	*ὥσπερ τὴν ἀγέλην.*

V correctus est duabus manibus, quarum prior usa est atramento fusco (= f), altera subnigro (= s). Utraque adhibuit codicem simillimum quidem Parisinis, continentem autem paucis locis (quibus V = ABFD) lectionem codicis Augustani itaque fluxisse videtur e codice quodam classis alterius aucto lectionibus classis prioris.

	V = M	f = ABF
7, 1	*κόσμῳ δεικνύναι*	*κόσμῳ αὐτοῦ δεικνύναι*
39, 13	*καὶ ἀήδεις*	*καὶ οἱ ἀήδεις*
52, 11	*ἀντιστατοῦν τῷ*	*ἀντιστατοῦν γὰρ τῷ*
61, 18	*ἤσθη*	*ἥσθιεν*
	V	f = M
9, 10	*ἦ* = AFB	*ἢ*
25, 18	*ἀναβαίνει* = AFB	*ἀναβαίνοι*
32, 21	*τούτῳ*	*τοῦτο*

ab omnibus ceteris codicibus alienam praebet lectionem f

25,24 εἰ λίθος – εἰ δένδρον MAF ἢ λίθος – ἢ δένδρον B, ἢ – ἢ f in ras.

V = M	s = ABF
21,21 Πλάτων, ἔρρωτο γάρ, νοσῶδες	om.
37,10 εἴη	ἔσται
45,25 ἱκανὸν	ἱκανῶς
51,17 om.	μὴ
V	**s = M**
28,2 τῆς αἰτίας omnes codices sed δίκης superscripsit M et γρ. δίκης [in marg. s	
34,23 om. = ABFD	γάρ.

Correctiones, quae exstant in codice Augustano manu non multo recentiore pullo adpictae sunt colore (= p) saepissimeque consentiunt cum ceteris codicibus; locis autem, quibus hi inter se dissentiunt, sequuntur modo codices AFB, modo V. Itaque eas e fonte recentiore quam V, priore vero quam codices Parisini et Bruxellensis fluxisse puto.

1. p = AFBV.

4,3 παντελῶς ἄγνωτος M γρ. ἐξελήλαται superscripsit p παντελῶς ἐξελήλαται AFBV.
16,8 τοὺς ἐπὶ σκηνῆς διατάττοντας M στρατιᾶς et (supra τατт) ρα. superscr. p τοὺς ἐπὶ στρατιᾶς ἢ σκηνῆς διαταράττοντας ceteri.
26,18 μὴ ἐποίησεν, οὐδ' ὧν ἔδρασεν ἀλλ' ὧν desid. in M, exstant in marg. p = AFBV.

2. p = V.

17,8 οἱ τῷ οὖν in ὅτῳοῦν corr. p ὅτῳ οὖν V ὅτῳ γοῦν AFB
39,14 ἐκχεομένην ἐξείργουσιν p et V ἐξείργουσιν ἐκχεομένην AFB.

3. M = AFB.


38,22 παρὰ τῷ Ἴστρῳ AF ποταμῷ τῷ Ἴστρῳ B ποταμῷ Ἴστρῳ VM τῷ superscr. p.

Contra plurimis locis corrector inseruit lectionem multum a ceteris codicibus abhorrentem.

4,13 τῷ ἐκδιδάσκοντι M = cet. τοῦ ἐκδιδάσκειν p.
8,20 γλαφυρὸν M = cet. κοῖλον p.
19,20 συμμαρτυρεῖ μεμονημένος M γρ. μαινάμενος p μόνος ceteri.
71,23 Πολύειδος M = cet. δῶς p.

Loci quibus falsa inseruit corrector, docent codicem, quo usus est non fuisse avum codicum AFB, sed ex hoc originem cepisse.

Quae cum ita sint, liceat mihi stemmate efficere, quali vinculo singuli codices inter se cohaereant.



Codices O et D praetermittendi sunt, quia ad codices redeunt superstites nobisque notos. Minimi pretii quoque putandi sunt AF, quamquam nonnunquam ad redintegrandum apographum b faciunt. B non inter codices sed inter editiones locum habet. Restant M et V. Uterque plurimis locis explet lacunas alterius, corrigit menda. Cum autem V saepius veram exhibeat scripturam, statuendum est locis, quibus per se neutra scriptura alteri praestat, codicem V sequendum esse.

Semper adhibenda est interpretatio Ambrosii.

Unico codice Augustano usi sunt editores:

1. Vuolphius[1]) *Αἰνείου Γαζαίου σοφιστοῦ Θεόφραστος* Ioanne Vuolphio Tigurino interprete. Per Andream Gesnerum graece et latine 1559.

Quem librum repetiverunt Fronto Ducaeus in Auct. graecolat. Bibl. Paris. II 373 Paris. 1624 et Morellius in Bibl. Patr. Par. 1654 t. XII 617 sq. graecolat.

2. Barthius: Aeneas Gazaeus et Zacharias Mitylenaeus Philosophi Christiani de immortalitate animae et mortalitate univ. ex recens. et cum animadvers. Casparis Barthii Lips. 1655.

3. Prelum non subiit editio, quam curavit Gottl. Wernsdorf (Mss. graec. Berol. 4° 31 Acc. 3309): *Αἰνείου τοῦ σοφιστοῦ Θεόφραστος* graece ex codice Augustano denuo editus latine interpretatus Casp. Barthii selectis et edit. perpetuis annot. illustr. item eiusdem Aeneae epistulae XXV graece et latine. Qui usus est Theoph. Wernsdorfii avunculi disputatione de Aeneae Gazaei editione adornanda lectionibusque variis ab eo ex cod. Augustano exscriptis ed. in Miscell. crit. Friedemanni et Seebodii Vol. II 1823.

Codices Parisinos adhibuit

Io. Fr. Boissonadius: Aeneas Gazaeus et Zacharias Mitylenaeus, Parisiis 1836, codicem Augustanum autem non inspexit, sed nisus est editionibus Barthii et Frontonis Ducaei disputationeque Wernsdorfii.

---

[1]) p. 3 in epistula Vuolphii ad Hieron. Frobenium et Nicol. Episcopium: „*Cum enim is* (Conr. Gesnerus medicus) *pro sua erga me benevolentia summa ac prope singulari Aeneae librum hunc ex illa nobili Reip. Augustanae bibliotheca sibi suppeditatum, mihi describendum anno superiore concessisset*“.

III.

Quibus codicibus contineantur epistulae Aeneae.

Aeneae Gazaei epistularum XXV duo mihi codices sunt noti: codex Ambrosianus 81 B $_4$ sup. olim T $_4$ et Vaticanus Reginensis 139.

1. Codex **Ambrosianus** (= P) membranaceus cm. 12,8 × 8,5 saeculi decimi praeter fol. 1—7 suppleta in charta manu saec. XVI. Fuit olim in bibliotheca Pinelli. Continet epist. graecas f. 129 *Αἰνείου σοφιστοῦ ἐπιστολαί.* Contuli.

2. Codex **Reginensis** (= H) in 8° saec. XVI chartaceus. Olim Nicolai Heinsii. Continet eadem opera atque editio Graecarum epistularum ab Aldo Manutio curata (Ven. 1499) ordine servato, nonnullis quidem omissis. Iam Hercher cognovit eam ex Aldina descriptam esse ipseque intellexi primum e collatione, quam mihi Ricardo Foerster auctore curavit liberaliter Alexander Sabatucci, tum etiam e codice arte photographa reddito et a bibliothecario Vaticanae P. Franchi de Cavaleriis ad Ricardum Foerster Vratislaviam misso. Semper fere consentit cum Aldina, locis autem, quibus aliam affert lectionem, ea prava est.

1. *κτημάτων* Ald.	*ω* III $_5$ = H	*ταλάντων*	P
τοὺς σαυτοῦ	*ω* III $_{17}$	*τοὺς αὐτοὺς*	
χαίρειν	*ω* III v $_{23}$	om.	
om.	*ω* IIII v $_4$	*ἀπόρρητα*	
2. *οὖν* Ald.	*ω* III $_9$ = P	om.	H
ἠνιάθην	*ω* IIII $_2$	*ἠνιάσθην*	
παρεσκευασμένος	*ω* V $_{10}$	*παρασκευασμένος*	
δέ τι	*ω* VII $_7$	*δέ τοι.*	

Omnibus locis, quibus Ald. = P est, H pravam praebet scripturam.

Cum locis, quibus Ald. et P inter se dissentiunt, modo in Ald. modo in P proba cernantur, statuendum est codicem quo usus est editor Aldinae et cod. P ex eodem fluxisse fonte.

	Ald.	P
ω V 22	om.	παρ' ἡμῖν
ω V v 5	ante ἡδέως om. αὐτὸς	exstat.
ω V v 21	om.	τὸν παῖδα

quibus locis lectio cod. P probanda est.

	Ald.	P
ω III r 18	τοὺς σαυτοῦ	τοὺς αὐτοὺς
ω III v 23	χαίρειν	om.
ω IV r 4	οὖν	om.
ω VI v 8	γὰρ	om.

P falsa praebet.

Fides quidem maior habenda est codici P.

Editiones (Wernsdorfii[1]) et Hercheri) non adhibuerunt nisi editionem ab Aldo Manutio curatam.

[1]) Cf. p. 55.

Conspectus libelli.

Typis Maretzke & Märtin, Trebnitziae Siles.

BRESLAUER PHILOLOGISCHE ABHANDLUNGEN

HERAUSGEGEBEN

VON

RICHARD FÖRSTER
PROFESSOR DER CLASSISCHEN ALTERTUMSWISSENSCHAFT AN DER UNIVERSITÄT BRESLAU

NEUNTER BAND

SECHSTES HEFT

De vocum Graecarum

apud poetas Latinos ab Ovidi temporibus usque ad primi p. Chr. n. saeculi finem usu

scripsit

Carolus Augustinus Zwiener

BRESLAU
VERLAG VON M. & H. MARCUS
1909

**Mit diesem (39.) Heft hört die Zählung nach Bänden auf.
Die Fortsetzung erscheint als 40. Heft im Herbst 1909.**

Fortsetzung 3. Umschlagseite

BRESLAUER
PHILOLOGISCHE ABHANDLUNGEN

HERAUSGEGEBEN

VON

RICHARD FÖRSTER

PROFESSOR DER CLASSISCHEN ALTERTUMSWISSENSCHAFT AN DER UNIVERSITÄT BRESLAU

NEUNTER BAND

SECHSTES HEFT

De vocum Graecarum

apud poetas Latinos ab Ovidi temporibus usque ad primi p. Chr. n. saeculi finem usu

scripsit

Carolus Augustinus Zwiener

BRESLAU

VERLAG VON M. & H. MARCUS

1909

De vocum Graecarum apud poetas Latinos ab Ovidi temporibus usque ad primi p. Chr. n. saeculi finem usu

scripsit

Carolus Augustinus Zwiener

Vratislaviae
M. et H. Marcus
MCMIX

Ricardo Foerster
Francisco Skutsch

s.

Index rerum

Accedunt conspectus

Praefatio.

Iam multi docti viri quaesiverunt, quatenus Romani Graeca vocabula in sermonem suum receperint. Supersedeo singulos afferre et quae ad illam quaestionem persolvendam contulerint explanare. Satis habeo admonuisse de praefationibus, quas dissertationibus praemiserunt Sniehotta[1]) et Thiel[2]), quorum cum ille tum hic quae de hac re scripta sunt plene rettulerunt. Praeterea equidem in adnotationibus commemoravi, si quo huiusmodi libro usus sum. Sed plerumque illi viri docti de nominibus a Graecis depromptis ipsis generatim atque universe locuti non quomodo Romani iis usi sint disputaverunt. Cum autem mirum sit, quod Graecorum nominum formae modo integrae servatae, modo ab iisdem poetis Latinis Romanorum sermoni assimilatae sunt, neque parvi momenti sit intellegere, quibus de causis hic vel ille usus praelatus sit, Sniehotta accurate perscrutatus est, quotiens et quibus locis et quibus de causis poetae Latini dactylici ab Enni usque ad Ovidi tempora Graecis formis usi sint. Eandem quaestionem ad poetas post Ovidi tempora florentes extendere mihi proposui. Atque eandem fere viam quam ille ingressus materiam eodem modo dispositam pertractavi. Primo quidem capite prorsus eadem qua ille ratione materiam uberrimam comprehendi omnibus

---

[1]) Sniehotta, De vocum Graecarum apud poetas Latinos dactylicos ab Enni usque ad Ovidi tempora usu, Breslauer Philologische Abhandlungen IX 2, Breslau 1903.

[2]) Augustus Thiel, Iuvenalis graecissans sive de vocibus Graecis apud Iuvenalem, Vratislaviae MDCCCCV.

poetarum locis enumeratis, quibus Graeca nomina sive mutata sive non mutata inveniuntur. In causis vero, quae ad poetarum usum aliquid valuissent, perscrutandis a via quam ille ingressus est declinavi, cum Graecas formas non secundum causas efficientes disponerem, sed nomina eiusdem generis et declinationis comprehenderem, qua re ordinem magis perspicuum me assecutum esse spero. Ad extremum paucis eruere conatus sum, num metrum vel carminum genus vel usus singulorum poetarum ad Graecas formas servandas alicuius ponderis fuerit. His tribus capitibus ordinem tenens, quem secuti sunt Teuffel-Schwabe in Historia Litterarum Romanarum, tractavi carmina haec: Gratti Cynegetica, Manili Astronomica, Germanici Phaenomena ⟨Prognosticorum⟩ fragmenta epigrammata, Phaedri fabulas, Senecae tragoedias epigrammata Apocolocyntosin, Octaviam tragoediam, Columellae de re rustica librum X, Persi saturas, Lucani Pharsaliam, Petroni saturarum fragmenta, Calpurni eclogas, carmina, quae inscribuntur Laus Pisonis et Aetna, Valeri Flacci Argonautica, Sili Italici Punica, Iliadem Latinam, Stati Silvas Thebaidem Achilleidem, Martialis epigrammata, Iuvenalis saturas. Quamquam non ignoro me rem exhaurire et in octoginta fere milibus versuum, qui perlegendi erant, ab erroribus cavere non potuisse, tamen me aliquid ad quaestionem propositam solvendam contulisse spero.

Caput I.

De nominum Graecorum, quae apud poetas Romanos inveniuntur, numero.

§ 1.

De nominativi et vocativi formis[1]).

1. Nomina, quorum nominativus Graecus *-ος* vel *-ον* syllaba terminatur, apud poetas Latinos vel Graecam terminationem servant vel Latinam *-us* vel *-um* adhibent[2]).

a.

Grattius[3]) ubique Latina forma usus est, cum scripserit *Ancaeus* 67 *Azorus* 183 *Maenalus* 100 *Medus* 155 *Thessalus* 502.

b.

Apud Manilium[4]) invenimus Graecos nominativos hos: *Arctos* I 502 (GL *-us*), V 694 *Cypros* IV 635 *Epiros* IV 690

---

[1]) Neue, Formenlehre der lateinischen Sprache, 3. Aufl. von C. Wagener, Leipzig 1902, I[3] p. 48 sqq. — Sniehotta, l. c. p. 3 sqq. — Bednara, De sermone dactylicorum Latinorum quaestiones, Archiv für Lat. Lexikographie XIV p. 356 (in dissertatione seorsum apud Teubnerum expressa p. 44).

[2]) In nominibus appellativis permulta sunt, quae semper Latinas terminationes praebent, quia plane in Romanorum sermonem transierunt. Quorum ea, quae saepius et apud omnes fere poetas inveniuntur, non singillatim attuli. In his nominibus numeravi:

barbarus calamus chorus cinaedus circus citharoedus comoedus cycnus ephebus eunuchus eurus faginus fagus grammaticus gyrus mathematicus mimus moechus myrtus notus oceanus paedagogus pantomimus parasitus pardus philosophus plātanus polus pontus scaenicus scyphus stilus stomachus taurus taxus thalamus thesaurus thyrsus tragicus tragoedus tragus tyrannus zephyrus — antrum astrum gymnasium metallum plectrum sceptrum theatrum.

[3]) Adhibui editiones, quas fecerunt Baehrens, Poetae Latini minores I p. 31, Lipsiae MDCCCLXXIX, et Gaetano Curcio, Poeti latini minori I, Acireale 1902.

[4]) Usus sum editionibus Friderici Iacob, Berolini MDCCCXLVI, et Theodori Breiter, Lipsiae MDCCCCVII.

Euxinos IV 755 (L *-us*) *Hesperos* I 178 (A *-us*) *Panos* IV 804 (terminatio *-os* probatur codicibus, qui habent L *suspimosque* [Iacob] vel *suspimosque* (a supra p) [Breiter] G *sispinosque* vel *sispimosq.* m *apimosq.*) *Rhodos* IV 764.

Deltoton I 353 *Dodecatemorion* II 741 (O *-um*).

In *-us* finiuntur haec nomina: *Bacchus Centaurus Cygnus Eurus Heniochus Hesiodus Hymenaeus Lycurgus Nemeaeus Nilus* (I 44: A *-us*, ceteri *-os* [1]), III 273, 634, IV 751) *Oceanus Olympus Ophiuchus Phoebus Phorcus* (IV 644 omnes codices: *potius*, correx. Iacob) *Taurus Titanius Zephyrus.*

Menander.

Daemonium trigonum.

Duo nomina modo Latinam modo Graecam terminationem praebent. Invenimus enim *Scorpios* his locis: II 237 (L corr. *-us* ex *-os*), 254 (in L suprascr. corrector *-u*), 258, 443, 462, 557, III 574, IV 344. Etiam in II libri versu 213, quo codices *Scorpion* praebent, cum Scaligero et Bentleio *Scorpios* lego, cum nominativus *Scorpion* nullo alio loco, *Scorpios* autem persaepe apud alios quoque poetas inveniatur. Infra enim eum leges apud Germanicum Senecam Lucanum Martialem. Latina forma saepius adhibita est: I 690, II 229, 407, 544, 633, 636, 667, IV 321, 383, 477, 553, 707, V 698. Item poeta et Graece *horoscopos* III 389 (L *-os*, cett. *-us*), 518 (L *-os*, cett. *-us*), 608 et Latine *horoscopus* II 829, III 200, 440, 504 dixit.

c.

In Priapeorum [2]) carmine LXXV hendecasyllabis versibus composito exstant haec nomina Graece exeuntia: *Cnidos* 14 *Cyzicos* 13 *Lemnos* 11 *Paphos* 14 *Rhodos* 8 *Samos* 2 *Taenaros* 3. Latinam terminationem praebent *Bacchus Lyaeus Phoebus Priapus Pythius Sirius,* sive haec nomina in hexametro sive in alio versu inveniuntur.

---

[1]) Contra Fridericum Iacob editorem puto hoc quoque loco Latinam formam adhibendam esse, cum Graecae obstent tres reliqui loci Maniliani et 24 Senecae Lucani Valeri Flacci Sili Italici Stati Martialis, quibus de terminatione *-us* nullum est dubium. Breiterum eandem sententiam secutum esse postea cognovi.

[2]) Editionem secutus sum Buecheleri, Berolini MDCCCCIV.

d.

Germanicus[1]) Graecis terminationibus usus est his locis: in Phaenomenis: *Myrtilos* 160, 181, 183, 711 *arctos* 226 *hydrochoos* 382, 693 *scorpios* 81, 311, 393, 548, 566, 595, 632, 644, 645, 660 *hydros* 426, 432, sed in versu 668 formam *hydrus* invenimus;

Gargaron 585 *deltoton* 239;

in fragmentis: *Hesperos* IV 74 *Phosphoros*[2]) IV 73 — *scorpios* III 12, IV 42, 61, 100, 127, 155;

in epigrammatis I versu 5: *Ilios*.

Latinam terminationem praebent haec nomina:

Aeolus Aratus Bacchus Centaurus Ericthonius Eridanus Haemus Icarus Olympus Pegasus Phoebus Sirius — *arcturus ophiuchus*.

e.

Phaedrus[3]) uni nomini Graecam terminationem concessit, quod semper illam servavit: *Tityos*[4]) fab. Perott. 5, 13.

Cetera omnia huius generis Latinorum mori adaptavit:

Aesopus Argus Atticus Demetrius Hippolytus Hymenaeus Pisistratus Sisyphus Tantalus corcodilus sophus — *Menander* — *Ilium*.

f.

Plures formae Graecae in Senecae poetae tragoediarum[5]) senariis aliisque versibus exstant. Inveniuntur enim in Hercule furente: *Arctos* 6 *Phosphoros* 128 *Ismenos* 334 *Tityos* 756, 977 — *Pelion* 971; in Troadibus: *Lyrnessos* 221 *Tenedos* 224 *Scyros* 226 *Lesbos* 226 *Iolcos* 819 *Olenos* 826 *Carystos* 836 *Peparethos* 842 *Titaressos* 847 *Neritos* 856 — *Pelion* 829 *Sigeon* 932; in Phoenissis: *Ismenos* 116 *Isthmos* 375 *Mae-*

---

[1]) Editionibus usus sum A. Breysigii, Lipsiae MDCCCIC et Berolini MDCCCLXVII.

[2]) Cf. R. Ellis, Ad Aratea Germanici (Noctes Manilianae), Oxonii MDCCCXCI, p. 243 sq.

[3]) Editiones adhibui L. Muelleri et Ludovici Havet (Paris MDCCCXCV).

[4]) Cf. cap. II § 5, 1.

[5]) Secutus sum editiones Leonis, Berolini MDCCCLXXIX, et Peiperi Richterique, Lipsiae MCMII. Nonnulla de Herculis furentis Troadum Medeae locis annotavit Hugh Macmaster Kingery in harum tragoediarum editione, New York 1908.

andros 606 *Sestos* 611; in Medea: *Corinthos* 35 *Isthmos* 45 *Alpheos* 81; in Phaedra: *Ilisos* 13 et *Sunion* 27; in Oedipode: *Ismenos* 42 *Parnasos* 281 (A *-us*) *Pactolos* 467 (*o* ex *u* corr. A) *Naxos* 488 *Arctos* 507; in Agamemnone: *Pelion* 346; in Thyeste: *Isthmos* 112 *Alpheos* 117, 131 *Corinthos* 629 *Tityos* 806 — *Pelion* 812; in Hercule Oetaeo: *Isthmos* 83 *Ismenos* 141 *Euenos* 501 *Lemnos* 1362 *Aeacos* 1558 — *scorpios* 1218 — *Pelion* 1152.

Horum nominum pauca Latina quoque terminatione Seneca affecit: Tro. 339: *Scyrus* (A *-os*); Phoen. 604: *Pactolus*; Herc. fur. 684: *Maeander*. Ingens est in 9 tragoediis Senecae numerus eorum nominum Graecorum, quorum nominativi Latinorum rationi adaptati sunt. Inveniuntur enim:

Acastus Achelous Aegisthus Antaeus Bacchus Cadmus Caucasus Caycus Cerberus Colchus Cresius Cycnus Daedalus Dardanus Enceladus Euripus Eurus Haemus Hebrus Heniochus Hermus Hesperus Hippolytus Hyllus Icarus Inachus Indus Ismarius Ithacus Laius Lycus Medus Menelaus Mopsus Myrtilus Nauplius Nessus Nilus Notus Oceanus Olympus Ophiuchus Parthus Pelorus Phoebus Phrixus Pindus Polybus Pontus Priamus Pyrrhus Silenus Strophius Taenarus Tagus Tantalus Tartarus Taurus Telephus Tmolus Xanthus Zephyrus Zethus — Ilium Pergamum — Hister.

Etiam in epigrammatis[1]) Senecae nominum, de quibus agitur, nonnulla Graece exeuntia exstant: *Cyrnos* (V *-us*) 2, 2 *Arctos* 36, 6 *Corinthos* 50, 5 *epitaphion* 10 tit. Cetera Latine formata sunt: *Daedalus Hesperus Medus Oceanus Phoebus.*

In eiusdem poetae satura, quae Apocolocyntosis[2]) inscribitur, locis poeticis legitur *Phoebus* II 1, 1, 4, 1, IV 1, 15. 21, VII 2, 10 et *Hesperus* IV 1, 26. Eandem formam praebent nominativi prosaicae orationis: *Aeacus Amphaeus Cerberus Cyllenius Narcissus Pheronactus Polybius Talthybius.*

In illa tragoedia incerti auctoris, quae inscribitur Octavia[3]),

---

[1]) Editione usus sum Baehrensii, Poetae Latini minores IV p. 55, Lipsiae MDCCCLXXXII.

[2]) Adhibui Buecheleri editionem, Berolini MDCCCCIV, et eam, quam in „Symbola philologorum Bonnensium" 1864—1867 p. 31—89 praebuit.

[3]) Secutus sum editiones Leonis et Peiperi Richterique (cf. p. 5 n. 5).

nominativi Graeci eius generis, de quo agimus, desunt. Latine exeunt *Aegyptus Bacchus Oceanus.*

g.

Columellae[1]) de re rustica liber decimus de cultu hortorum compositus versibus hexametris praebet has Graecas formas: *Cypros* 187 *Iolcos* 368 *Euhios* 424 — *lapathos* 373 *phaselos* (MR *-us*) 377;

has Latinas formas: *Amythaonius Bacchus Eurus Hesperus Phoebus Sirius Zephyrus* — *staphylinus*

chaerepolum (χαιρέφυλλον).

h.

In Persi[2]) saturis nullum nomen Graece terminatum, sed: *Chaerestratus Stoicus* legimus.

i.

Iam ad Lucanum[3]) pergo. Is in carminis epici de bello civili, quod saepius Pharsalia nominatur, libris X Graeci nominativi exitum *-os* adhibuit in his nominibus:

Absyrtos III 190 (Pm *-us*) *Alpheos* III 177 *Amphrysos* VI 368 (MV *-us*) *Anauros* VI 370 *Apidanos* VI 373 ($M_1 Z_1 p_1$ *-us*) *Asopos* VI 374 *Bactros* III 267 *Bosporos* V 436 *Canopos* VIII 181 *Carcinos* IX 536 (MVZUP *-us*) *Carystos* V 232 *Cephisos* III 175 *Chios* VIII 195 *Cypros* IX 117 (Um *-us*) *Damascos* III 215 (G_1Cp *-us*) *Epidamnos* II 624 (Vp *-us*) *Euenos* VI 366 (p *-us*) *Gnosos* III 185 *Ionos* VI 402 *Isthmos* I 101 *Lesbos* V 744, VIII 108, 131, 139, 640 *Mallos* III 227 *Ninos* III 215 (P *-us*) *Parnasos* III 173 (VUG$_1$P *-us*), V 72 (VUmpgve *-us*), V 131 (O fere *-us*) *Pharos* X 92, 356 *Pharsalos* VI 350 *Pteleos* VI 352 *Rhodos* V 51 *Scorpios* IX 533 (VUGm *-us*) *Spercheos* VI 367 (V *-us*) *Tarsos* III 225 *Titaressos* VI 376 *Tityos* IV 596

---

[1]) Usus sum editionibus X libri, quas fecerunt I. Häussner in „Programm des Grossherzoglichen Gymnasiums zu Karlsruhe für das Schuljahr 1888/89, Karlsruhe 1889“ et Vilelmus Lundström, Upsaliae MDCCCCII.

[2]) Secutus sum editiones Iahnii Buecheleri, Berolini MDCCCLXXXVI et MDCCCLXXXXIII.

[3]) Usus sum editione Caroli Hosii, Lipsiae MCMV. Cf. Friedrich Beck, Göttingische gelehrte Anzeigen 169 (1907) p. II, 780 sqq., et Ussani, Rivista di filologia e d'istruzione classica 1903 p. 463 sqq. et 545 sqq.

Tyros III 217 — *arctos* I 458, II 586, IV 70, X 220 *chersydros* IX 711 *costos* IX 917 *crystallos* X 160 *thapsos* IX 919 (C *-us*).

Dorion VI 352 *Pelion* VI 336, 411 *peucedanon* IX 919 (VmZ$_{1}$ *-um*).

Quin etiam Genabum oppidum Carnutum in I libri versu 440 *Genabos* appellatur.

Inter Latinum et Graecum exitum fluctuat unum nomen: *Aegyptos* VIII 444 (VU$_{1}$Gm *-us*) — *Aegyptus* VIII 871.

Latina terminatione usus est Lucanus in his nominibus:

Alanus Antaeus Aponus Apsus Argus Arimaspus Arius Bacchus Cerberus VI 665, IX 643 (VZUmgv *-us*, ceteri *-os*)[1] *Cyllenius Cyrus Dacus Eridanus Euripus Gaetulus Haemus Hermus Indus Lygdamus Maurus Metaurus Nilus Oceanus Olympus Parthus Phoebus Pindus Pothinus Psyllus Ptolemaeus Pyrrhus Sirius Tagus Tarcondimotus Xanthus basiliscus hebenus.* — *Alexander Hister Maeander.*

Saguntum asylum.

1.

Petronius[2]) nominibus, de quibus agimus, in poeticis operis partibus ita usus est, ut Graecum nominativum adhiberet his locis: in senario *Tenedos* 89, $_{29}$, in hexametris *Bosporos* 123, $_{242}$ *Lesbos* 133, $_{3}$, $_{3}$ *Thasos* 133, $_{3}$, $_{3}$ — *cyperon* 127, $_{9}$, $_{4}$.

Latinam formam adhibuit horum nominum:

Epicurus Lydus Parthus Phoebus Tantalus Telephus Tirynthius — scarus.

Et in fragmentorum versibus idem nominativus Latinus exstat: *Iudaeus* 37, $_{1}$ et *Phoebus* 27, $_{3}$.

Nec aliter res se habet in prosaicis partibus, quae continent et formas Graecas: *Ascyltos* (vicies sexies) *Eudoxus* 88, 4, $_{1}$ *Polyaenos* 130, 1, $_{1}$ *Proselenos* 132, 5, $_{1}$, 137, 5, $_{2}$ — *corymbion* 110, 5, $_{3}$ et Latinas:

Chrysanthus Chrysippus Corinthus Daedalus Democritus Encolpius Hesus Menelaus Pegasus Pindarus Priapus Seleucus Stichus — phreneticus symphoniacus.

---

[1]) IX 643 Hosius Graecum nominativum in textum recepit, quod equidem comprobare non possum, cum et apud Lucanum ipsum VI 665 et decem aliis locis apud Senecam Silium Italicum Statium Latina forma sola tradita sit.

[2]) Editionem adhibui Buecheleri, Berolini MDCCCCIV.

Ilium automatum embolum.

Idiotismi sunt *thesaurum* 46, 8, $_5$ et *amphitheater*[1]) 45, 6, $_2$.

Duo nomina modo Latine modo Graece exeunt: *Eumolpos* 102, 3, $_2$, 107, 12, $_1$, 109, 1, $_3$, 110, 6, $_1$, 124, 2, $_1$ — *Eumolpus* (tricies bis) et *Homeros* 59, 4, $_3$ — *Homerus* 118, 5, $_3$.

m.

Calpurnius[2]) omnium nominum, de quibus hic disseritur, nominativum Latinorum mori adaptavit:

Alphesiboeus Astacus Astylus Canthus Meliboeus Mnasyllus Mopsus Nyctilus Ornytus Phoebus Taurus Tityrus.

n.

In carmine De laude Pisonis[3]) unum nomen *Gnosius* 142 invenitur.

o.

Alius incerti auctoris poema, quod Aetna[4]) vocatur, praebet nomina Graece terminata: *Xanthos* 5 *Delos* 5 *Rhodos* 6;

Latine terminata: *Amphinomus Bacchus Hesperus Olympus Sirius Taurus.*

p.

Valerius Flaccus[5]) Graecam terminationem servavit Argonauticon his locis:

Sestos I 285 *Sciathos* II 8 *Lemnos* II 79, 95, 431, IV 440 *Imbros* II 443 *Lesbos* III 7 *Bosporos* IV 345 *Alpheos* VIII 91 — *arctos* VI 147 — *Pelion* II 6.

Cetera nomina, quorum numerus satis magnus est, Valerius Flaccus in *-us* finiri voluit, sive ea a Graecis deprompsit, sive, ut Graecos nominaret, finxit:

Absyrtus Aeolus Albanus Ambenus Amycus Ancaeus Argus (argonauta) *Ariasmenus Auchus Bacchus Campesus Canthus*

---

1) Cf. C. I. L. VI 31893: *amphiteater*.

2) Editiones secutus sum Baehrensii, Poetae Latini minores III p. 69, Lipsiae MDCCCLXXXI, et H. Schenkelii, Lipsiae et Pragae MDCCCLXXXV.

3) Usus sum editione Baehrensii, Poetae Latini minores I p. 225, Lipsiae MDCCCLXXIX.

4) Editiones adhibui Baehrensii, Poetae Latini minores II et Sudhausii, Lipsiae MDCCCXCVIII.

5) Editiones adhibui Baehrensii, Lipsiae MDCCCLXXV, et C. Schenkelii, Berolini MDCCCLXXI, et P. Langeni (Stud. Berolinens. I 1, 2) Berolini MDCCCXCVI.

Caresus Carmeius Caspius Caucasus Clymenus Coeus Cytisorus Cyzicus Daedalus Delius Erginus Euarchus Euphemus Euripus Eurus Eurytus Gerus Glaucus Haemus Hippasus Iapetus Idasmenus Inachus Iphiclus Iphitus Lampsacus Leodocus Lyctius Lycus Massylus Medus Menoetius Moesus Monychus Mopsus Nauplius Nessus Neurus Nilus Notus Oceanus Oebasus Periclymenus Phoebus Phrixus Pindus Rambelus Rhoetus Sirius Sthenelus Styrus Talaus Tartarus Taurus Thessalus Tirynthius Tyrrhenus Zephyrus — *carbasus* (κάρπασος) *conus tholus*[1]) — *Gesander Hiber Hister Teucer.*

q.

In Sili Italici[2]) Punicorum libris XVII permulta exstant nomina generis, de quo agitur. Quorum haec semper Graecum nominativum praebent:

Atropos XVII 120 *Cocytos* XIII 566 *Herbesos* XIV 264 *Hymettos* II 218 *Ornytos* XIV 478 *Panhormos* XIV 261 *Paphos* VII 457 *Tartessos* (urbs Hispaniae) III 399, V 399; (Hispanus quidam) XVI 465, 509 *Trogilos* XIV 259 *Tyros* XIV 659 *Zacynthos* I 275, 290 — *gorytos* VII 443 *lotos* III 311 — *Engyon* XIV 249 *Ilion* XIII 43 *Lilybaeon* XIV 75.

Praeterea inveniuntur tria nomina, quorum exitus variat: *Hesperos* (stella) XI 268 (S *-os*, vulgo *-us*); (Gaditanus) XVI 465, 491, 520 — *Hesperus* (stella) XII 647; *Saguntos*[3]) I 502, 573, II 446, III 178, IX 186 — *Saguntum* (*-us* ed. Basil. 1522) XVII 328; *Thapsos* (urbs Siciliae) XIV 206 — *Thapsus* (urbs Africae) III 261.

Latine terminavit Silius haec Graeca nomina virorum urbium fluviorum sive Graecorum sive Hispanorum vel Gallorum vel Africanorum et Carthaginiensium:

Anapus Antaeus Assaracus Bacchus Baeticus Balarus Battus Belus Bocchus Bogus Canthus Caucasus Cerberus Crixus Cydnus

---

[1]) *tholus* II 259] Vat. *chorus* corr. Waarenburg, Stud. Vindob. V 140. De eadem re cf. Fr. Iacobs, Addit. animadvers. in Athenaei Deipnosoph. 42 et Schenkl, Stud. p. 97, qui defendit *chorus*. De terminatione quidem nulla est dubitatio.

[2]) Secutus sum editionem L. Baueri, Lipsiae MCM et MCMII.

[3]) Neue l. c. I[3] p. 947. — Georges, Lexikon d. latein. Wortformen, Leipzig 1890 p. 610.

Cyllenius Cyrnus Cyzicus Dacus Daedalus Dardanus Daunus Durius Ebusus Eridanus Eumachus Eurus Eurytus Gaetulus Garganus Haemus Hebrus Hellespontus Helorus Helymus Hiberus Hymenaeus Icarus Ilus Ithacus Lamus Lilaeus Lindus Lixus Lycus Maeandrus[1]) *Massylus Mazaeus Milichus Misenus Mopsus Nilus Notus Oceanus Olympus Orthrus Parnasus Pegasus Pelorus* (XVI 414: L *-os*) *Philippus Phoebus Pindus Polyphemus Pontus Pyrrhus Rhoetius Rhyndacus Sardus Sirius Synhalus Tagus Tantalus Taurus Tirynthius Tlepolemus Tmolus Tyrrhenus Xanthippus Zephyrus — cantharus.*

Ergetium Gaulum Hadranum Netum — trophaeum — Cantaber.

Eandem terminationem praebent nonnulla nomina eiusdem significationis atque supra scripta, quae apud Graecos scriptores non leguntur:

Arauricus Arbacus Batus Burnus Carmelus Caudinus Cupencus Ducarius Glagus Grosphus Hampsicus Hostus Ladmus Larus Ligaunus (IV 206: L *-mis*) *Ligus Mandonius Maurus Murrus Satricus Sychaeus Telesinus Temisus.*

r.

In eiusdem, ut videtur, poetae poemate quod inscribitur Ilias Latina[2]) duo tantum nomina insunt, quae Graece finiuntur: *Epeos* 1011 (*epeos* EL *ephebos* F *ephebus* ceteri) et *Ilion* 153, 1056.

Reliqua omnia nomina heroum Graecorum et Troicorum Latinam terminationem acceperunt:

---

[1]) De nominativi terminatione *-andrus* rarissima cf. quae dixit Richardus Foerster in „Verhandlungen der 40. Versammlung deutscher Philologen und Schulmänner in Görlitz 1889", Leipzig 1890 p. 432. Praeterea cf. Charisius p. 83, 30 K et huius libelli cap. II § 5, 3. Buecheler-Windekilde, Grundriss der lat. Deklination, Bonn 1879 p. 26.

[2]) Adhibui editiones Baehrensii, Poetae Latini minores III p. 7, Lipsiae MDCCCLXXXI, et Friderici Plessis, Paris 1885. — De Iliade Latina praecipueque de nomine auctoris disputaverunt: Henr. Schenkl, Zur Ilias Latina des Italicus, Wiener Studien 12 p. 317 sq. — Isidor Helbig, Ist die Ilias Latina von einem Italicus verfasst oder einem Italicus gewidmet, ibid. 21 p. 264 sqq. et 22 p. 317 sq. — Frid. Vollmer, De recensendo Homero Latino, Festschrift Johannes Vahlen . . . gewidmet, 1900 p. 465 sqq. — Id., Zum Homerus Latinus, Mus. Rhen. 53 p. 166. — Ernst Weber, Über den Homerus Latinus, Philologus 61 (N.F. 15) p. 528 sq.

Adrastus Agelaus Alcathous Amphimachus Amphius Antiphus Arcesilaus Archilochus Arctus (866: E *-us o* supra *u* m. 2 B *-os* V *-on*) *Ascalaphus Ascanius Asius Chromius Clonius Deiphobus Ennomus Epistrophus Eumelus Euphemus Eurus Euryalus Eurypylus Glaucus Helenus Hesperus Hippothous Hodius Ialmenus Idaeus Laertius Leitus Menelaus Pandarus Patroclus Peneleus Phidippus Phorcus Pirous Podalirius Polyxenus Priamus Protesilaus Prothous Pylaeus Pyrrhus Schedius Sthenelus Thalpius Tlepolemus — Alexander Teucer.*

s.

Uberiora nominibus Graece exeuntibus sunt opera Stati, quorum primum Silvas[1]) exquiramus. Quae carmina continent nomina Graece terminata haec:

Atropos III 3, 127, IV 4, 56; 8, 19, V 1, 178 *Carystos* I 5, 34, II 2, 93 *Caunos* I 6, 15 *Chios* II 2, 93, IV 2, 28 *Damascos* I 6, 14 *Hesperos* II 6, 37 *Isthmos* III 1, 142, IV 3, 60 *Phosphoros* II 6, 79 *Rhodos* I 1, 104 *Sebethos* I 2, 263 *Thasos* I 5, 34, II 2, 92 *Tyros* III 2, 139 — *phaselos* V 1, 245.

Dindymon I 1, 10, et hos titulos: V 1; 3; 5 *epicedion*, I 2 *epithalamion*, IV 2 *eucharisticon*, II 7 *genethliacon*, III 2 *propempticon* et adiectivum in titulo IV 6 positum *epitrapezios*.

Praeterea unum nomen variat exitum, cum et *Pergamos* III 4, 106 et *Pergamus* I 4, 100 legatur.

Mutaverunt priscam terminationem cum Latina haec nomina:

Admetus Aeacus Arctus Argus Ascanius Bacchus Callimachus Cerberus Cinyphius Cyllarus Epidaurus Eumaeus Eurus Gargettius Glaucus (III 2, 37: ς *-us* codd. *-as*) *Haemus Hermus Ibycus Lemnius Lyaeus Nilus Pannonius Parthenopaeus Parthus Pharus Phoebus Sirius Stesichorus Tagus Tegeaticus Telephus Thespius Thracius Tirynthius Troilus — psittacus.*

Euander Hister.

In altero opere eiusdem poetae quod Thebais[2]) inscribitur aliquanto maior est numerus talium nominum cum omnino tum Graecorum more adhibitorum:

---

[1]) Usus sum editione Alfredi Klotz, Lipsiae MCM.

[2]) Editiones adhibui Philippi Kohlmann, Lipsiae MDCCCLXXXIV, H. W. Garrod, Oxonii (1906), Alfredi Klotz, Lipsiae MCMVIII.

Alpheos I 272 *Arctos* III 685, VIII 408, XII 653 *Asopos* VII 315, IX 449 (*-us* Pμ *-us* ex *-os* Lσ) *Atropos* I 111, 328, III 68, IV 190, 601 *Cocytos* VIII 30 *Coptos* I 265 *Elisos* VIII 766, XII 631 *Euneos* VI 343 (*-eos* ex *-eus* L^1), 433 (*-us* CP) *Haliartos* VII 274 *Hesperos* VI 581 (*-us* fb) *Ismenos* VII 800, IX 226, 317, 404, X 27 *Isthmos* I 120, II 183, IV 62, VI 14 *Lemnos* V 50, 184, 185, 462, 719 *Lycabesos* XII 621 *Mycalesos* VII 272 *Myrtilos* VI 285 *Naxos* VII 686 *Olenos* IV 105 *Orchomenos* IV 295 *Paros* V 182 *Pheneos* IV 291 *Pylos* IV 125, 126 *Taenaros* II 44 *Thasos* V 182 *Tityos* VI 753 *Tmolos* VII 686 — *Dorion* IV 182 *Pelion* X 852 *Pteleon* IV 181 *Sunion* XII 625 *Thryon* IV 180.

Graecam formam emendandam esse etiam in IV libri versu 837 puto, in quo Klotzius scripsit *Spercheus* et adnotavit: „*Sperchеusque* P *-iusque* ω *-eosque* ς Kohlmannus propter Ach. I 102“. Hoc loco facio cum Kohlmanno, nam Sperchei fluminis Graecum nominativum et significatione ipsa geographica probatum esse infra videbimus et in Statii ipsius Achilleide I 102, 239, II 145 et apud Lucanum VI 367 servatum invenimus.

Tria nomina et Graece et Latine terminata invenimus: *Aegyptos* IV 708 (*-$\overset{u}{o}$s* Q^2 *-us* BΔLCfb) — *Aegyptus* VI 292; *Antiphos* IX 252 (*-us* ex *-as* vel *-os* P^c) — *Antiphus* VII 755; *corytos* (γωρυτός) IV 269 (*-$\overset{u}{o}$s* Q^2 *-us* r) — *corytus* VII 660 (*-$\overset{v}{o}$s* Q^2).

Cetera omnia nomina nullo nisi Latino nominativo utuntur:

Achelous Acrisius Acrocorinthus Admetus Adrastus Aeolus Aepytus Aetolus Amphiaraus Archemorus Argipus Argüs Atticus Bacchus Branchus Cadmus Calpetus Centaurus Cerberus Charadrus Coroebus Corymbus Crenaeus Cygnus Cyllarus Cyllenius Cynthus Danaus Delius Enceladus Erasinus Erymanthius Euhius Eurus Euryalus Glaucus Haemus Hebrus Hippodamus Hylaeus Ialmenus Inachus Iphitus Labdacus Laius Lampus Lamus Lemnius Linus Lycurgus Lycus Lygdus Lyrcius Melanippus Mopsus Naubolus Nessus Nilus Notus Oceanus Oebalus Oenomaus Ormenus Ornytus Parnasus Parthenopaeus Pelorus Phaedimus Phoebus Pholus Polyphemus Pontus Proetus Prothous Sirius Tagus Tantalus Taurus Thymbraeus Tirynthius Xanthus — *discus barathrum.*

In tertio poemate Achilleide[1]) Statius adhibuit Graecum nominativum his locis:

Delos I 206, 679 *Epiros* I 420 (Q *-us*) *Lemnos* I 206, 678 *Myconos* I 205 *Naxos* I 678 *Olearos* I 677 *Paros* Ī 677 *Pylos* I 422 *Scyros* I 285 (P *-us*), 658, 692, 696, II 22, 45 *Seriphos* I 205 *Sestos* I 204 *Spercheos* (*-ios*) I 102, 239, II 145 — *Pelion* I 107, 151, 249, 577, II 57.

Latinam terminationem praebent haec nomina:

Aetolus Antilochus (I 470: P *-ous* QCK *-us* Klotzius *-os*)[2]) *Centaurus Delius Euhius Gelonus Ithacus Patroclus Phoebus Pontus Protesilaus Sthenelus Thessalus Tirynthius Xanthus* (I 927: Q *-os*) — *carbasus* (*κάρπασος*).

t.

Martialis[3]) in epigrammatis Graecum nominativum non mutatum dedit his nominibus:

Arctos VII 7, 1, IX 84, 6 *Atropos* X 38, 13; 44, 6 *Carystos* IX 75, 7 *Cestos* I 92, 1 *Chimerinos* IX 12, 2 *Cypros* VIII 45, 7 *Encolpos* I 31, 2 (PQF *-os* ω *-us*), V 48, 2 (QF *-os* [P *-o*] Eω *-us*) *Ephesos* X 68, 1 *Hymettos* VII 88, 8 *Iros* VI 77, 1 (EFω *-us*) *Leandros* epigr. 25 b, 1; XIV 181 tit.; 1 *Miletos* VIII 28, 10 *Mistyllos* I 50, 1 *Oporinos* IX 12, 1 *Rhodos* IX 20, 6, X 68, 1, XIV 68, 2 *Therinos* IX 12, 3 *Tyros* VI 11, 7, X 16, 7 — *cosmicos* VII 41, 1 *hemitritaeos*[4]) IV 80, 3, XII 90, 2 (PF *-us*) *lotos* IV 13, 6, VIII 51, 14 *lygdos* VI 13, 3 *scorpios* III 44, 8 *sophos* VII 32, 4 — *Erotion* V 34, 3; 37, 14, X 61, 1 *Pergamon* XIV 51, 1.

In titulo exstant: *cestos* XIV 206 *monobiblos* XIV 189 *Sauroctonos* XIV 172 et adiectivum *polymyxos* XIV 41.

Ceterorum nominum, quorum numerus permagnus est, poeta terminationem mutavit:

Alanus Alphius Amazonicus Apollodotus Argus Artemidorus

---

[1]) Adhibui editiones Alfredi Klotz, Lipsiae MCMII, et H.W. Garrod, Oxonii (1906).

[2]) Non puto cum Klotzio Statium hoc nomen Graece terminasse, cum hoc in nullo homine fecerit exceptis *Euneos* et *Tityos*, de quibus infra agetur.

[3]) Editiones secutus sum L. Friedlaenderi, Lipsiae MDCCCLXXXVI, et W. M. Lindsayi, Oxonii.

[4]) Hoc nomen deesse in indice nominum Graecam terminationem servantium apud Neue, Formenlehre I[3] p. 130 sqq. Friedlaender I p. 380 monuit.

(VI 77, 3: EXAB *Artemidos*) *Bacchus Bromius Cacus Callimachus Calliodorus Callistratus Canus Charidemus Charinus Charisianus Coresus Cronius Cyllarus Cynicus Dacus Dasius Demetrius Diaulus Didymus Dindymus Diodorus Eutrapelus Eutychus Galaesus Helius Hermaphroditus Hermus Homerus Hyacinthus Hypnus Indus Irus Leitus Liburnus Linus* (VII 10, 1: Rω *Linus* P *Linuos* Q *Linos* EXAFG *Pinus*) *Lyaeus Menelaus Nilus Ninus Oceanus Olphius Olus Oppianus Pacorus Paetus Palinurus Panaretus Pantagathus Papilus Parthenius Parthenopaeus Philaenus Philippus Philomelus Philostratus Phoebus Podalirius Polytimus Priamus Priapus Raetus Rhoetus Sirius Spartanus Spendophorus Stoicus Symmachus Syriscus Syrus Tagus Tartesiacus Telesinus Telesphorus Thalamus Tirynthius Tityrus Tyrius Xanthus Zoilus* — *astrologus barbarismus bubalus canthus cercopithecus chirurgus clinicus colossus corasinus corcodilus discus echinus gelasinus gobius* (*κωβιός*) *mitulus* (*μιτύλος*) *oplomachus opthalmicus phreneticus pragmaticus prasinus psittacus rhombus saccus scarus sciurus tholus tomus trochus* — *Hister* — *onager*.

Palathium — *aphronitrum cybium ephippium garum myrobalanum narthecium parazonium*.

Praeterea invenitur XII 74, 1 forma contracta nominis *cataplus* (*κατάπλους*).

u.

Postremus scriptorum quos dissertatione mea tractari volui est Iuvenalis[1]), de quo graecissante iam, ut in praefatione dixi, Augustus Thiel egit[2]). Et primum quidem Graecum nominativum in *-os* terminantem adhibuit ille poeta his locis:

Rhodos VI 296 *Miletos* VI 296 *Zacynthos* XV 114 (*zacynthos* P [*g* pro *c* p] vel *saguntos* margo [*saguntus* ω]) *Aegyptos* XV 2 (*Egyptus* p), 45 (*Egyptus* p), 116 (*Egyptus* p).

---

[1]) Editiones adhibui L. Friedlaenderi, Lipsiae MCMV et O. Iahnii, Berolini MDCCCLI et praecipue Buecheleri ed. 3, Berolini MDCCCLXXXXIII. Qua in editione recensenda nonnulla de Graecis nominibus in P codice traditis dixit Fr. Skutsch, Berliner Philologische Wochenschrift 14 (1894) p. 621 sqq.

[2]) Praeterea Graeca nomina apud Iuvenalem inventa tractavit: L. Kiaer, Sermonem D. Iunii Iuvenalis certis legibus astrictum esse, Hauniae MDCCCLXXV p. 227 sq.

Latinorum more exire voluit poeta haec nomina:

Aeacus Antiochus Basilus Cacus Chrysippus Chrysogonus Codrus Daedalus Demetrius Democritus Diphilus Glaphyrus Heliodorus Hermarchus Indus Ithacus Lycius Maurus Monychus Pactolus Polyphemus Priamus Sosastrus Stoicus Tagus Telephus Tirynthius — *aretalogus*[1]) *astrologus cammarus cantharus cophinus phoenicopterus pygargus rhombus zelotypus* — *Alexander* — *exodium scaphium.*

2. Vocativos singularis nominum quorum nominativus in *-os* excurrit *-e* vocali terminari non mirum est, cum et Graeci et Latini eadem forma usi sint. Permulti huius generis vocativi inveniuntur, quos afferre longum est. Vocativum nominis in neutralem terminationem exeuntis semel tantum legimus eumque apud Martialem X 65, 2 et 15, qui hoc loco Graecum exitum servavit: *Charmenion.*

3. Nominibus quorum nominativus Graecus in *-ας* vel *-ης*, genetivus in *-ου* excurrit poetae longe plurimis locis Graecam terminationem dederunt[2]).

Grattius uno tantum huius generis nomine *-ης* syllaba terminato usus est: *Perses* 158.

Apud Manilium inveniuntur: *Orestes* II 583 *Pylades* II 583 et *Boreas* IV 591, V 70, 105.

In Priapeis legimus haec nomina in *-as* exeuntia: *Aristagoras* 42, 1 *Scopas* 10, 2, haec in *-es* exeuntia: *Alcides* 9, 9 *Chryses* 68, 12.

In Germanici quoque Arateis huius generis pauca nomina: *boreas* fragm. IV 48, V 7 — *Alcides* Phaen. 544 *Iasides* Phaen. 184 *bootes* Phaen. 598, 624,

apud Phaedrum nullum nisi unum *Scytha* (III prol. 52) Latine formatum invenitur.

Saepius autem nobis occurrunt talia nomina in Senecae tragoediis, quae praebent:

Boreas (Med. 316 Oed. 473 Thy. 128 H.O. 382, 1109) *Lichas* (H.O. 567, 814, 1460) *Lycormas* (H.O. 591) *Pelias* (Med. 666) — *tiaras* (Thy. 663);

---

[1]) Cf. Thiel l. c. p. 41.

[2]) Neue I[3] p. 48 sqq. — Sniehotta l. c. p. 6—7, 52—53. — Bednara l. c. p. 355 (43). — Charis. I 10 p. 1, 19; I 15 p. 1, 67 K. — Quintil. I 5, 61.

Alcides (H.f. 107, 505, 770, 818, 1061 Med. 634 Phaed. 843 Ag. 814, 858 H.O. undevicies) *Atrides* (Ag. 410[a], 513) *Pelides* (Ag. 620); *Eurybates* (Ag. 411) *Laertes* (Thy. 587) *Massagetes* (Oed. 470) *Orestes* (Ag. 196) *Procrustes* (Phaed. 1170 Thy. 1050) *Scythes* (Phaed. 168, 906 H.O. 1251) *Thyestes* (Ag. 4, 25 Thy. 58, 495).

In Herculis Oetaei tragoediae versibus 167 et 1139 Graecam terminationem Seneca Horati[1]) exemplum secutus mutavit *Gyas* pro Graeca forma *Γύης* adhibens[2]).

Inter haec nomina Graece terminantia tria inveniuntur, quae Latina terminatione affecta sunt: *Pelia* (Med. 201: *-as* codd. cum R correxit Avantius, 276: *-as* Eς) *Laerta* (Tro. 700) *Scytha* (Tro. 1104). Praeterea usui Latinorum adaptata sunt haec: *Sarmata* (Phaed. 71 H.O. 158) et *Tiresia* (Oed. 289), quae nominis forma etiam in inscriptionibus scaenarum invenitur.

In Senecae epigrammatis et Apocolocyntosi nullum huius generis nomen, in Octavia tragoedia unum exstat *Alcides* 210.

Columellae liber X praebet *Boreas* 76.

Persius Graeca terminatione usus est in *Arcesilas* III 79 et *Maeonides* VI 11 *Orestes* III 118, Latina in *Melicerta* V 103.

Lucanus Graecam formam servavit his locis:

Achillas VIII 538, 618, X 398, 419 *boreas* I 389, II 646, V 601, 605, VI 390, IX 480, X 221 *Parias* IX 721;

Alcides I 577, IV 621, 633, 646, 652, IX 366 *Arsacides* VIII 409; *Amphitryoniades* IX 644; *Perses* III 158, 286; *Getes* II 54, III 95 *Massagetes* III 283 *Orestes* VII 778 *achates* X 115 *hammodytes* IX 716 *ophites* IX 714.

Latine autem finiri voluit haec:

Bagrada IV 588 *Marsya* III 207 — *Sarmata* III 94, 270 *Scytha* X 455 *pirata* II 578, III 228, VI 422.

Petronius adhibuit Graecas terminationes in versibus hexametris 68, 4, 4: *Aeneas*, 139, 2, 5: *Pelias* — 123, 206: *Amphitryoniades*, Latinam in versu senario 55, 6, 9: *margarita*.

---

1) Carm. II 17, 14.

2) Bentley, Notae atque emendationes in Qu. Horatium Flaccum integrae ed. Quedlinburgi et Lipsiae MDCCCXXV, p. 150 sqq.

Prosaicis locis invenitur Graeca forma nominum: *embasicoetas* 24, 4, 1; 26, 1, 2 *Gorgias* 141, 5, 3 *Habinnas* 65, 5, 2; 67, 3, 1; 10, 1; 12, 1; 68, 6, 2; 69, 5, 3; 72, 1, 2; 4, 1 *Hylas* 83, 3, 2 *Lichas* (quater decies) *Phidias* 88, 10, 3 — *Bargates* 96, 4, 4 *Apelles* 88, 10, 3 *tricliniarches* 22, 6, 1; Latina: *archipirata* 101, 5, 2.

Apud Calpurnium omnia pastorum nomina eius de quo agitur generis Graecum exitum *-as* servaverunt:

Amyntas IV tit., 17, 78 *Idas* II tit., 1, 2, 27, 61 *Iollas* III tit., IV 59, VI 91 *Lycidas* III tit., 46, 50, 55 *Lycotas* VI 26, VII tit.

Eiusdem exitus nomen invenitur in Aetna: *Eurotas* 580.

Valerius quoque Flaccus omnibus fere nominibus de Graecis depromptis primariam terminationem concessit vel ad nomina a se inventa Graecam terminationem detulit. Legimus enim in Argonauticis haec nomina in *-as* exeuntia:

Amphidamas I 376 *Boreas* I 575, 597, II 515, VI 164 *Hylas* I 110, 219, III 183, 184, 486, 537, 549, 599 *Idas* I 166, 461, III 471, IV 224, VI 342, VII 574 *Pelias* I 22, 154, 700, IV 555, V 483, 493, VII 40, 447, VIII 155 *Phlegyas* III 125;

haec in *-es* exeuntia:

Actorides I 407 *Aeacides* I 139, II 511 *Aesonides* I 161, 194, 474, 488, II 334, 346, 385, 659, III 339, 369, IV 675, 755, V 4, 35, 543, 577, 584, 636, VI 655, VII 530, 587, 594, 645, VIII 118, 166, 197, 244, 353 *Aethalides* I 437 *Alcides* I 35, 354, II 451, 462, 521, 533, 543, III 475, 550, 586, IV 78, 701, V 90 *Ampycides* III 420, 460 *Naubolides* I 362 *Nelides* I 388 *Oebalides* IV 294 *Oenides* III 690, IV 33, VI 343 *Porthaonides* [1]) III 705 *Tyndarides* IV 247, 290; *Amphitryoniades* I 635, III 733 *Hagniades* I 482, II 48 *Hippotades* I 610 *Thespiades* II 368; *Aeetes* I 43, III 495, V 285, 553, 586, 596, VI 13, VII 640, VIII 138 *Auchates* VI 132 *Butes* I 394 *Coastes* VI 155 *Cometes* I 356 *Eribotes* I 402 *Lapithes* V 515, VII 606 *Orestes* VII 148 *Sibotes* VI 249 *Thyotes* II 438 *Zetes* I 469, IV 465, 466; *Myraces* VI 690, 717 *Otaces* VI 121 *Phalces* VI 88; *Tages* VI 223;

---

[1]) Baehrensius scripsit *Parthaonides*, sed Langenus (ed. p. 269) hanc scripturam vituperat admonens de Bergkii apud Brix. Plaut. Men. 745 verbis.

Armes VI 530; *Medores* VI 211 *Tyres* VI 201; *Perses* III 493, 502, V 266, 271, 284, VI 15, 26, 34, 75, 725, 741; *Colaxes* VI 48, 621, 646 *Otaxes* VI 529 *Taxes* VI 252;

sed haec tantum Latina terminatione affecta:

Tyra VI 84 — *Odrussa* (Ὀδρύσης) V 591 *Sarmata* VI 162.

Silius Italicus in Punicis retinuit Graecam terminationem his locis:

Aeneas VII 474, VIII 71, 104 *Boreas* I 587, IV 244, 322, VII 570, XII 617, XIV 121, 455, XVI 97, XVII 249 *Cleadas* VII 637 *Critias* IV 371, 383 *Iarbas* VIII 54 *Lycormas* II 644;

Belides I 75 *Marmarides* IX 222 *Tydides* XIII 48; *Aeneades* XIII 767 *Amphitryoniades* II 582, IX 293, XII 119 *Oiliades* XIV 479; *Acestes* XIV 45 *Orestes* XV 313 *cometes* I 461, VIII 637; *Maces* V 194, IX 222; *Geryones* XIII 201; *Choaspes* III 317.

Eadem terminatione finxit poeta nonnulla nomina, quae in Graecorum scriptis non leguntur:

Acherras III 299 *Hampsagoras* XII 345 *Isalcas* V 289, 296;

Chremes I 403 *Iertes* V 259 *Ilerdes* XVI 566, 571 *Ilertes* III 255 *Maraxes* VII 324 *Nealces* IX 226, 268, 363 *Ocres* X 32 *Panchates* XVI 348, 374, 400, 441.

Latinorum rationi adaptavit exitum horum nominum: *Bagrada* (flumen) VI 141, 289, 677, (miles) I 407, VII 663 *Marsya* VIII 503 *Masinissa* XVI 117, XVII 413 *Sabura* XV 441 *Taurea* XIII 143, 161, 170, 371 — *Buta* V 540.

In eiusdem ut putatur poetae Iliade Latina omnia huius generis quae inveniuntur nomina praebent Graecam formam, unum in *-as: Aeneas* 236, 454, 516, cetera permulta in *-es* exeunt:

Aeacides 73, 844, 903, 924, 1005, 1026 [1]) *Atrides* 8, 24, 159, 268, 290, 301, 322, 332, 349, 372, 424, 430, 504, 510, 581, 663 *Dardanides* 826 *Imbrasides* 378 *Nestorides* 840 *Oenides* 466 *Pelides* 81 *Priamides* 226, 610, 660, 755, 988 [1]) *Tydides* 185, 390, 408, 459, 530, 665, 1008; *Eumediades* 710 (sic coniecit L. Mueller, codd.: *eumenides* OV *iuvenis* E) *Thalysiades* 361;

[1]) Versus 601: *Talis Priamides similisque Eacides armis*, in quo Aeacidae nomen difficultates habet, subditivus putatur.

Nastes 241 *Polites* 235 *Polypoetes* 182, 1012 *Thersites* 136; *Pyraechmes* 243; *Meriones* 208, 432, 581, 1013; *Chryses* 13.

Plura etiam talia nomina eaque omnia fere Graece terminata continent Stati opera. In Silvis enim eius invenimus: *Aeneas* I 1, 13, IV 3, 132 *Boreas* III 3, 96, V 1, 82 *Eurotas* II 6, 46 *Glaucias* II 1, tit. *Hylas* I 2, 199 *Philetas* I 2, 252;

Alcides II 1, 113; 2, 24, III 1, 51, IV 2, 50; *Amphitryoniades* IV 6, 33 *Pylades* V 2, 156; *Acoetes* II 1, 93 *Brontes* III 1, 131, IV 6, 48 *ophites* I 5, 35; *Steropes* III 1, 131 et haec duo tantum Latine flexa: *Bagrada* IV 3, 91 et *charta* IV 9, 7.

Etiam in altero eiusdem poetae opere, quod Thebais inscribitur, unum nomen Latine terminatum exstat appellativum *Scytha* XI 437.

Graecam servaverunt formam omnia cetera:

Amyntas VIII 438 *Boreas* I 193, 353, III 526, IV 422, V 705, VI 108, VIII 411, XI 114 *Dorylas* II 571, III 13 *Eurotas* I 119 *Hylas* V 443 *Idas* VI 553, 577, 583, 603, 644, VIII 466 *Lycormas* IV 837 *Phlegyas* III 79, VI 661, 668 *Pterelas* VI 648 *Tiresias* IV 470, 500, X 725, XI 289;

Aegides XII 769 *Alcides* VI 6, VIII 55, X 901, XI 225 *Aonides* IX 95 *Astacides* VIII 718 *Echionides* VI 467 *Haemonides* II 692, III 42 *Hippasides* VII 355 *Ialmenides* X 510 *Iasides* VI 914 *Labdacides* VI 451 *Oeclides* III 470, 620, V 731, VI 445, 518 *Oedipodionides* I 313 *Oenides* VIII 538, 588, 659 *Talaionides* II 141, V 18 *Tyndarides* X 501; *Amphitryoniades* I 486, V 401, VIII 499, XI 47 *Atalantiades* IX 789 *Atlantiades* I 303; *Oedipodes* I 48, II 465, XI 505; *Acoetes* VIII 444 *Aletes* III 178 *Menoetes* XII 245, 360 *Opheltes* IV 741 *Polites* VII 757.

Neque aliam rationem secutus est Statius in Achilleide, quae nomina in *-as* exeuntia non continet, sed omnium, quae Graece *-ης* syllaba terminantur, hanc terminationem praebet:

Aeacides I 86, 578, 852 *Aegides* I 192 *Atrides* I 399, 731 *Oenides* II 86 *Pelides* I 754, 824 *Thestorides* I 516 *Tydides* I 469, 712, 820, 844; *Amphitryoniades* I 190 *Laertiades I* 693; *Aeetes* II 76 *Agyrtes* I 724, 875 *Getes* II 133 *Sauromates* II 133.

In Martialis epigrammatis paulo plura nomina mutata sunt:

Sarmata epigr. III 4 *charta* I 44, 2, II, 1, 4, IV 82, 7, VIII 24, 2, IX 99, 2, X 93, 6, XII 4, 4, XIII 1, 7 (bis), XIV 11, 2;

196, 2 *palaestrita* III 58, 25, XIV 201, tit. *proxeneta* X 3, 4; *bibliopola* IV 72, 2, XIII 3, 4, XIV 194, 2;

Glaucia VI 29, 4 *Marsua* II 64, 8. Sed hoc utrumque nomen aliis locis aliam terminationem eamque Graecam obtinuit: *Glaucias* VI 28, 4 et *Marsyas* X 62, 9.

Praeterea Graece terminata sunt haec:

Achillas III 91, 3 *Hylas* III 19, 4, V 48, 5, VII 15, 2, VIII 9, 2; 4, X 4, 3 *Iollas* XI 41, 7 *Amyntas* XI 41, 1 *Eurotas* IX 75, 9 *Andragoras* VI 53, 2 *Athenagoras* VIII 41, 1; 3; 4, IX 95, 2; 95 b, 2; 4 *Heras* VI 78, 3 *Pythagoras* XI 6, 10 *Boreas* VIII 14, 6 *Lichas* IX 65, 8 *Lycas* I 71, 2;

Aeacides VIII 6, 12 *Aesonides* II 14, 6 *Alcides* VII 50, 5, IX 25, 7; 34, 6; 101, 11 *Phillyrides* II 14, 6; *Pylades* VI 11, 1; 2, X 11, 7 *Sotades* VI 26, 1; 3; *Laertes* X 67, 3 *Orestes* VI 11, 1 *Thyestes* X 67, 4; *Hermes* V 24 (quindecies); *ascaules* X 3, 8 *choraules* V 56, 9, IX 77, 6, XI 75, 3.

Iuvenalis in utroque genere horum nominum Graeca terminatione usus est singulis exceptis *Marsya* IX 2 et *Sarmata* III 79. Haec sunt nomina Graece exeuntia:

Aeneas V 139 *Hylas* I 164 *Ladas*[1]) XIII 97 *Pythagoras* XV 173 *papas* VI 633;

Atrides VI 660 *Cecropides* VIII 46, 53 *Posides* XIV 91 *Tydides* XV 66; *Laomedontiades* VI 326 *Pylades* XVI 26; *Acestes* VII 235 *Antiphates* XIV 20 *Orestes* I 6, VIII 220 *Thersites* VIII 269 *aliptes* III 76 *schoenobates*[2]) III 77; *Zalaces* II 164; *Hedymeles*[3]) VI 383 *choraules* VI 77; *arabarches*[4]) I 130; *acersecomes*[5]) VIII 128; *geometres* III 76.

Nominativum sequitur vocativus. Ut ille Latinae rationi adaptari solet, ita hic Latinum exitum praebet. Itaque nominum quae sequuntur vocativus ubique Graecorum more in *ē* exit, cum nominativus eorum nisi Graece in *-es* terminatus non inveniatur:

---

[1]) F. Iacobs, Animadversiones in epigrammata Anthologiae Graecae, Lipsiae MDCCCIII, vol. III, 2 pag. 58 sq.

[2]) Cf. Thiel l. c. p. 50 sq.

[3]) Cf. Thiel l. c. p. 35.

[4]) De forma *alabarches* cf. Marquardt, Römische Staatsverwaltung I 445 et II 446, 9. — Rostowzew, Mitteil. d. Röm. archäol. Inst. XII 76. — Brandis, Pauly-Wissowa II 343.

[5]) Cf. Thiel l. c. p. 17.

Aeacide (Val. Flacc. I 405, II 427 Stat. Ach. I 932) *Aegide* (Stat. Theb. XII 546: *-des* P) *Aesonide* (Val. Flacc. II 380, VIII 105, 155, 178, 192, 442) *Agenoride* (Val. Flacc. IV 582) *Alcide* (Senec. H. f. 186, 421, 1343 Phaed. 1217 H. O. 1476: E *-es* Sil. It. I 505, 511 Stat. Silv. III 1, 162, IV 6, 97 Mart. IX 65, 1) *Antenoride* (Sil. It. XII 258: *-da* Heinsius) *Atride* (Il. Lat. 124: El m. 1 in *-da* corr. G *-des*, ceteri *-da*) *Belide* (Sil. It. III 650) *Dardanide* (Sil. It. XVI 191: *-de* S *-da* vulgo) *Hyperionide* (Val. Flacc. V 471) *Oenide* (Stat. Theb. IX 50) *Thestoride* (Stat. Ach. I 497) *Tydide* (Sil. It. XIII 58); *Anchisiade* (Sil. It. XIII 71: *-da* Heinsius) *Pylade* (Senec. Ag. 941) *Thespiade* (Val. Flacc. V 44); *Choaspe* (Sil. It. IV 824); *Perse* (Val. Flacc. VI 605).

Excipienda sunt ex his nominibus Graece in -ης exeuntibus ea, quorum terminationi τ consonans antecedit, quorum vocativum Graeci in *-ă* exire voluerunt. Latini hanc vocativi formam, praesertim cum eadem esset atque Latina, receperunt[1]), quam legimus apud Valerium Flaccum: *Aeeta* VII 89, VIII 11, 350 et apud Martialem: *Thyesta* IV 49, 4. Etiam apud Senecam in Agamemnonis versu 933:

aggrediar et te, Oresta, furabor libens

cum hic syllaba *-sta* in quarti pedis thesi posita sit, quo loco ille poeta productam vocalem semper evitavit. Quapropter etiam ceteris locis: *Oresta* (Senec. Ag. 917) *Thyesta* (Thy. 783), quibus mensura eiusdem syllabae dubia est, vocativum *a* vocali correpta formatum esse puto. Manilius autem in V libri versu 300 *Philoctete* dixit, cum versus ratio alteri formae obstaret.

Eorum nominum, quorum nominativus Graecus in *-as*, Latinus in *-a* excurrit, vocativus in *-a* exit. Huius vocalis mensuram statuere non possumus iis locis, quibus aut in fine versus: *Amynta* (Calp. IV 81) *Hiarba* (Sil. It. I 417) *Iolla* (Calp. III 7, 13, 24, 92) *Licha* (Senec. H. O. 99, 570) *Lycorma* (Sil. It. II 637, 643) *Lycota* (Calp. VII 4, 55), aut in prosaico contextu posita est: *Habinna* (Petr. 74, 17, 3; 75, 3, 2) *Licha* (Petr. 109, 3, 1). Latinam terminationem *-ă* habent ea nomina, quorum poetae aut semper aut plerumque nominativo

[1]) Neue I ^{3} p. 39 sq.

Latinam terminationem dederunt: *Glaucia* (Stat. Silv. II 1, 229) *Masinissa* (Sil. It. XVI 158), ad quae accedit *Chrysa*[1]) (Sil. It. XIV 229), cuius nominis nominativus in operibus poetarum eius de qua quaerimus aetatis non invenitur. Cetera Graecam terminationem -ā servaverunt: *Bitia* (Sil. It. II 409) *Doryla* (Calp. II 96) *Lycida* (Calp. III 1, 18, 22, 32, VI 1, 17, 74) *Phlegya* (Stat. Theb. VI 726).

4. Nominum feminini generis, quorum nominativus Graecus in -η vel -α exit, poetae permultis locis Graecam terminationem facilius servaverunt, cum ea, quae per -α finiuntur, plane Latinis nominibus primae declinationis conveniant[2]).

Cum longum sit omnia nomina, quorum nominativus et Graece et Latine in -*a* exit, enumerare, liceat mihi tantum ea afferre, quorum terminationem -*ā* a Graecis productam Latini poetae in versus suos receperunt[3]). Observamus nomina hac ratione terminata his locis:

Argiā: Stat. Theb. XII 178, 255, 303, 373, 391; *Glycerā:* Mart. XIV 187, 2; *Leucotheā:* Stat. Theb. VI 12; *Maleā:* Stat. Theb. IV 224; *Mideā:* Stat. Theb. IV 45 (*midea* M$^{\sigma}$ Müller *medie* P *midae* [*nu-* C *mede* M^{1}f] ω); *Nausicaā:* Mart. XII 31, 9; *Nemeā:* Stat. Theb. I 355 (-*a* ω -*ae* P), II 378 (-*a* ω -*ae* P), IV 159, V 44, 749, VI 516; *Pasitheā:* Stat. Theb. II 286; *Tegeā:* Stat. Theb. IV 287; *cinarā:* Colum. X 235. Non deest vocativus, qui retinuit Graecam terminationem -*ā*: *Nemeā:* Stat. Theb. IV 824.

Alterius generis nomina feminina, quae primam declinationem sequuntur, aut Graecam terminationem -η servaverunt aut cum Latina -*a* mutaverunt.

---

[1]) Nom. Χρύσας Siciliae fluvius.

[2]) Neue I² p. 65 sqq. — Sniehotta l. c. p. 8. 49—50. — Bednara l. c. p. 354 (42). — Charis. I 15 p. 1, 62 K. — Koene, Über die Sprache der römischen Epiker. Münster 1840, p. 42 sq.

[3]) Neue I² p. 83 sqq. — Priscian. VI 2, 10 p. 2, 202 et VII 2, 5 p. 2, 287 K. — Corssen, Über Aussprache, Vokalismus und Betonung der lateinischen Sprache II². Leipzig 1870, p. 448. — Bergk, Jahrb. für Philologie 1861, Bd. 83 S. 497. — C. F. W. Müller, Plautinische Prosodie, Berlin 1869, p. 1 sqq. — Bücheler, Fleckeisens Jahrbb. 1863, p. 336. — Fleckeisen, Kritische Miscellen p. 15. — L. Müller, De re metrica, ed. 2, Lipsiae MDCCCLXXXXIV, p. 394 sq. — Cf. etiam cap. II § 6, 9.

Huius generis nominum servavit Grattius Graece terminata *Sparte* 212 (A *Sparta suos*, Baehrensius scripsit *Sparte vos*), *Syene* 507, mutavit *Creta* 212 [1]).

Manilius Latine scripsit non solum *Europa* IV 681 et *Sparta* IV 688, sed etiam *Creta* IV 785, quamquam antea *Crete* IV 634 (codd. *Creta*, corr. Scaliger) legendum est. Haec Graeca terminatio praeterea servata est in nominibus: *Cassiope* V 505, 537 *Erigone* II 175, 499, III 572, IV 189, 334, 542, V 251 *Helice* I 296, 634 *Olenie* [2]) V 130 *Threce* IV 691.

In Priapeis Graeca terminatio exstat nominum: *Arete* 51, 6 *Cyllene* 75, 10 *Dodone* 75, 1 *Lalage* 4, 3; Latinam accepit *Mycena* 75, 2.

Germanicus et in Phaenomenis et in fragmentis omnibus locis Graecam terminationem servavit:

Alcyone 262 *Andromede* 201 (P -ę AS -*a* Z -*am*), 640 (Z*γ* -*ae*) *Asterope* 263 *Cyllene* 584 *Europe* 537 (C -*ae* *β* fort. *a et*) *Helice* 39, 40, 42, 147 *Ide* 585 *Merope* 262 *Phoebe* fragm. II 2, 10, 14 *Taygete* 263.

Phaedrus servavit *Mnemosyne* III prol. 18.

Nomina Graecorum more in -*e* exeuntia inveniuntur in Senecae tragoediis haec:

Agaue (Phoen. 363 Oed. 616) *Alcmene* (H.f. 22 H.O. 1409: E -*a*, 1689, 1757, 1796, 1853) *Antiope* (Phaed. 227, 927) *Auge* (H.O. 367) *Calpe* (H.O. 1240, 1253) *Chryse* (Tro. 223) *Crete* (Tro. 820 H.O. 1874) *Dirce* (Phoen. 126 Oed. 42, 714) *Enispe* (Tro. 841) *Hecate* (Tro. 389 Med. 577, 841 H.O. 1519) *Hermione* (Tro. 1134) *Hippolyte* (Ag. 848) *Ide* (Tro. 66, 73, 1049) *Iole* (H.O. 238, 278, 346, 1491) *Ithace* (Tro. 857) *Lethe* (H.f. 680) *Merope* (Oed. 272, 661, 802) *Mothone* (Tro. 822) *Mycale* (H.O. 525) *Nephele* (H.O. 492) *Oete* (H.O. 1445) *Pellene* (H.f. 979) *Phoebe* (Med. 97 Phaed. 747) *Polyxene* (Tro. 195: E -*a*, 942: ς -*a*) *Pthie* (Tro. 817) *Rhodope* (H.O. 144) *Sparte* (Tro. 854 Thy. 627) *Thule* (Med. 379) *Tisiphone* (H.f. 984 H.O. 1012) *Tricce* (Tro. 821).

---

[1]) Ne huius quidem generis nominum appellativa, quae ita in Romanorum sermonem transierunt, ut nisi Latine declinata non inveniantur, singillatim attuli:

aula cista coma concha cumba pompa scaena stola syllaba zona.

[2]) Cf. cap. II § 6, 4.

Ex his quae Graecam terminationem *-e* servare solent nominibus invenitur Latine in *-a* exiens: *Oeta* H. O. 862.

Praeter hoc Latinam terminationem cum Graeca commutaverunt haec:

Andromacha (Tro. 907) *Aetna* (Med. 410) *Hecuba* (Tro. 36 Ag. 648: E *-ae* A *-e* corr. ς, 706) *Helena* (Tro. 863, 892, 926, 1136 Ag. 795) *Iocasta* (in Phoen. et Oed. scaen. titulis) *Lerna* (Phaed. 507 Thy. 115).

Eiusdem poetae epigrammata et primariam terminationem: *Pasiphae* 25, 49 *Phoebe* 4, 3 et mutatam: *Europa* 13, 1; 66, 1 praebent.

In Octaviae versu 773 legimus *Sparte.*

Columella omnibus huius generis nominibus, quae in decimo libro inveniuntur, Graecum exitum dedit:

Calliope 225 *Parthenope* 134 *Phoebe* 288 *andrachne*[1]) 376 (codd. *-iae* ψ *-ne*) *campe* 324 *coramble* 178 *moloche* 247.

Persius contra ubique Latinam terminationem adhibuit, quapropter *e* in *a* mutato *mena* III 76 et Pacuvium imitatus[2]) *Antiopa* I 78 dixit.

Lucani Pharsalia continet haec nomina in *-e* exeuntia:

Agaue VI 359, VII 780 *Arisbe* III 204 *Arsinoe* X 521 *Cone* III 200 *Dirce* III 175 *Helice* II 237 *Helle* IX 956 *Idume* III 216 *Libye* II 164 (U1 *-es* MZ *-ae* P *-ens*), III 70 (MPZU *-ae*), III 294, V 485 (MZ *-ae*), VI 306, VII 229, IX 44 (MPUq *-ae*), IX 405 (P *-ae*), IX 410, 411, 450 (ZUm *-ę*), IX 467, 753 (M?AB *-yaes* UGm *-iae*), IX 943, X 38 *Meroe* X 163 (G *-es*), 237 (ZUv *-es*), 303 (VZUgv *-es*) *Oenone* IX 973 *Oete* VIII 800 (V *oetea*) *Phemonoe* V 187 *Phoebe* I 77, 538, VI 500, IX 940 *Pholoe* III 198 (M1 Z *-en*) *Phylace* VI 352 *Sophene* II 593 (M1 UG *-ę*) *scytale* IX 717 (UV *-is*).

Mutata est terminatio:

Aetna VI 295 (Z1 *etnae*) *Creta* III 163, 185, VII 229, VIII 872, IX 38 *Dodona* VI 427 *Europa* IX 415 *Thessala* VI 519, 628, 651, 762.

Non aliam viam ingressus est Petronius in satura, cum

---

[1]) Graece ἀνδράχλη.

[2]) Cf. Buecheleri ed. III p. 9.

et in versibus sive hexametris sive senariis et in prosa oratione cum Latina tum Graeca terminatione usus sit. In versibus Graece exeunt:

Circe 134, 12, 12 *Danae* 126, 18, 7 *Daphne* 131, 8, 2 *Dione* 124, 266; 133, 3, 1 *Phoebe* 89, 54 *Procne* 131, 8, 7 *Tisiphone* 120, 97.

Latine: *Aetna* 122, 135.

In prosa oratione invenimus haec:

Ariadne 138, 6, 1 *Circe* 127, 7, 1; 8, 1; 129, 3, 2 *Hedyle* 113, 3, 1 *Helene* 138, 6, 2 *Psyche* 20, 2, 1; 21, 1, 2; 25, 1, 1, 26, 1, 1;

Helena 59, 4, 2 *Nympha* 83, 5, 1 *basilica* 57, 9, 5 *catastropha* 54, 3, 3 *dialectica* 88, 7, 1 *zelotypa* 69, 2, 4.

Item Calpurnius Graecorum usum secutus est in nominibus propriis: *Leuce* I 13 et *Petale* VI 34.

In poemate, cuius titulus est Aetna, legimus *Aetna* (novies) et *Sparta* 580, sed *Phoebe* 238.

Valerius Flaccus aliquanto plura talia nomina in Argonauticis habet, quibus plerisque Graece finitis utitur:

Aetne II 95 *Alcimede* I 297, 335, 731 *Amymone* IV 374 *Arene* I 463 *Circe* VI 445, VII 217 *Clite* III 11 *Cybele* VIII 240 *Cymothoe* II 605 *Dryope*[1]) III 529 *Hecate* VI 495, VII 364 *Helice* I 18 *Helle* I 50, 282, II 588 *Heniocho*[2]) V 357 *Hypsipyle* II 352, 400, III 342 *Inarime* III 208 *Iphinoe* II 327 *Methone* I 388 *Pallene* II 17 *Panope* I 134 *Peuce* VIII 217 *Pholoe* I 140 *Phylace* I 474 *Sinope* V 109 *Tisiphone* II 194, VI 179, 403.

Ad Latinorum rationem adaptavit exitum horum nominum: *Europa* II 615 *Nympha* IV 27, V 110, 478 *Thraca*[3]) II 202.

Silius quoque Italicus in his nominibus terminandis plerumque usum Graecorum secutus est. Nam haec Graece finiuntur:

Aetne XIV 578 *Agylle* V 17 *Asbyte* II 58 *Autonoe* XIII 401, 489 *Barce* II 62, III 251, IV 356 *Calacte* XIV 251 *Calpe*

[1]) Langenus adnot. in edit. pag. 257: „Dryopen finxit ipse Valerius, nomen fortasse sumpsit ex Verg. Aen. X 551".

[2]) Langenus adnot. in edit. pag. 371: „Heniochen nutricem Medeae ipse Valerius finxit nomine sumpto a gente Heniochorum".

[3]) Nom. Graec. Θράκη. *Thraca* pro *Thracia* legitur apud Verg. Aen. XII 335, Hor. epist. I 3, 3; 16, 3. Cf. Langenum ed. p. 150.

XVII 638 *Catane* XIV 196 *Circe* VIII 440 *Cyane* XIV 515 (vulgo *-es*), 567 *Cybele* IX 293, XVII 8 *Cyme* VIII 531 *Cymodoce* VII 428 *Cyrene* III 252 *Dione* VI 697, XIV 410 *Drepane* XIV 269 *Ephyre* XV 310 *Europe* XIV 568 *Harpe* II 117, XVI 365 *Imilce* III 97, 106, IV 775, 806 *Inarime* VIII 541, XII 148 *Libye* I 194, III 226 *Lipare* XIV 56 *Melite* XIV 251 *Mutyce* XIV 268 *Oete* III 43 *Ortygie* XIV 515 *Parthenope* VIII 534, XII 28, 34 *Pasiphae* VIII 471 *Phoebe* XVI 35 *Prochyte* VIII 540, XII 147 *Pyrene* III 417, IX 230, XIV 35, XVI 278, XVII 641 *Rhodope* III 494, 621, XII 658 *Therapne* VI 303 *Thrace* XI 465 *Tisiphone* II 614 *Tisse* XIV 267 *Tyde* III 367, XVI 368.

Graecam terminationem *-e* cum Latina *-a* mutaverunt haec tantum nomina: *Acesta* XIV 220 *Aetna* XIV 58 *Messena* XIV 194 *Nympha* V 19.

Ilias Latina continet nulla generis de quo agimus nomina nisi haec in *-e* excurrentia: *Andromache* 565, 1018, 1058 *Hecube*[1]) 551 (L *-e* in rasura, ceteri *-a*), 1017 (E *-e*, ceteri *-a*) *Helene* 638 (O *-a*)[2]).

Statius in Silvis usus est mutata terminatione in his nominibus:

Creta II 6, 67 *Lerna* III 1, 29 *Prochyta* II 2, 76 — *nympha*.

Graecam terminationem tribuit his:

Aegiale III 5, 48 *Aetne* III 1, 130 *Alcyone* III 5, 58 *Auge* III 1, 40 *Calliope* II 7, 38 *Cybebe* V 1, 223 *Cyme* IV 3, 65, V 3, 168 *Cymodoce* II 2, 20 *Cyrene* II 6, 67, V 3, 108 *Daphne* I 2, 131 *Dirce* II 7, 18 *Hebe* III 1, 27 *Hecate* I 5, 56 *Helene* IV 8, 28 *Hyele* V 3, 127 (sic Heinsius, codd. *sele*) *Ide* I 1, 10 *Libye* III 5, 82, IV 3, 138, V 1, 100 *Nemee* III 1, 143, 182 *ode* IV 5 tit., 7 tit. *Paphie* III 4, 82 *Parthenope* I 2, 261, III 1, 152; 5, 79, IV 4, 53 *Penelope* III 5, 47 *Peuce* V 2, 137 *Phemonoe* II 2, 39 *Phoebe* V 4, 7 *Pirene* I 4, 27 *Procne* II 1, 140 *Sparte* V 3, 108 *Syene* IV 2, 27 *Temese* I 1, 42 *Thrace* III 5, 81 *Thyle* V 1, 91.

---

[1]) Skutschius cum Luciano Muellero (Über den Auszug der Ilias, den sogenannten Pindarus Thebanus, Berlin p. 31) *Hecabe* scribi mavult.

[2]) Cf. cap. II § 6, 4.

Neque aliter usus est in Thebaide nominibus *Ephyre* IV 59 *Ocalee*[1]) VII 260 *Tegee* XI 177.

Latinum autem dedit exitum his:

Alcmena VI 288 *Creta* I 279 *Dodona* III 106 *Iocasta* I 681, VII 475, 609, VIII 641, 646 X 798, XI 492 *Lerna* I 360, IV 172, 710, VI 494, IX 341, XII 146[2]) *Thessala* IV 504 — *nympha* VII 297[3]) (*-ae* Pg *-a ω*), IX 597 et *Ida* I 278, VII 188, quod nomen his aliis locis Graece exire voluit: *Ide* III 134, IV 784.

Cetera omnia secundum originem Graecam in *-e* terminavit:

Agaue III 190 *Alcyone* IX 361 *Amymone* VI 288 *Antigone* VII 244, 253, XI 355, 371, 630, 708, XII 332, 350, 371, 405 *Arne* VII 331 *Astyoche* III 171 *Callirhoe* XII 629 *Circe* IV 551 *Cyllene* IV 288, VII 187 *Danae* VI 287 *Deipyle* II 373, VIII 591, XII 119 *Dirce* I 38, IV 447, XII 610 *Dryope* II 614 *Dyme* IV 124 *Enispe* IV 286 *Erigone* XI 645 *Eurydice* VI 136 *Euadne* XII 126, 801 *Gargaphie* VII 274 *Gorge* V 207 *Hecate* XII 129 *Hippolyte* XII 534, 636 *Hypsipyle* V 39, 544, VI 132, 245 *Ismene* VIII 622, XI 643 *Ithome* IV 179 *Itone* II 721 *Lycaste* V 226, 467 *Messe* IV 226 *Messene* IV 179 *Nealce* XII 122 *Niobe* VI 124 *Pylene* IV 102 *Rhipe* IV 286 *Rhodope* V 189, XI 195 *Semele* II 292 *Sparte* VII 412 *Stratie* IV 286 *Thebe* I 680 (*-ae* Pω), VI 515 *Thisbe* VII 261, IX 768 *Tisiphone* IV 213, VI 514 (*-ae* Q), VII 467, VIII 346, 758, IX 150, XI 58, 208, 483 *Uranie* VIII 551 *pale* VI 830 (*-e* ς *-es* PωΣ[1]).

In Achilleidis primo libro poeta retinuit Graecam terminationem horum nominum:

Hecate 344 *Helle* 24 *Ide* 872, 927 *Nemee* 415 *Pholoe* 238 *Temese* 413 (C[1] -ę) *Thrace* 201,

---

[1]) Cf. cap. II § 6, 4.

[2]) Quamquam codex P et scholiasta hoc loco Graecam formam *Lerne* praebent, non puto cum Kohlmanno eam in textum recipiendam esse, cum non solum reliquis locis Statianis, sed etiam apud Senecam Phaed. 507 Thy. 115 Latina forma exstet. Optime Klotzius reliquos codices secutus genetivum *Lernae* posuit.

[3]) Quamquam Kohlmannus et Klotzius hoc loco Graecam formam textui inseruerunt, tamen praefero Latinam, quia hoc nomen cum a Statio ipso altero loco tum ab omnibus poetis, qui id adhibuerunt, non solum in nominativo, sed etiam in reliquis casibus Latine terminatum est.

mutavit cum Latina horum:

Creta 387 *Europa* 397 *Lerna* 417 *Messena* 422.

Apud Martialem haec nomina Graece terminata sunt:

Aegle I 72, 3, XII 55, 4 *Calliope* IV 31, 8 *Canace* XI 91, 1 *Chione* III 34, 2; 83, 2; 97, 1, XI 60, 1; 2; 7; 11; 12 *Chloe* IX 15, 2 *Circe* VIII 36, 10, X 30, 8 *Cybele* VIII 46, 4, IX 39, 2 *Danae* XIV 175 tit.; 1 *Daphne* XI 43, 7 *Euhadne* IV 75, 5 *haphe* VII 67, 5 *Hebe* IX 65, 13 *Helene* I 62, 6 *Hermione* III 11, 4 *Hippodame* IV 31, 10 (PQEωScr. *-us*) *Lalage* II 66, 3; 5 *Libye* III 77, 4, IX 56, 12 *Lyde* I 71, 2 *Melpomene* IV 31, 7 *Myrtale* V 4, 1; 6 *Mytilene* X 68, 1 *Nemee* epigr. 27, 3 *Niobe* X 67, 2 *Penelope* I 62, 6, XI 104, 16 *Peuce* VII 7, 1 *Rhodope* epigr. 21, 1 *Syene* IX 35, 7 *Terpsichore* III 68, 6.

Sed praeter formam *Europe*, quam II 14, 5 et XIV 180 tit. servavit, etiam Latinam *Europa* V 74, 1 adhibuit.

Praeterea Latina terminatione finivit haec:

Creta II 2, 1, IX 20, 6 *Telesina* II 49, 2 *Theophila* VII 69, 1 — *bibliotheca caryota copta cordyla dactyliotheca nympha phiala ruta* (ῥύτη vel ῥυτή) *stropha theca*.

Iuvenalis graecissavit terminatione *-e* servata his locis:

Cyane VIII 162 *Lyde* II 141 *Mycale* V 141 *Niobe* VI 177 *Thebe* XV 6 *Thyle* XV 112 *Thymele* I 36, VI 66 (bis) *crambe* VII 154[1]), sed Latine formavit:

Polyxena X 262.

Vocativi quoque plerumque Graeca terminatione instructi a poetis adhibiti sunt. Invenimus enim huius generis hos:

Aegle (Mart. I 94, 1, XII 55, 13) *Antigone* (Stat. Theb. VII 295, 364) *Calliope* (Sil. It.. III 222, XII 390 Il. Lat. 1064: L -ę Stat. Silv. III 1, 50 Theb. IV 35, VIII 374 Iuv. IV 34) *Chione* (Mart. III 87, 1) *Chloe* (Mart. III 53, 5, IV 28, 1) *Circe* (Val. Flacc. VII 347) *Crocale* (Calpurn. II 71, 75) *Cybele* (Mart. IX 2, 13) *Erigone* (Aetna 587) *Hecate* (Senec. Med. 7, 833 Phaed. 412 Luc. VI 700, 737) *Helene* (Mart. IX 103, 7) *Helice* (Manil. IV 589) *Hypsipyle* (Val. Flacc. II 244) *Lethe* (Senec. H.O. 936) *Libye* (Mart. VIII 55, 13 Iuv. V 119) *Melie* (Val.

[1]) De huius vocabuli forma recta vel antiquiore cf. A. Schoene, Neue Jahrbb. 1895, p. 848 (Friedlaender ed. p. 387).

Flacc. IV 119) *Nealce* (Petr. fragm. 39, 1) *Parthenope* (Stat. Silv. IV 8, 3, V 3, 105) *Penelope* (Priap. 68, 37) *Persephone* (Luc. VI 700: M -*e*) *Phatne* (Aetna 237) *Phoebe* (Senec. Med. 770, 874 Oed. 254 Ag. 819) *Polyxene* (Senec. Tro. 367: ς -*a*) *Rhodope* (Sil. It. XI 476) *Thebe* (Senec. Oed. 112 Stat. Theb. V 745, X 594) *Tisiphone* (Luc. VI 730: MZ -*es* Petr. 121, 120 Stat. Theb. I 59, IV 486, VIII 66).

Quinque tantum nomina Latinum vocativi exitum receperunt: *Andromachă* (Sen. Tro. 533, 925) *bibliothecă* (Mart. VII 17, 12) *Cretă* (Senec. Phaed. 85 H. O. 1882) *Iocastă* (Stat. Theb. II 294) *Nymphă* (Sil. It. VIII 227).

5. Nomina, quorum nominativus casus terminatione -*is* -*as* -*s*, vel -*ax* -*yx* -*x*, vel -*an* -*in* -*en*, vel -*or* -*er* finitur, non mutata sunt, cum iisdem terminationibus nomina Latina tertiae declinationis utantur[1]). Quapropter, praesertim cum numerus eorum permagnus sit, sufficiet nonnulla exempla attulisse.

Inveniuntur enim apud Germanicum: *Colchis Plias arctophylax Titan crater;* apud Phaedrum: *Anacharsis Pallas Phryx;* apud Senecam: *Aulis Charybdis Symplegas Cyclas Dolops Sphinx Astyanax Eleusin;* apud Persium: *Baucis Polydamas;* apud Lucanum: *Phocis Themis haemorrhois lampas Arcas Arabs seps Cilix Trachin aer aether prester;* apud Valerium Flaccum: *Elis Propontis Thaumantias Cyclops chalybs phalanx Helix Pan Nestor Castor;* apud Silium Italicum: *Eumenis Thybris Mimas Eurydamas Cres Cinyps Syphax Bebryx Siren Crantor;* apud Statium: *Lachesis Phasis Thamyris trieteris gymnas Lemnias Helops Styx thorax Alcman hymen Troezen Agenor;* apud Martialem: *Daphnis Nemesis aegis dipsas Pelops Eryx bombyx Mentor nectar;* apud Iuvenalem: *Phalaris pthisis phrenesis orexis*[2]) *adamas Psecas Syrophoenix onyx Paean rhetor;* multa alia apud singulos poetas.

Item ubique Graeca forma *delphin* exstat Phaenomenorum versibus 613 et 691 exceptis, ubi Germanicus *delphinus* scripsit[3]).

---

[1]) Sniehotta l. c. p. 8—9.

[2]) Thiel l. c. p. 49 sq.

[3]) O. Weise, Die griechischen Wörter im Latein, Leipzig 1882, p. 113. — Neue I³ p. 492. — Prisc. VI 5, 25—27 p. 2, 216 sqq. K.

Notabile mihi videtur praeterea, quod *o* vocalis Graecae terminationis *-τωρ* saepius correpta est ut *Nestŏr* (Stat. Theb. IV 127) *Castŏr* (Stat. Theb. VI 329) *Hectŏr* (German. epigr. I 7) *rhetŏr* (Mart. V 21, 2) multa alia [1].

Fusius mihi tractanda videntur nomina, quorum nominativus Graecus in *-ας*, genetivus in *-αντος* exit, cum eorum terminatio modo *-as* modo *-ans* in codicibus Latinis tradita sit [2]. Sniehotta [3]) censuit apud poetas usque ad aevum Augusteum terminationem *-as* solam tuendam esse. Equidem quomodo apud poetas posteriores res se habeat perscrutari conabor. Ut qualis sit eorum usus cognoscas, omnium huius generis nominum rationes scribendi, quae in codicibus exstant, inter se comparabo.

Legimus igitur in codicibus:

Gratti: *Acragas* 527;

Manili: *adamas* IV 926;

Germanici: *Atlas* Phaen. 264 (*Alas* S *alas* AP *athlas* MZ *athlans* E *Atlans β*) *Atlans* fragm. V 1 (unus codex Arundelianus *adhlans*);

Senecae Tragoediarum: *Atlas* H.O. 12, 1599 *Atlans* H.O. 1908 (*atlas* A) *Calchas* Tro. 352, 359 (*Calcha* A), 533 (*caecas* E), 534, 592, 636, 749 Ag. 167 (*chalchas* E) *Garamans* Phaed. 68 *Garamas* H. O. 1106 *gigas* H. O. 1215 *gigans* H.O. 1759 *Mimans* H.f. 981 (*mimans* EA *Mimas* Avantius) *Mimas* H.O. 730 (*minas* Eς), 1384 (*minas* E) *Poeans* H.O. 1604;

Persi: *Polydamas* I 4;

Lucani: *Aeas* VI 361 *Atlas* IV 672 (*atlans* PCz) *elephans* VI 208, IX 732 *Taras* V 376 (*tares* Z);

Valeri Flacci: *Abas* I 453 *Acamas* I 583 (nonnulli *Acamans*) *Atlans* II 620, V 410 *gigas* IV 200 (nonnulli *gigans*);

Sili Italici: *Agragas* XIV 210 (*agragos* S) *Athlas* I 201, 202 *Atlans* V 271 (*Atlans* S *Atlas a litore* Cm ep. 46)

[1]) Neue I³ p. 267 sq.

[2]) Neue I³ p. 233 sqq. — Lindsay, The Latin Language, Oxford 1894, p. 69. (Versionis Germanicae a Nohlio Lipsiae 1897 editae p. 80.) — Buecheler, Grundriss der lateinischen Deklination, Bonn 1879, p. 12.

[3]) Sniehotta l. c. p. 9 adnot. 2.

Atlas XII 658, XVI 36 (*athlas* S), 378, 401 *Calchas* XIII 38, 41 *Eurydamas* II 178 (*Eurymachus* Heinsius et Bothe), 186 *Garamas* IV 452, V 194, VI 676, 705, VIII 267, IX 222, X 304, XII 749, XVII 634 *Mimas* IV 276 (*Mimas* Cm *numas* L *mumas* F *minax* OV);

Iliad. Lat.: *Acamas* 237 (*achamas* O), 245 (*athamas* BE), 788 (*achamas* O) *Calchas* 152 *Polydamas* 786 (*Polimadas* E *Palidomas* L) *Thoas* 202, 583;

Stati Silv.: *Athamas* II 1, 143 *Tarans* I 1, 103 (*Taras* Politianus);

Theb.: *Abas* II 220 (*abans* μ *aba* f), IV 589, VII 647, VIII 447 *Acamas* VIII 445 *Alcidamas* VI 740 (*alcidamus* r) *Athamas* I 13, III 186 *Atlans* I 98 (*athla*|*s* [-*n*-] PQ $_h$ -*as* ω), V 430 (*atlans* PQμ *at*(*h*)*las* ω), VII 4 (*athlans* P *atla*//*s* B[1] *at*(*h*)*lans* KQ[1]μ *at*(*h*)*las* ω) *Dymas* X 348, 360, 406 *gigans* IV 176 (*gigans* P *gigas* ω) *Periphas* II 631, VII 643 *Phorbas* VII 253 *Thiodamas* X 286 *Thoas* VI 342, 434, 466, 476;

Ach.: *Abas* I 702 *Calchas* I 552;

Martialis: *Atlans* VI 77, 7, IX 3, 5 (*Atlans* F *Athlans* PXA *Atlas* Q Scr. Schn.), XIII 2, 2 (*Atlans* TEXAF) *elephas* epigr. XVII, 1;

Iuvenalis: *adamans* VI 156 *Atlans* XI 24.

Ex his nominibus nunquam in codicibus litteris -*ans* finita sunt haec:

Abas Acragas Aeas Alcidamas Athamas Calchas Dymas Eurydamas Periphas Phorbas Polydamas Thiodamas Thoas.

In ceteris:

Acamas[1]) *adamas Atlas elephas Garamas gigas Mimas Poeas Taras*

terminatio -*ans* vel omnibus vel nonnullis codicibus tradita est. Atque in omnibus illis quos attuli 96 locis 25 tantum sunt, quibus id factum est, reliquis 71 locis invenimus terminationem -*as* omnibus codicibus traditam. Quae cum ita sint, negare non audeo hic illic poetas formam in -*ans* exeuntem adhibuisse, etiamsi fortasse editores non ubique eam recte e

[1]) In Thesauro linguae Latinae I 246 forma per -*ans* terminata non commemoratur.

lectionibus codicum in textum receperunt. Etiam de Vergili usu contra Sniehottam idem statuo, praesertim cum scribendi ratio nihil ad pronuntiationem attinuerit. Nam *n* ante *s* debilem fuisse iam antiqui scriptores multaque exempla velut *thesaurus* — *thensaurus* demonstrant. Facile denique intellegitur, quomodo littera *n* ex genetivi terminatione *-antos* per analogiam in nominativum quoque recepta terminationem *-ans* effecerit, quae apud Latinos nequaquam aeque atque apud Graecos erat inusitata [1]). Praeterea apud Romanos analogiam formarum velut *animans* et similium aliquid valuisse non negabimus.

Vocativus nominum, de quibus agimus, terminationem nominativi servat:

Pallas Syphax Styx Cilix Paean Titan Eleusin Hector Nestor Castor alia.

Excepti sunt vocativi nominum in *-as* terminantium, quorum genetivus in *-antos* excurrit [2]):

Dyma (Stat. Theb. X 352) et *Alcidama* (Stat. Theb. X 500).

Item excepta sunt nomina in *-is* exeuntia [3]), quorum hos vocativos inveni:

Daphni (Calpurn. II 94) *Iphi* (Val. Flacc. I 441) *Isi* (Stat. Silv. III 2, 101) *Lycori* (Mart. I 102, 1, VI 40, 1) *Nerei* (Stat. Ach. I 527) *Oenei* (Senec. H.O. 583) *Persei* (Senec. Med. 814 Stat. Theb. IV 482) *Phasi* (Val. Flacc. V 205, 208) *Philaeni* (Mart. II 33, 1—4, VII 67, 16; 70, 1, IX 29, 1, X 22, 3) *Phylli* (Calpurn. III 45, 61, 65, 70 Mart. XI 29, 2; 8; 50, 1; 12 bis) *Thai* (Mart. IV 12, 1; 2; 50, 1; 2) *Thebai* (Stat. Theb. XII 812) *Theti* (Stat. Ach. I 80).

Metri causa, ut elisio evitaretur, *-s* nominativi servatum est duobus locis: a Seneca in adiectivo *Daulis* (Thy. 275) et a Martiale in substantivo *Baetis* (XII 98, 1).

Idem fecerunt, ut terminatio in arsi hexametri posita insequenti consonanti produceretur, Columella, qui *Nais* (X 299), et Iliadis Latinae auctor, qui *Paris* (320) scripsit, quo in nomine idcirco quoque formam nominativi vocative usurpatam

---

1) Buecheler, Grundriss der lat. Deklination, Bonn 1879, p. 14.
2) Neue I³ p. 446 sq.
3) Neue I³ p. 443 sq.

esse verisimile est, quod eo iuvenis Priami filius nominatur, cum omnia cetera feminas indicent.

Eandem rationem vocativi fingendi invenimus in Petroni satura, in qua duobus locis pedestris sermonis (128, 3, 1 et 131, 7, 1) *Chrysis* legitur.

In Lucani autem VIII libri versu 251 tot exemplis supra allatis commotus cum prima manu codicis V et correctore codicis Z *Phaseli* scribendum esse puto, quamquam ceteri codices *Phaselis* praebent, quod Hosius in textum recepit.

6. Nomina, quae in *-ευς* excurrunt, in lingua Latina hanc terminationem servaverunt[1]). Quam apud poetas ab Enni usque ad Vergili tempora unam syllabam fuisse Sniehotta demonstravit. Qui cum confiteatur „quonam modo poetae, qui post Ovidium fuerunt, his quidem nominibus usi sint, se nescire", mihi quam rationem illi poetae inierint, inquirendum est. Inveniuntur huius generis nomina haec:

Acharneus Aconteus Acoreus Agreus Agylleus Alaeus Alatreus Aloeus Atreus Briareus Capareus Caphereus Celaeneus Cepheus Cretheus Dorceus Enipeus Enyeus Guneus Gyareus Hopleus Hypseus Idomeneus Leonteus Lynceus Megareus Melaneus Menestheus Menoeceus Nereus Nireus Ocheus Oeneus Oileus Orpheus Panopeus Peleus Pentheus Perseus Phalereus Phegeus Phineus Phoceus Phoroneus Phyleus Porthmeus Prometheus Proteus Rhytieus Salmoneus Theseus Thyoneus Tydeus Typhoeus.

Haec 54 nomina leguntur 284 locis, quorum 226 in hexametris, 36 in senariis, 22 in aliis versibus inveniuntur.

Iam ad singulos scriptores perscrutandos adeamus.

Ac primum quidem Manilius nomen *Perseus* ter ita versui inseruit, ut terminatio *-eus* in duas syllabas dirimi possit[2]):

I 350: . . . *quam Perseus armis*
Eripit et sociat sibi . . .
V 594: *Perseus et caelo pendens iaculatur in hostem*
601: *Perseus et ceti subeuntis verberat ora.*

[1]) Neue I² p. 504 sq. — Sniehotta l. c. p. 9—15, 50—51, 61 n. 2. — Bednara l. c. p. 356 (44). — Birt, Über die Vokalverbindung *-eu* im Lateinischen, Mus. Rhen. XXXIV p. 1—37. — Id., Sprach man avrum oder aurum? Mus. Rhen. LII Supplem. p. 10 sqq.

[2]) Birt, Mus. Rhen. XXXIV p. 27, LII Suppl. p. 15.

Ex his tribus primum locum expungendum esse puto, de quo cum Frederico Iacob censeo, qui adnotavit[1]: „recte Bentleius damnavit, nam et barbara sunt et sequitur Perseus vs. 358. Addita autem a librariis eius astrothesia, quia versuum ordo male mutatus Perseum quoque eripuerat". Praeterea monosyllaba pronuntiatio terminationis *-eus*, quam rectam esse mox intellegemus, versum redderet spondiacum, quem poetae semper certo consilio artificii et expolitionis commoti pangere solent.

Reliquis autem duobus locis *-eus* pro una syllaba habendum esse demonstrant cum cetera nomina, quorum terminatio aut in arsi posita est: *Cepheus* I 354, V 450, 470 *Nereus* V 196 *Salmoneus* V 91 aut ultimam versus syllabam explet: *Cepheus* V 23 *Orpheus* I 325, V 327 *Typhoeus* II 879, tum nomen *Perseus* ipsum, cuius terminatio tribus locis (I 358, V 22, 613) in arsi collocata est. Neque quicquam offendemus in rara versus structura, quae efficitur, si nomine *Perseus* duabus syllabis pronuntiato spondeus primum versuum V 594 et 601 locum occupat eumque alii spondei sequuntur. Nam quamquam tales versus rari sunt, tamen in primis trecentis primi libri versibus hos tres inveni:

140: *Ultra se quicquam, cum per se cuncta crearint*
173: *Quodni librato penderet pondere tellus*
275: *Atqui fulgentis caelo cum surgis ad Arctos.*

Eadem syllabae *-eus* pronuntiatio metro postulatur Priapeorum versus hexametri 80, 5:

utilior Tydeus qui, si quid credis Homero,

et hendecasyllabi XII 4:

Theseus repperit in rogo iacentem[2]).

Germanicus in Phaenomenis ita usus est his nominibus, ut syllaba *-eus* nisi per dipthongum enuntiari non possit. Nam nominum *Cepheus* et *Perseus* partem posteriorem aut in arsi (*Cepheus* 643 *Perseus* 685) aut in fine versus hexametri posuit (*Cepheus* 184, 314, 680 *Perseus* 707).

Neque aliam rationem iniit Phaedrus in senariis fabularum. Terminationem enim nominis *Promethei* semper in thesi

[1]) Edit. p. 18.
[2]) Birt, Mus. Rhen. LII Suppl. p. 11.

tertii pedis collocavit, sed ita, ut una syllaba efficeretur sive consonanti insequente (Fab. Perott. 4, 1[1]); 14[1])) sive iubente illa lege, qua non licet duas breves syllabas, quae vocem finiunt, thesin senarii explere[2]) ut IV 15, 3[1]):

Idem Prometheus, auctor vulgi fictilis.

Unus excipiendus est locus V 1, 1[3]):

Demetrius, qui dictus est Phalereus.

Quamquam non dubium est quin hic terminatio *-eus* in duas syllabas dirimenda sit, haec enuntiatio faciliorem habet explicatum, cum *Phalereus* hic vim adiectivi habeat, non secus ac *Tyndareus puer* apud Valerium Flaccum I 167[4]).

Deinde quam viam Seneca ingressus sit, inquiram. Inveniuntur in eius tragoediis nomina eius generis, de quo agitur, haec:

Acharneus (Phaed. 22) *Atreus* (Thy. 180, 281, 412, 547, 683, 704, 712, 737) *Briareus* (H.O. 167) *Caphereus* (Ag. 560 H.O. 777) *Eurystheus* (H.f. 78, 479, 526, 830 H.O. 404, 1800, 1973) *Lynceus* (Med. 232) *Nereus* (Tro. 882 Phaed. 88 Oed. 450 H.O. 4) *Oileus* (Med. 662) *Orpheus* (H.f. 571 Med. 228, 348, 358 H.O. 1034[1]), 1080[1]), 1087[1]), 1092) *Peleus* (Tro. 882) *Pentheus* (Oed. 618) *Perseus* (H.f. 13 H.O. 51, 94) *Prometheus* (Med. 824) *Proteus* (Phaed. 1205) *Theseus* (H.f. 1173 Phaed. 92, 224, 834, 1150 H.O. 1768) *Typhoeus* (Med. 773 Thy. 809 H.O. 1155).

Horum 49 locorum 30 in senariis, 19 in canticis polymetris inveniuntur. De illis primum agamus. Syllaba *-eus* posita est quaterdecies in arsi antecedente longa syllaba et consonanti insequente, ut nullo modo fieri possit, ut *-eus* in duas syllabas dissolvatur; ut exemplum afferam:

Tro. 882: *Peleus nurum vocabit et Nereus nurum.*

14 locis, quibus *-eus* in senarii thesi consonanti insequente posita est, hanc terminationem unam esse syllabam non minus apparet; cuius rei exemplum praebet Thy. 683:

intravit Atreus liberos fratris trahens.

---

[1]) Birt, Mus. Rhen. LII Suppl. p. 11.
[2]) Christ, Metrik der Griechen und Römer, Leipzig 1879, p. 322 sqq.
[3]) Birt, Mus. Rhen. XXXIV p. 32, LII Suppl. p. 15.
[4]) L. Müller, De re metrica, ed. 2, Lipsiae 1894, p. 317.

Bis autem invenimus *-eus* in thesi vocali insequente, in Agamemnonis versu 560:

fallax Caphereus; aestuat scopulis fretum

et in Herculis furentis versu 13:

suasque Perseus aureus stellas habet.

Sed his quoque duobus locis *-eus* non bisyllabum habendum est, cum duas syllabas vocem terminantes in thesi senarii ponere non liceat. Praeterea his quoque locis monosyllaba pronuntiatio comprobatur. *Perseus* enim ceteris duobus locis, quibus invenitur, spondeum praebet:

H. O. 51: *quamcumque pressi — pars quota est Perseus mei*
94: *Python in hydra! Bacchus et Perseus deis.*

Nominis *Caphereus* terminationem eodem modo legendam esse Herculis Oetaei versus 777:

scindit Caphereus, servit hoc Austro latus

eo certius demonstratur, quod in versu supra allato *Caphereus* eodem versus loco positum est.

Transeo ad cantica polymetra, in quibus huius generis nomina undevicies inveniuntur.

Anapaestici monometri syllaba *-eus* semel ultimam arsin, dimetri bis ultimam, ter aliam versus arsin consonanti insequente tenet. Ut exemplis utar, affero:

Phaed. 22: *durús Acharnéus*
H. O. 1155: *vincét scopulós indé Typhoéus*
Med. 348: *Orphéus tacuít torpénte lyrá.*

Logaoedici qui dicuntur versus undecies nomina in *-eus* excurrentia praebent. Sapphici minoris *-eus* ter ultimi pedis thesin, semel tertii dactylici pedis arsin supplet:

Thy. 547: *néc poténs mentís truculéntus Átréus*
H. f. 830: *Nátus Eúrysthéus properánte pártu*

In Glyconeo *-eus* ter primi pedis thesin, semel secundi dactylici arsin occupat:

H. O. 1087: *Órphéus Eúrydicén sequí* [1])
1092: *háec Orphéus cecinít Getís.*

[1]) Birt, Mus. Rhen. XXXIV p. 28.

In Asclepiadeo minore *-eus* terminationem ter invenimus: in ultima arsi, in arsi dactyli, in thesi primi pedis Pherecratei secundi catalectici:

H.O. 167: *quís vastús Briareūs, quís tumidús Gyás*
H.f. 526: *Eúrystheūs facilí régnet in ótió*
571: *Órpheūs, Eúrydicén dúm repetit suám.*

Semel tetrameter dactylicus *-eus* syllabam continet in arsi positam:

Oed. 450: *ét tumidúm Nereūs posuít mare.*

In Phaedrae versu 1205 tetrametro trochaico catalectico:

últimó quodcúmque Próteūs áequorum ábscondít sinú

-eus in thesi vocali insequente positum est. Sed ne hoc quidem loco *-eus* duabus syllabis enuntiare licet, cum hae duae syllabae breves in thesi positae vocem finiant. Praeterea ceteris 18 locis lyricorum versuum id metro incolumi fieri non posse exemplis demonstravi, ut hoc quoque loco *-eus* una syllaba pronuntiandum esse mihi persuaserim.

Idem censeo de eiusdem poetae XXV epigrammatis versu 45:

Orpheus infernas speravit tollere leges [1])

cui sententiae argumento est nomen *Nereus*, cuius terminatio XXXVI epigrammatis versus 3 quartam arsin supplet. Neque magis quam apud Manilium forma versus postulat, ut *Orpheus* duabus syllabis pronuntietur. Similes enim versus interdum in Senecae epigrammatis inveniuntur. Exempli causa affero eiusdem carminis versum 51:

Sperat qui curvo sulcos perrumpit aratro

et hos:

26, 3: *Famam temptasti nostram sermone maligno*
5: *Contra rem nuper pugnasti, livide, parvam*
32, 3: *Felix adversis et sorte oppressa secunda es*
48, 1: *Iunxit magnorum casus fortuna virorum.*

In tragoedia, quae inscribitur Octavia, uno loco invenimus terminationem *-eus* pro dipthongo usurpatam:

707: *spumante Peleūs coniugem accepit Thetin*

Apud Persium nomina in *-eus* excurrentia non inveniuntur.

---

1) Birt, Mus. Rhen. LII Suppl. p. 15.

Lucanus per *-eus* syllabam versum heroicum clausit his locis: *Acoreus* VIII 475, X 193 *Aloeus* VI 410 *Enipeus* VI 373, VII 116 *Nereus* II 713 *Typhoeus* V 101.

Ceteris locis hac terminatione usus est in arsi posita ita, ut una syllaba efficeretur. Bis enim consonans sequitur vel una longa (*Nereus* VI 349) vel duabus brevibus syllabis (*Briareus* IV 596) antecedentibus; ter vocalis sequitur, sed insequens vox aut a duabus longis (*Gyareus* III 600 *Pentheus* VII 780) aut a duabus brevibus syllabis (*Phoceus* III 697) incipit.

Petronius nomen *Porthmeus* in fine hexametri posuit (121, 117), sed nomen *Proteus* ita inseruit versui 134, 12, 14:

Proteus esse solet quicquid libet. his ego callens

ut Birtius hoc versu exemplo bisyllabae pronuntiationis syllabae *-eus*, quam defendit, uti potuerit[1]). Tamen hunc locum in tanta multitudine contrariorum nullum argumentum esse censeo.

Auctor Aetnae nominis *Tereus* terminatione arsin quartam versus 589 explevit.

Iisdem rationibus ac priores usus Valerius Flaccus in arsi collocavit terminationem nominum:

Cretheus V 477 *Lynceus* I 462 *Nereus* I 658 *Peleus* I 144, 264, 403, III 138 *Phineus* IV 467, 473, 629 *Salmoneus* I 662 *Theseus* IV 701 *Tydeus* III 103.

Ceterum *-eus* syllaba thesin ultimi pedis explet:

Celaeneus[2]) III 406 *Cepheus* I 375 *Cretheus* I 740 *Enipeus* I 357, V 208 *Lynceus* I 467 *Ocheus* VI 200 *Oileus* I 372 *Orpheus* I 187, 470 *Perseus* II 63 *Phineus* IV 433, 444 *Thyoneus* I 726 *Tydeus* I 387 *Typhoeus* II 24, IV 236.

In Sili Italici Punicis invenimus duos versus:

III 315: *Perseus, in Libyam dirum fluxisse cruorem*

XIV 414: *Nereus implet aquis, palmaeque, trahente profundo*[3])

in quibus terminatio *-eus* in duas syllabas dirimi potest. Sed valde mirum esset, si poeta his duobus locis hanc terminationem

---

[1]) Birt, Mus. Rhen. XXXIV p. 27, LII Suppl. p. 15.

[2]) Langenus, ed. p. 244: Tota haec res de Celaeneo a Valerio ipso videtur inventa esse et nomen ductum a graeco adiectivo κελαινός.

[3]) Birt, ll. cc.

duabus syllabis pronuntiari voluisset, cum omnibus ceteris locis nomina *Nereus* et *Perseus* ita adhiberet, ut eorum terminatio nisi pro dipthongo haberi non posset. Nam aut in fine versus (*Nereus* XIV 18, XVII 624) aut in arsi (*Nereus* III 49, IV 298, XV 240 *Perseus* XIV 516) posita est. His exceptis nominibus apud eundem poetam invenimus in fine hexametri collocatam terminationem nominum:

Aconteus XVI 563, 573 *Orpheus* XI 460 *Typhoeus* XII 660
in arsi positam:
Briareus XIII 588 *Proteus* VII 420.

Pariter res se habet in Iliade Latina, cuius poeta nomina huius generis aut in fine versus collocavit:

Guneus 206 *Leonteus* 182 *Menestheus* 210 *Nireus* 195 *Peleus* 986 *Phegeus* 405
aut ita versui inseruit, ut terminatio arsin efficeret:
Idomeneus 208, 429, 580 *Rhytieus* 777.

Permagnus est numerus nominum huius generis in Stati operibus, qui in Silvis syllaba *-eus* aut versum clausit sive heroicum:

Theseus III 3, 179 *Orpheus* V 1, 24; 5, 54 sive Phalaecium: *Orpheus* II 7, 59
aut arsin hexametri explevit:
Peleus II 1, 90 *Proteus* III 2, 35.

Plurima autem eiusmodi nomina continet eiusdem poetae epos, quod inscribitur Thebais. Quo in carmine versus finiuntur nominibus, de quibus agitur, his locis:

Aconteus VII 590 *Agreus* VI 912, VIII 441 *Agylleus* VI 837, 858, X 259, 308 *Alatreus* VII 300, XI 35 *Enyeus* XI 50 *Hopleus* VIII 726, X 347, 350, 376, 402 *Hypseus* VII 723, VIII 428, 445, IX 252, 256, 568, XI 280 *Leonteus* IX 133 *Menestheus* VI 661, 698, 725 *Menoeceus* VII 250, 641, VIII 357, IX 267, X 756, XI 264, 653 *Oeneus* I 669, II 165 *Orpheus* V 344 *Pentheus* VII 211 *Phegeus* VII 603, XII 681 *Phoroneus* I 542, II 219, IV 589 *Phyleus* XII 745 *Theseus* XII 665, 730 *Thyoneus* V 265 *Tydeus* I 451, II 113, 370, III 59, 236, 324, V 671, VI 852, VII 611, VIII 458, 720, IX 137, X 25, 355, XII 41.

Birtius[1]) iis versibus, quibus comprobare conatur poetas bisyllabam pronuntiationem terminationis *-eus* sectatos et vocali insequenti assecutos esse, addidit Stati Thebaidis hos:

IX 138: *Tydeus ipse rapit; post et confecta virorum*
253: *Hypseus Astyagen evasurumque relicto,*

quibus adicere potuit

IX 181: *Tydeus ille solo, modo cui Thebana sequenti.*

Illis duobus locis (IX 138 et 253) *-eus* terminationem duabus syllabis pronuntiatam esse Birtius[2]) censet maxime commotus repetitionis figura a poeta ibi adhibita, ubi legimus:

IX 137: . . . *Hanc tibi Tydeus,*
Tydeus ipse rapit . . .
252: *Sternit Iona Chromis, Chromin Antiphos, Antiphon Hypseus,*
Hypseus Astyagen . . .

Antea enim Birtius[3]) sententiam suam exposuit in fine versus hexametri poetas Latina pronuntiatione usos esse alteram superfluam syllabam quasi submergentes:

„In die letzte Senkung versenkte sich eben Überschüssiges am besten: warum sollte solch angenehmer Versteck nicht auch den Nominativen *Orpheus Perseus* zu Gute kommen? Man kann doch nicht ernsthaft dagegen anführen, dass zufällig kein *aureus igneus* am Ende sich findet — wohl aber findet sich ja *aurea* —[4]); denn den fremdländischen Eigennamen konnte und musste um der Schwierigkeit willen sehr wohl ein Vorrecht zustehn".

Ego quoque puto cum Birtio his nominibus Graecis aliquod privilegium concedi posse, sed ita, ut dipthongus *-eu*, quae ceterum apud Latinos minus usitata erat, in iis Graecorum more pro una syllaba servaretur. Sed Birti sententia mihi artificiosior esse videtur, quam ut ei assentiri possim[5]). Immo contra eum iudico repetitionis figura demonstrari terminationem *-eus* in thesi primi pedis positam unam syllabam efficere,

---

[1]) Birt, Mus. Rhen. XXXIV p. 27, LII Suppl. p. 15.
[2]) Birt, Mus. Rhen. XXXIV p. 31. Cf. etiam LII Suppl. p. 11.
[3]) Birt, Mus. Rhen. XXXIV p. 30.
[4]) Optimo iure cum Skutschio contra Birtium puto id afferri posse, nam *aurea* nullum argumentum praebet, cum ablativi *a* vocalis producta sit.
[5]) Sniehotta l. c. p. 14.

cum *-eus* in thesi ultimi pedis versus antecedentis collocatum eandem pronuntiationem postulet. Accedit, quod non solum nominum *Tydeus* et *Hypseus*, de quibus his locis agitur, sed etiam multorum aliorum terminatio arsin explet, quo loco de monosyllaba pronuntiatione dubitatio esse nulla potest:

Tydeus I 402, II 175, 587, 696, IV 94, 602, VI 813, 876, 886, 906, VII 538, VIII 472, 751, IX 299 *Hypseus* IX 540 —

Alaeus XII 622 *Briareus* II 596 *Capaneus* I 45, III 598, 648, IV 166, V 566, 586, 664, VI 732, 747, 784, VII 669, 675, VIII 746, IX 547, 565, X 32, 258, 482, 739, 828, 898, XI 2, 70, 249, XII 706 *Dorceus* IX 809 *Megareus* X 491 *Melaneus* VII 755 *Panopeus* X 497 *Phineus* VIII 255 *Theseus* VIII 54, XII 778, 784.

Nec aliter his nominibus Statius usus est in Achilleide, in qua invenimus syllabam *-eus* in fine: *Caphereus* I 93, 450, aut in arsi: *Peleus* I 440 *Tydeus* I 733, aut in thesi versus consonanti sequente positum: *Peleus* I 898, quem locum Birtius in iis tribus enumerat[1]), quos ipse concedit obstare opinioni ei, quam pronuntiat[2]) his verbis: „Die Dichter machten sich zum Gesetz, falls sie in Namen wie *Theseus* den Versiktus auf die erste Silbe legten, alsdann auf solche Namen consequent einen Vocal folgen zu lassen". Tres tantum versus esse, qui huic legi obstent, perperam Birtium opinari infra[3]) videbimus.

Martialis quoque semper terminatione *-eus* ita usus est, ut una syllaba efficeretur. In eius epigrammatis versum heroicum claudunt: *Prometheus* epigr. 7, 1; XIV 182, 1 *Nereus* epigr. 28, 7 *Orpheus* XI 84, 11, arsin hexametri explet terminatio nominis *Pentheus* XI 84, 11, in thesi posita est senarii *Nereus* X 30, 19[4]), phalaecii *Atreus* XI 31, 1[5]), sed utroque loco nomen insequens a consonanti incipit.

Iuvenalis denique nominibus in fine versus collocatis usus est hic locis:

Atreus VII 73 *Menoeceus* XIV 240 *Prometheus* IV 133, XV 85.

Semel syllabam *-eus* in arsi locavit: X 256 *Peleus*.

---

1) Mus. Rhen. LII Suppl. p. 16.

2) Eodem loco p. 14. — Cf. Sniehotta l. c. p. 13.

3) P. 44 not. 1.

4) Birt, Mus. Rhen. XXXIV p. 32.

5) Birt, Mus. Rhen. LII Suppl. p. 11.

Nunc tabula [1]) usum poetarum illustremus:

Exstat apud	*-eus* syllaba posita: in versus heroici				in versus senarii				in aliis versibus	Summa locorum
	fine	arsi	thesi: ante cons.	thesi: ante vocal.	fine	arsi	thesi [2]): ante cons.	thesi [2]): ante vocal.		
Manilium	4	8		2					[3])	14
Priapeorum auctores		1							1	2
Germanicum	4	2								6
Phaedrum					(1)		2	1		4
Senecam in tragoediis						14	14	2	19	49
Senecam in epigrammatis		1		1						2
Octaviae auctorem							1			1
Lucanum	7	5								12
Petronium	1			1						2
Aetnae auctorem		1								1
Valerium Flaccum	17	13								30
Silium Italicum	6	6		2						14
Iliadis Latinae auctorem	6	4								10
Statium in Silvis		3		2					1	6
Statium in Thebaide	61	50		3						114
Statium in Achilleide	2	2	1							5
Martialem	4	1					1		1	7
Iuvenalem	4	1								5
Summa	116	98	1	11	(1)	14	18	3	22	284

[1]) **Sniehotta** l. c. p. 14.

[2]) **Terminatio *-eus* in thesi versus senarii posita una syllaba est sive quod consonans sequitur (id quod primus numerus huius columnae significat) sive quod duas breves syllabas vocem terminantes thesin explere non licet (quod alter numerus indicat).**

[3]) **Omnes versus heroicis et senariis exceptis hac columna comprehenduntur. Singulos, de quibus supra sub singulis poetis disputavi, non attuli, cum ubique *-eus* pro una syllaba legendum sit.**

Inter hos omnes 284 locos unus, quo terminatio *-eus* duabus syllabis legenda est, ille est, quo adiectivum *Phalereus* versum senarium claudit. Restant 11 loci, quibus *-eus* thesin hexametri vocali insequente explet. Quamquam notabile videtur, quod unum tantum locum apud nostros poetas inveni, quo *-eus* thesin hexametri consonanti insequente occupat[1]), tamen ut iam supra demonstravi, persuasum habeo his quoque locis *-eus* terminationem unam syllabam efficere, maxime coactus vi ceterorum 273 locorum, quibus *-eus* nisi per dipthongum enuntiari non potest.

Denique exquiram, quotiens in codicibus scriptum sit *-aeus* pro *-eus*, quam scripturam in Vergili codicibus inventam Birtius[2]) censuit argumentum esse bisyllabae pronuntiationis. Omnes afferam locos, quibus librarii in nomine per *-eus* terminato erraverunt:

Manilius V 470: *Cepheus] cefeus* V_2

Germanicus 184: *Cepheus] cepheus* (*cephoeus*) C *PHAEVVS* A
643: *Cepheus] cephoeus* Z

Seneca Phaed. 22: *Acharneus] acharnan* codd. corr. Gronovius
Ag. 560: *Caphereus] chapereus* E *caphareus* A
H.O. 777: *Caphereus] caphareus* A
H. f. 526: *Eurystheus] aurystheus* E
epigr. 25, 45: *Orpheus] horphaeus* V

Lucanus III 600: *Gyareus] girare* U_1 *gyartura* Z_1 (M_1?)
697: *Phoceus] phoeceus* U
VI 410: *Aloeus] alteus* Z
VIII 475: *Acoreus] acureos* M_1ZP_1 (*-e///us*) *achoreus* V

Silius Italicus XIV 516: *Perseus] perseus* ChLF *presens* OV
XVII 624: *Nereus] neruis* L

Statius Silv. II 7, 59: *Orpheus] orfeus* L

Theb. IV 602: *Tydeus] tydeus* Pω, *ti*$^{mars}_{deus}$ (*ti* suprascr. B[3]) B
$^{mars}_{deus}$ *A deus haec* b *mars haec* Q[1] in ras.

---

[1]) Sed apud Ciceronem (Arat. 82) Vergilium (Aen. XII 443) Ovidium (Met. VII 3, XI 290) complures tales loci inveniuntur. Cf. Sniehotta l. c. p. 14. — Cf. p. 42.

[2]) Birt, Mus. Rhen. XXXIV p. 15, LII Suppl. p. 13.

Statius Theb. VII 755: *Melaneus]* *melaneus* (*mel-* B^3) BLNbr *melanes* (*-eș* ^us^ M^σ) MfKr *maleus* C *menaleus* Pω

VIII 726: *Hopleus]* *ophleus* P *oppleus* S *hopleus illi* b

XI 35: *Alatreus]* *alatreus* ω *elatres* (^alatreus^) P^r *atreus* (^la^) S^2 *elatreus* BLKCr, cf. VII 300.

50: *Enyeus]* *enyeus* P *enipeus* ωΣ

XII 622: *Alaeus]* *alaeus* b Meursius *alecus* P *al‖eas* (^u^) B^1 *aleus* ω *alaeos* r *aoleus* μ

745: *Phyleus]* *pyleus* B

Achill. I 93: *Caphereus]* *caphereus* PQKΣ^1 *caph·reus* (^e^ add. C^2) C

450: *Caphereus]* *caphareus* C

440: *Peleus]* *pelleus* P

Iuvenalis XIV 240: *Menoeceus]* *moenoecus* P (in margine *meneceus*, in versu *moeniceus* p)

XV 85: *Prometheus]* *promethea* P *prometheus* p.

Plerisque vel omnibus his locis errores librariorum statuo. Quater modo terminatio *-eus* scripta est *-aeus* vel *-oeus*. Sed hi 4 loci nullius momenti sunt contra ceteros 280 scriptorum quos perlegi, quibus *-eus* integrum traditum est. Praeterea iis ipsis locis, quibus *-eus* in thesi hexametri positum insequente vocali facile dirimi potest, de terminatione nulla dubitatio est excepto Senecae epigrammatis 25 versu 45, ubi in codice V *horphaeus* pro *Orpheus* scriptum est.

Denique nonnulla dicam de syllaba *-eus* per synizesin (*-jus*) pronuntiata [1]). Plerisque enim locis, in fine, arsi et thesi insequente consonanti haec pronuntiatio adhiberi potest. Sed tantum abest, ut *-eus* in arsi insequente vocali synizesin admittat, cum terminatio *-us* per se brevis sit, ut fieri non possit, quin his locis dipthongus pronuntietur. Cum autem adduci non possim, ut censeam hanc syllabam aliis locis aliter pronuntiatam esse, mihi quidem persuasum est omnibus locis terminationem *-eus* unam syllabam effecisse.

---

[1]) Buecheler, Grundriss der lateinischen Deklination, Bonn 1879, p. 5.

Vocativi nominum huius generis[1]) inveniuntur:

apud Senecam: *Atreu* (Thy. 513) *Theseu* (H. f.[2]) 637, 654, 914, 1177 bis, 1242, 1318, 1335 Phaed. 869, 1164, 1244) *Toxeu* (H.O. 214); apud Lucanum: *Oeneu* (VI 363); apud Aetnae auctorem: *Theseu* (584); apud Valerium Flaccum: *Caphareu* (I 371); in Stati Thebaide: *Capaneu* (VIII 744, XI 181) *Dorceu* (IX 815, 885) *Menoeceu* (X 802) *Phegeu* (XII 596) *Theseu* (XII 555).

Quorum quin terminatio *-eu* Graecorum more unam syllabam efficiat, dubium esse non potest.

7. Nomina, quae Graece in *-ων* excurrunt, in Latina quoque lingua saepissime hac terminatione utuntur[3]), neque interest, utrum stirps eorum per *ν* an per *ντ* finiatur.

Grattius enim in utroque quod adhibuit nomine Graecam terminationem servavit, sive stirps in *-on* exit: *Hagnon* 214, 215 (bis), sive per *-ont* terminatur: *metagon* 221.

Non aliam rationem secutus est Manilius in his nominibus et huius generis: *horizon* I 665 *Phaethon* IV 834

et illius: *Babylon* IV 804 *Deucalion* IV 833 *Orion* I 392, 502, V 12, 58, 724 *Platon* I 774 *Procyon* I 412, V 197 *Solon* I 773.

In Priapeis nullum nisi illud ab omnibus poetis Latine terminatum nomen *Apollo* 39, 2 invenitur.

Germanicus contra in Phaenomenis ubique Graeco nominativo usus est, quorum omnium nominum stirps in *-on* excurrit:

Chiron 421, 637, 669, 675 *Deucalion* 562 *Iason* 351 *Orion* 314, 329, 601, 658, 682, 724 *procyon* 433, 610, 688.

---

[1]) Neue I[3] p. 445 sq. — Priscian. VII 5, 17 p. 2, 301 K.

[2]) 1304: *Theseu ipse necdum maximum evasi metum* A. Cf. Birt, Mus. Rhen. LII Suppl. p. 11.

[3]) Neue I[3] p. 235 sqq. et 245 sqq. — Sniehotta l. c. p. 17. — Priscian. VI, 6, 29 p. 2, 220 sq. K. — De nominibus Latinis, quorum nominativus in *-o*, genetivus in *-onis* exit, scripserunt: W. Meyer, Das lateinische Suffix -o -onis, Arch. f. Lex. V 1888, p. 223 sqq. — R. Fisch, Substantiva personalia auf o, onis, Arch. f. Lex. V 1888, p. 56 sqq. — R. Fisch, Die lateinischen nomina personalia auf „o, onis", Berlin 1890. — A. Zimmermann, Die lateinischen Personennamen auf -o -onis, Arch. f. Lex. XIII 1904, p. 225 sqq., 415 sqq., 475 sqq. — Sed horum librorum auctores nomina e Graeca lingua sumpta vel omittunt vel nihil, quod ad hanc quaestionem pertineat, afferunt.

Eiusdem generis nomina sunt, quae Graece terminata Phaedrus servavit: *Ixion* Fab.Perott. 5,1 *Sinon* III prol. 27; Latine autem duo exire voluit, quorum alterius stirpem Graeci per ν finiverunt: *Apollo* III prol. 57, alterius per ντ: *draco* IV 20 tit.[1]).

In Senecae tragoediis utriusque stirpis nomina et Graecam terminationem servaverunt et Latinorum usum secuta sunt. Inveniuntur enim Graece terminata

et: *Acheron* (H. f. 715 Oed. 578 Thy. 17 H.O. 1951) *Phlegethon* (Phaed. 1227 Oed. 162 Thy. 1018),

et: *Actaeon* (Phoen. 14 Oed. 756) *Agamemnon* (Ag. 39, 396[a], 779, 932, 962 Thy. 325) *Amazon* (Tro. 243, 673 Ag. 218 H.O. 1185) *Amphion* (H.f. 262 Oed. 612) *Amphitryon* (H.O. 1248) *Charon* (H.f. 771) *Chiron* (H.f. 971 Tro. 832 Thy. 861) *Cithaeron* (H.f. 234, 335, 979 Phoen. 13, 256 Oed. 484, 845) *Cydon* (H.O. 820) *Eetion* (Tro. 219) *Geryon* (H.f. 487 H.O. 26) *Iason* (Med. 8, 118, 137, 141, 262, 518, 816, 898, 933) *Ixion* (H.f. 750 Med. 744) *Marathon* (Phaed. 17) *Memnon* (Tro. 239 Ag. 212) *Orion* (H.f. 12) *Palaemon* (Oed. 448) *Pleuron* (Tro. 827) *Python* (Med. 700 H.O. 94) *Sinon* (Tro. 39) *Typhon* (H.O. 1733) — *aedon* (Ag. 671).

Item nominativus Latino more factus est et nominis, cuius Graeca stirps in *-οντ* exit Latino quidem genetivo sive per *-onis* sive per *-ontis* flexo: *Creo* (Med. 178, 246, 490, 514, 521, 526 Oed. 203, 205), et nominis, cui stirps per *-on* terminata subest: *Agamemno* (Ag. 514). Quamquam in hoc versu codices EA terminationem *-on* praebent, tamen Senecam hoc loco terminatione in thesi alterius pedis posita ut correpta syllaba usum[2]) ideoque formam *Agamemno*, quam Gronovius coniecit, restituendam esse puto, cum in nullius senarii secunda thesi Seneca syllabam productam admiserit[3]).

In Apocolocyntosi poeta inseruit contextui prosaico et Graecam formam: *Myron* 13, 5, 3 et Latinam *Apollo* 4, 2, 1 *Agatho* 12, 2, 2.

---

[1]) Non attuli V 10, 7, quo loco Bentleius emendavit *Lacon* e *latrans*, quod omnes codices praebent.

[2]) Cf. Stat. Ach. I 553: *stimulátque Agamémno voléntes.*

[3]) M. Hoche, Die Metra des Tragikers Seneca, Halle 1862, p. 11 sq.

In tragoediae, quae inscribitur Octavia, versu 916 legimus *aedon*.

Columellae X liber continet Graeca nomina *Tarchon* 346 (*-chon* MR *-cho* S *-cha* A) et *Chiron* 348.

Lucanus quoque praeter *Apollo* formam V 85, 197 nullum admisit nomen Latine terminatum, neque id unum, cuius stirps *-ont* syllaba finitur: *Phaethon* II 413, neque ea plura, quorum stirps in *-on* excurrit:

Ancon II 402 *Babylon* I 10, VI 449, VIII 426 *Chiron* IX 536 *Hammon* III 292, IV 673, IX 514, 518, 525, 572, X 38 *Lethon* IX 355 *Macedon* VIII 694 *Nasamon* IV 679, IX 439, 458 *Python* V 134, VI 408 *Sason* II 627 *Sidon* III 217 *Strymon* III 199 *Typhon* IV 595.

Quin etiam I 214 *Rubicon*[1]) dixit, quamquam hoc nomine fluvius Italicus appellatur.

Petronius haec utriusque generis nomina, si in versibus posita sunt, Graece exeuntia fecit:

Laocoon 89, $_{19}$ *Laomedon* 139, 2, $_{4}$ — *Hammon* 119, $_{14}$ *Sinon* 89, $_{18}$ *aedon* 131, 8, $_{6}$,

si in prosaico contextu inveniuntur, vel eadem terminatione:

Agamemnon Echion Giton Myron

vel Latina finivit:

Agatho Apollo Glyco Trimalchio spado.

Calpurnius Latine dixit *Apollo* IV 9, 57, 72, VI 16, VII 22, sed omnibus ceteris nominibus Graecum exitum *-n* dedit:

Aegon VI 83 *Alcon* VI 1, 6, 21 *Corydon* I tit., IV tit., VII tit. *Ladon* I 18 *Micon* V tit., 1, VI 91 *Stimicon* VI 83, VII 9, 13.

In Aetna Graecum nomen *Orion* 247 exstat.

Valerius quoque Flaccus uno nomine *Apollo* octo locis excepto omnia huius generis nomina Graece terminavit, et id, cuius stirps dubia vel per *-n* vel per *-nt* terminatur: *Medon* III 118, et ea, quae stirpis formam aut hanc praebent: *Acheron* IV 595 *Laomedon* II 552 *Phaethon* III 213 *Thermodon* IV 601, V 121,

---

[1]) Neue I^{3} p. 253. — Georges l. c. p. 605.

aut illam: *Admon* III 167 *Aegon* I 629, IV 715 *Aeson* I 144, 296, 335, 756, 767, 825, VII 494 *Amazon* V 89 *Amphion* I 367 *Ancon* IV 600 *Aron* V 587, VI 524, 536 *Asterion* I 355 *Aulon* I 389 *Chiron* I 139, 255 *Cithaeron* V 81 *Deucalion* I 366 *Echion* I 440, IV 134, 734, VII 543 *Eurytion* I 378 *Hammon* II 482 *Iason* I 298, II 1, III 80, 269, 615, IV 222, 537, 626, 648, V 62, 465, 469, VI 546, 586, 645, VII 28, 43, 221, 307, 385, 396, 576, 600, VIII 213, 316 *Idmon* I 228, 360, III 175, 440, IV 546, V 2, 27, 42 *Iron* III 111, VI 201 *Lacon* I 421, IV 254, VI 255 *Medon* III 118 *Orion* I 647, II 62, 508, IV 123 *Peucon* VI 564 *Sidon* I 20, VI 69 *Telamon* I 166, 353, II 384, 451, 540, III 198, 637, VI 345, 364 *Triton* I 679 *Typhon* III 130.

Eandem viam ingressus est Silius Italicus in Punicis, cum diceret *Apollo* IV 400, V 204, IX 290, XII 406, 711, sed cetera Graeca nomina *-n* littera terminaret:

Acheron XIII 571 *Eurymedon* II 637, 641 *Phlegethon* XIII 564 *Thermodon* VIII 430;

Actaeon XII 365 *Ancon* VIII 436 *Babylon* XIV 658 *Charon* XIII 761 *Cothon* VI 357 *Croton* XI 18 *Cydon* II 444 *Hammon* III 10, V 357, VI 675, IX 298, XII 749, XIV 438, 572 *Hannon* II 277, 285, 326, 360, 376, IV 771, VIII 22, XI 554 *Hieron* XIV 80 *Idmon* VII 609 *Ithemon* V 546 *Lacon* III 295 *Lampon* XVI 334, 392 *Nasamon* I 408, II 62, III 320, IX 221 *Pleuron* XV 310 *Python* XIV 572 *Sason* IX 469 *Sciron* XIV 482 *Sidon* XIV 579 *Thelgon* IV 628 *Theron* II 149, 192, 207, 226, XVI 476, 500, 510 *Triton* XIV 373, 578.

Nam nomina *Carthalo Castulo Gisgo Himilco Hippo Mago Milo Sucro Tarraco* barbarae originis sunt.

Neque aliter res se habet in Iliade Latina, cuius in versibus

171 *Agamemnon* 704 *Dolon* 369 *Leucon* 218 *Machaon* 520 *Mydon* 249, 521, 527 *Sarpedon*,

sed 830 et 911 *Apollo* exstat.

Similiter haec nomina tractavit Statius. Nam duo tantum nomina propria Latine terminata sunt: *Apollo*, quod in Silvis 5, in Thebaide 24, in Achilleide uno loco invenitur, et *Agamemno* in Achilleidis lib. I versu 553. Praeterea Latinorum usui adaptavit metri causa appellativum *artemo* (Silv. III 2, 30).

In plurimis autem reliquis nominibus Graecorum usum secutus est. Haec enim eius generis nomina leguntur

in Silvis:

Arion I 1, 52 *Babylon* II 7, 95 *Chiron* I 2, 216, II 1, 89, V 3, 194 *Cithaeron* II 7, 18 *Helicon* II 2, 36 *Limon* II 2, 82, III 1, 149 *Orion* I 1, 45, III 2, 77 *Palaemon* II 1, 180, III 2, 39 *Triton* III 2, 35; 3, 82;

in Thebaide:

Acheron IV 522, VIII 513 *Creon* 13 locis *Elisson* IV 52 *Eurymedon* VII 262, XI 32 *Hippomedon* 21 locis *Phlegethon* IV 523, VIII 30 — *Acron* X 509 *Aegon* V 56, 88 *Aethion* VI 465, VII 757 *Alcon* VI 556, 606, IX 121 *Amphion* 12 locis *Anthedon* VII 335 *Arion* IV 43, VI 301, 424, 444, 501, 519 *Asterion* IV 122, 713 *Calydon* IV 104 *Cithaeron* 12 locis *Echion* X 494 *Eurytion* IX 749 *Haemon* decies *Hammon* III 476 *Iason* V 403, 456, 471, 479, 726 *Idmon* III 398 *Ion* VIII 453 *Lacon* VI 770, VII 129, VIII 432 *Ladon* IV 289, 836 *Maeon* II 693 *Medeon* VII 260 *Orion* III 27, IX 843 *Palaemon* VIII 135, IX 331 *Pleuron* II 727, IV 103 *Python* I 711, VII 350 *Strymon* VI 464 *Theron* II 572 *Triton* V 707, IX 329;

in Achilleide:

Chiron I 184, 233, 274, 631, II 89, 113.

Martialis praeter *Apollinis* nomen VIII 6, 6, IX 42, 1; 86, 4 Latine terminavit haec:

Maro XI 34, 3, XII 90, 1 *Matho* VII 10, 3; 4; 90, 1; 2 *Philo* V 47, 1 *petaso* XIII 55 tit. *spado* VI 2, 5; 6, XI 81, 1 — *draco* XII 53, 4.

Graecum autem exitum servaverunt omnia reliqua nomina stirpe sive in *-nt* excurrente: *Phaethon* IV 47, 1, V 53, 4,

sive in *-n*: *Aethon* III 67, 5, VIII 21, 7, XII 77, 3; 7 *Alcon* XI 84, 5 *Amphion* XII 75, 5 *Aulon* XIII 125, 1 *Calydon* I 104, 6 *Criton* XI 60, 6 *Deucalion* V 53, 4 *Endymion* X 4, 4 *Helicon* I 76, 9 *Lacon* VII 80, 10 *Ladon* X 85, 1 *Marathon* epigr. 27, 3 *Masclion* V 12, 2 *Palaemon* II 86, 11 *Phaon* X 35, 18 *Themison* XII 20, 2 *Triton* epigr. XXVIII 6 *Tryphon* IV 72, 2, XIII 3, 4 *ichneumon* VII 87, 5.

Eadem est Graeca stirps nominis *bison* epigr. 23, 4, cuius genetivum Latini mutata stirpe *bisontis* flexerunt.

Eandem denique terminationem Iuvenalis servavit in nominibus:

Automedon I 61 *Ucalegon* III 199 — *Amphion* VI 174 *Ancon* IV 40 *Chiron* III 205 *Deucalion* I 81 *Echion* VI 76 *Endymion* X 318 *Iason* VI 153 *Pluton* XIII 50 *Themison* X 221 *chelidon** (VI 6 cod. Bodl.).

Latine autem exire voluit haec:

Apollo I 128, XIII 203 *Matho* VII 129, XI 34 *spado* I 22, VI 376, XIV 91.

Nominativi formam sequuntur vocativi *Apollo* (Petron. fragm. 34, 5 Stat. Silv. IV 8, 47) et *Creo* apud Senecam solum (Oed. 399). Alii huius generis vocativi exstant *Cario* in prosa oratione apud Petronium 70, 10,$_3$, *Maro* et *Matho* apud Martialem XI 67, 2 et IV 79, 1, VI 33, 1, VIII 42, 3, IX 46, 1, XI 68, 2.

Reliqui qui leguntur vocativi Graecorum rationem servaverunt:

Creon (Stat. Theb. XI 677, 709, 737, XII 594) *Eurymedon* (Sil. It. II 645) *Hippomedon* (Stat. Theb. VI 690, VIII 743) *Phlegethon* (Senec. Thy. 73) *scazon* (Mart. I 96, 1, VII 26, 1; 10) — *Agamemnon* (Petron. in pros. 46, 1,$_1$; 48, 4,$_1$; 7,$_2$) *Calydon* (Mart. XI 69, 10) *Chairemon* (Mart. XI 56, 1) *Chiron* (Luc. VI 393 Val. Flacc. I 267 Stat. Ach. I 127) *Cithaeron* (Senec. Phoen. 31 Oed. 931 Stat. Theb. IV 371) *Corydon* (Calpurn. I 8, IV 1, 22, 64, 81, VII 1, 19, 73, 78 Iuven. IX 102 bis) *Cydon* (Stat. Theb. II 623, V 220) *Gongylion* (Mart. III 84, 2) *Hagnon* (Gratt. 250) *Hammon* (Sil. It. XIV 459) *Hannon* (Sil. It. XVII 200) *Iason* (Senec. Med. 447, 998, 1021) *Maron* (Mart. IV 80, 1; 2; 6) *Palaemon* (Iuv. VII 219).

8. Deinde afferam nomina, quorum nominativus Graecus in -υς desinit, quam terminationem omnes poetae Latini in omnibus nominibus a Graecis receptis — uno quidem excepto — servaverunt [1]).

Itaque legimus apud Manilium *Phorcys* [2]) V 586 et apud

[1]) Sniehotta l. c. p. 16. — Hans Leimeister, Die griechischen Deklinationsformen bei den Dichtern Persius, Martialis und Iuvenalis. Diss. München 1908, p. 38, qua de dissertatione mihi hoc temporis momento in manus veniente in fine huius commentationis verba faciam.

[2]) Serv. in Verg. Aen. V 240 vol. I p. 615 ed. Thilo.

Germanicum *Tethys* Phaen. 589. Plura Seneca adhibuit in tragoediis: *Erinys* H. f. 982 Oed. 590 Ag. 83 Thy. 251 H.O. 609, 671 *Libys* H. O. 24, 41 *Othrys* H. O. 494, 1140, 1168 *Tethys* H. f. 1328 Tro. 879 Med. 378 Phaed. 571, 1161 H.O. 1252, 1902 *Tiphys* Med. 318, 346, 617 — *chelys* Ag. 331 *chlamys* Thy. 664, unum in epigrammatis XXXVI versu 9: *Tethys*. In Octavia tragoedia invenitur *Erinys* 23, 161, 263, 619, 913. Lucani Pharsalia continet haec: *Erinys* I 572, IV 187, VIII 90, X 59 *Halys* III 272 *Libys* VI 221 *Othrys* VI 338 *Phorcys* IX 646 *Tethys* I 554, V 623, VI 67. Petronius praebet in satura *Erinys* 124, 255, in fragmentis *chelys* 26, 5. Apud Valerium Flaccum exstant: *Cotys* III 112 *Erinys* II 281, III 19, IV 74, 617, V 146, VII 112, 462, VIII 396 *Halys* V 112, 120 *Libys* I 512 *Othrys* VI 392 *Phorcys* III 727 *Tethys* II 36, V 431 *Tiphys* I 419, 481, 689, III 37, 259, 483, 614, IV 695, V 42 *chlamys* III 118, V 585, VI 226, 526, 708. In Sili Italici Punicis invenimus: *Capys* IV 381, XI 179, 297, XIII 117 *Erinys* II 595, 609, 625, 693, X 417, XIII 293, XIV 99 *Libys* substantivum vel adiectivum 28 locis, *Othrys* III 495, V 437 *Phorcys* III 402, X 173 *Tethys* III 60, XIV 347, XVI 172 *chelys* XI 408, 441, 451. Statius his nominibus usus est in Silvis: *Capys* III 5, 77 *Dictys* II 1, 95 *Erinys* V 3, 195; 286 *Libys* IV 2, 27 *chelys* I 3, 99; 5, 1, II 1, 11; 2, 60, IV 4, 33, V 1, 135; 3, 156; 274 *chlamys* I 1, 43; in Thebaide: *Atys* VIII 554, 598, 603, 638 *Erinys* I 326, II 20, VII 562, VIII 686, XI 383, 619, XII 590 *Halys* II 574 *Itys* VII 643 *Tethys* III 34 *Tiphys* V 413, 477, VIII 212 *chlamys* IV 235, V 438 bis, VI 541; in Achilleide: *Othrys* I 238, 426 *Tethys* I 222. Apud Martialem *Libys* IV 30, 8, VI 42, 13, X 13, 2, apud Iuvenalem *Erinys* VII 68 et *chlamys* VIII 101 invenitur.

Sed unum nomen Ῥαδάμανθυς Vergili[1]) et Ovidi[2]) exemplum secuti mutaverunt in *Rhadamanthus* Seneca (H. f. 734) Silius Italicus (XIII 543) Iuvenalis (XIII 197).

Vocativi[3]) horum nominum litteram *s* nominativum finientem abiecerunt:

---

[1]) Aen. VI 566.

[2]) Met. IX 436.

[3]) Neue I[3] p. 445.

Tiphy (Val. Flacc. I 649, V 102, VIII 181) *chely* (Stat. Silv. IV 3, 119).

9. Nomina neutrius generis Graece in *-ος* exeuntia[1]) omnia hanc terminationem servaverunt exceptis nominibus *pelagus*, quod apud Manilium Phaedrum Senecam Lucanum Silium Italicum Statium, et *cetus*, quod in Manili libri I versu 433 invenimus.

Cetera huius generis nomina sunt haec quattuor:

Argos (Senec. H. f. 1038 Tro. 855 Oed. 486 Ag. 729 Thy. 411, 627 Val. Flacc. I 359 Stat. Silv. III 1, 182: *-us* M Theb. XII 549 Ach. I 419) *chaos* (Manil. I 125 Senec. H. f. 677, 861, 1108 Oed. 572 Thy. 832 H. O. 47, 1115 Lucan. VI 617 Petron. in hex. 120, $_{74}$ Val. Flacc. I 831 Stat. Theb. III 484, IV 520) ***Helos*** (Stat. Theb. IV 181, 224: *Helos* Kohlmannus[2]) sec. Hom. B 584 *pylos* [*-es* L$^{\sigma}$Crν] P$\omega\Sigma$ quae lectio cum v. 125 pugnat. *Helos* autem Laconicum differt ab eo oppido quod v. 181 commemoratum est) *melos* (Phaedr. III 18, 11).

Vocativos eundem exitum praebere non mirum est: ***Argos*** (Senec. Ag. 808, 809) et *chaos* (Senec. Phaed. 1238 Luc. VI 696).

10. Hoc capite tractabo omnes reliquos nominativos singulares, qui apud Graecos desinunt in *-ους -ως -ω* vel *-ης -ες* vel in aliam syllabam, quae apud Latinos non invenitur[3]).

Ac primum quidem ex his complectemur ea, quae in *-ους* excurrunt[4]). Huius generis inveniuntur:

Hydrus (Luc. V 375) ***Phlius*** (Stat. Theb. IV 45: ***Phlius*** Mueller *philus* P [sic Σ cod. Mon.] *philos* [*phyllos* C] ω) ***Rhamnus*** (Luc. V 233: PUc *-os*) *Selinus* (Luc. VIII 260: *-is* vel *-ys* UGCmz Sil. It. XIV 200: *-is* LOFV) *Sipus* (Luc. V 377: *siphis* in ras. M Sil. It. VIII 633) — ***Melampus*** (Stat. Theb. III 453) ***Oedipus*** (Senec. Phoen. 313, 554 Oed. 916).

Quamquam huius utriusque nominis stirps exit in *-ποδ*, tamen vocativo inter se differunt; illius invenitur vocativus

---

1) Sniehotta l. c. p. 16 sq.

2) Kohlmann. in edit. p. 93 adnotavit: „In nomine mendum inesse manifestum est, nam Pylii supra v. 125 duce Hippomedonte arma cepisse dicebantur, scripsi igitur ex Hom. Il. II 584 *Helos* i. e. oppidum Laconicum".

3) Sniehotta l. c. p. 15 sq. — Leimeister l. c. p. 30, 37, 38.

4) Neue I^{3} p. 234.

Melampu[1]) (Stat. Theb. III 546: P -*o*, 573) huius *Oedipus* (Senec. Phoen. 178: *Oedipum* EA *Oedipe* ς corr. B. Schmidtius)[2]).

Deinde adeamus nomina in -*ως* excurrentia[3]). E quibus exstant apud poetas, de quibus nos quaerimus, haec:

aegoceros (Germ. Phaen. 286: *ego chero* B^{a}L *ergo chero* B^{a}m. 2, 483 Fragm. III 16, IV 104 Sen. Thy. 864 Luc. IX 537) *Eros* (Mart. VII 10, 1, X 56, 6; 80, 1; 5) *Hermeros* (Petron. in pros. 59, 1, $_3$) *Niceros* (Petron. in pros. 61, 3, $_1$) *Phileros* (Petron. in pros. 43, 1, $_1$; 44, 1, $_1$ Mart. II 34, 1) *rhinoceros* (Mart. epigr. 9, 2 XIV 53 tit.) — *heros* (Petr. 108, 14, $_2$ Laus Pis. 174, 176 Sil. It. VIII 217, XIII 38 Mart. II 84, 1; apud Val. Flacc. 7, in Il. Lat. 17, in Stat. Theb. 20, Ach. 6 locis) *Minos* (Phaedr. IV 7, 19 Senec. H. f. 733 Thy. 23 Sil. It. VIII 470, XIV 40 Stat. Theb. VIII 27, 103) *Tros* (Sil. It. XI 295 Il. Lat. 710) — *Aegaleos* (Stat. Theb. XII 620) *Athos* (Germ. Phaen. 584 Senec. Med. 720 H. O. 145, 1048, 1153, 1383 epigr. 52, 5; 71, 1 Petron. frgm. 27, 3 Val. Flacc. II 201, IV 322 Sil. It. III 494 Stat. Theb. V 52 Iuv. X 174) *Eos* (Senec. H. O. 614, 1866 Luc. IX 544: *oeos* V *ęos* G *eous* MPU$_1$).

Vocativi eadem terminatione utuntur:

Phileros (Mart. X 43, 1; 2) *Minos* (Aetn. 82).

Graecam terminationem -*ω*[4]) servaverunt haec nomina:

Alecto (Sil. It. II 673, XIII 592) *Argo* (Manil. I 412, V 36 Senec. Med. 238, 349, 367 Lucan. II 717, III 193 Valer. Flacc. I 273, 441, VI 317, VIII 194, 296) *Celaeno* (Germ. Phaen. 262 Valer. Flacc. IV 453, 499 Iuv. VIII 130 *Ceto* (Lucan. IX 646: *cętos* G) *Clio* (Stat. Silv. I 5, 14 Iuv. VII 7) *Clotho* (Senec. Thy. 617 H. O. 769 Apocol. in pros. 3, 3, $_1$ Octav. 15 Sil. It. IV 369 Il. Lat. 891 Stat. Silv. I 4, 1 Theb. III 556 Iuv. IX 135) *Dido* (Sil. It. I 23, 74, II 406, 422, IV 765, VIII 50, 166, XV 746 Mart. VIII 6, 13) *Doto* (Val. Flacc. I 134) *echo* (Senec. Tro. 109 Pers. I 102 Calpurn. IV 28 Stat. Silv. III 1, 129 Mart. II 86, 3) *Enyo* (Luc. I 687: *erynis* Ovp, sed gl. in B: *dea belli*

[1]) Neue I^3 p. 446. — Georges l. c. p. 415.

[2]) Neue I^3 p. 267 sq. — Georges l. c. p. 471. — B. Schmidt, De emend. Senecae tragoed. rationibus prosod. et metr., Diss. Berolini 1860, p. 32.

[3]) Neue I^3 p. 231.

[4]) Neue I^3 p. 253. — Saalfeld p. 504.

Petr. 120, 62 Valer. Flacc. IV 604 Sil. It. X 202: *euro* LOV *erinis* F Stat. Theb. VIII 656, XI 84 Mart. epigr. XXIV 3, VI 32, 1)[1]) *Ericho* (Luc. VI 508, 640, 725, 826) *Hypso* (Val. Flacc. I 367)[2]) *Ino* (Senec. Oed. 446 Val. Flacc. VIII 21) *Io* (Val. Flacc. IV 346, 392, 416, VII 111 Sil. It. XIV 517 Stat. Theb. VI 276 Mart. XIV 180, 2 Iuv. VI 526) *Manto* (Senec. Oed. 290 Ag. 322 Stat. Theb. IV 518, X 639) *Polyxo* (Val. Flacc. II 316 Stat. Theb. V 90, 131, 327) *Sappho* (Stat. Silv. V, 3, 155 Mart. VII 69, 9).

Nominis *Γοργώ* priscam terminationem servaverunt Manilius V 577 et Valerius Flaccus III 54 (*-on* codd. Carr.), sed mutaverunt littera *n* apposita Seneca (H.O. 96) Lucanus (IX 658, 679) Statius (Theb. II 717, VIII 762) Martialis (IX 25, 5).

Vocativi sequuntur nominativum:

Alecto (Sil. It. XIII 432) *Argo* (Val. Flacc. I 648) *Clio* (Val. Flacc. III 15 Stat. Theb. I 41, X 630) *Enyo* (Stat. Theb. V 155) *Erato* (Stat. Silv. I 2, 49, IV 7, 2) *Sappho* (Mart. X 35, 16).

Iam tractavimus supra nomina in *-ης* exeuntia, quorum genetivus in *-ου* excurrit[3]), attigimus saltem ea, quorum genetivus terminatione *-os -is* syllaba crescit (*Magnes*, *Meges*)[4]). Nunc ea contemplemur, quorum genetivus Graecus excurrit in *-ους*, Latinus in *-is*[5]). Huius generis invenimus haec:

Diogenes (Petr. in pros. 38, 10, 2) *Diomedes* (Senec. Tro. 1108 Petron. in pros. 59, 4, 1 Sil. It. XIII 40) *Diores* (Il. Lat. 213 *Hermogenes* (Mart. XII 29 decies) *Hippocrates* (Mart. IX 94, 2) *Hippomenes* (Priap. XVI 1) *Hydaspes* (Senec. Med. 725 H.O. 628 Luc. VIII 227 Stat. Theb. IX 441) *Mesthles* (Il. Lat. 244: *nesteus* O *mnesteus* E *mesteus* F et, ut vid., L m. 1 *nestes* M *menesteus* N: *Mesthles* Bondamus) *Metrophanes* (Mart. XI 90, 4) *Palamedes* (Petron. in pros. 66, 7, 3) *Podarces* (Il. Lat. 215) *Praxiteles* (Priap. X 2 Petron. in pros. 126, 16, 3) *Protogenes*

---

[1]) Praetermisi Valeri Flacci I 501, ubi quod Baehrensius coniecit *Enyo* parum certum est. Cf. quae Baehrensius disseruit in editionis (Lipsiae MDCCCLXXV) praefatione p. XXI.

[2]) Langenus ed. p. 69: „Hypsonem matrem ipse Valerius videtur finxisse".

[3]) Cf. p. 16 sqq.

[4]) Cf. p. 30.

[5]) Neue I[3] p. 281 sqq.

(Iuv. III 120) *Socrates* (Phaedr. III 9, 2 Petron. in pros. 140, 14, 1) *Sophocles* (Petron. in pros. 2, 3, 2) *Stratocles* (Iuv. III 99).

Praeterea inveniuntur nomina, quorum Graecus nominativus desinit in -ες: *cacoethes* (Iuv. VII 52);

in -υ: *Aepy* (Stat. Theb. IV 180);

in -α: *aenigma* (Petr. in pros. 41, 3, 2) *celeuma* (Mart. IV 64, 21) *ceroma* (Mart. V 65, 3, XIV 50, 1) *dogma* (Mart. IX 47, 8) *epigramma* (Mart. IV 23, 3) *pegma* (Phaedr. V 7, 7 Mart. VIII 33, 3) *toreuma* (Mart. IV 46, 16) — *alpha* (Mart. II 57, 4) *sigma* (Mart. X 48, 6).

11. Reliquum est, ut de pluralium nominativorum et vocativorum formis agatur [1]).

Nominativi, qui Graece exitus -οι vel -αι praebent, Latine terminationibus -*i* vel -*ae* formati sunt. Exempli causa nomino:

Centauri ephebi — *Lapithae mystae.*

Omnes huius generis formas afferre longum est. Nonnullas tamen Graecas formas servatas invenimus:

arctoe [2]) apud Germanicum (Phaen. 25: *arctę* B *arctoe* Ol *arctoae* [ę] ZP, 63) *Selloe* apud Lucanum (III 180: *selloi* $M_1 Z_1$) *Locroe* apud Statium (Silv. II 6, 62: *locros* M).

Nominativi plurales neutrius generis nominum vel alterius vel tertiae declinationis, sive in -*a* sive in -*e* excurrunt, hunc exitum servaverunt:

Pergama astra — *toreumata lemmata* —

Tempe [3]) (Senec. H. f. 286, 980 Tro. 815 Lucan. VI 345 Stat. Silv. I 2, 215 Theb. X 119) *cete* (Sil. Ital. VII 476, XI 480 Stat. Ach. I 55).

Vocativi nominum masculini et feminini generis easdem terminationes exhibent:

Danai Athenae, neutrius generis desunt.

Ceterorum nominativi Graece et Latine in -*es* desinunt. Utrum haec terminatio Latina an Graeca sit, nisi mensura *e* vocalis cognosci non potest, quippe quae a Latinis producatur, a Graecis corripiatur [4]).

---

[1]) Sniehotta l. c. p. 18 sq.

[2]) Saalfeld l. c. p. 109. — Neue I [3] p. 208. — Georges l. c. p. 63.

[3]) Neue I [3] p. 484 sq.

[4]) Neue I [3] p. 482 sqq. — Bednara l. c. p. 359 (47). — Koene l. c. p. 120.

244 locis haec 113 nomina inveniuntur:

Aonides Argolides Atlantides Atthides Belides Bistonides Cadmeides Calydonides Capherides Colchides Danaides Eumenides Iasides Inachides Ionides Italides Messeides Naides Nereides Pelopeides Phaethontides Phasides Phoronides Pierides Proetides Scyreides Sicilides Stymphalides Typhonides; Arcades Cyclades Dryades Hyades Iliades Lemniades Maenades Nomades Pleiades Pliades Symplegades Thespiades Thyades Troades; Alcyones Amazones Bistones Cicones Gorgones Iones Lycaones Mimallones Myrmidones Paeones; Lacones Macrones Nasamones Solones Tritones Vascones; Acarnanes Panes Titanes; Telchines; Corybantes Garamantes Gigantes; Cretes Curetes Magnetes Syrtes; Iazyges Phryges; Cappadoces; Cilices Phoenices; Samothraces Thraces; Sardonyches; Byzeres Cares Seres; Aethiopes Cyclopes Dolopes Dryopes; Arabes; Autololes; Libyes; Troes —

aspides caryotides periscelides pyramides; dipsades lampades; tripodes; dracones porphyriones spadones strabones; paeanes; delphines; lichenes; bisontes; phalanges; lynces; larices perdices; crateres halteres; rhetores; heroes thoes.

145 locis cognoscere non possumus, utrum terminationis *-e* vocalis longa an brevis sit, sive quia nomen in titulo vel in prosa oratione exstat (novies), sive *-es* in fine versus positum est (42 locis), sive positione producitur (91 locis), sive primam vel tertiam vel quintam senarii thesin tenet, cuius pondus variatur (ter).

98 autem locis elucet e structura versus poetas hanc syllabam Graecorum more corripuisse.

Quo modo usus est nominibus Grattius: *Lycaones* 160 *Naides* 18; Manilius: *Arcades* IV 768; Germanicus: *Phaethontides* Phaen. 366. Neque aliam viam ingressus est 9 locis Seneca in hac terminatione adhibenda. Ter enim thesin secundi (*Eumenides* H. f. 87 H. O. 1002 *Iliades* Ag. 587), bis quarti pedis senarii (*Troes* Tro. 742 Ag. 511) supplet, quo loco nulla nisi brevis syllaba constare potest. Bis Asclepiadeus minor hanc syllabam praebet in thesi dactylici pedis:

Phaed. 780: *cíngent túrba licéns Náidĕs ímprobáe.*

815: *nón mittént gracilém Crétĕs harúndiném.*

Eundem locum *-es* semel in Glyconeo tenet:

H. O. 1042: *Hébrum Bístones últimí.*

In Oedipodis versu 443 anapaestico *thyades* ita positum est, ut ultimae huius nominis syllabae primam arsin efficiant:

thyádes, oestró membrá remissáe.

Eodem modo adhibuerunt Columella: *Atlantides* X 54; Lucanus: *Garamantes* IV 334, IX 512 *Gorgones* IX 647 *Magnetes* VI 385 *Nasamones* IX 444 *aspides* IX 610 *dipsades* IX 610, 851 *lampades* VI 135; Calpurnius: *Naides* II 14; Valerius Flaccus: *Colchides* VIII 142 *Cyclopes* IV 104 *Iazyges* VI 122 *Macrones* V 151 *Messeides* IV 374 *Phryges* II 578 *Pliades* V 415 *Thraces* I 611, II 251, V 664 *Thyiades* VI 757 *Typhonides* IV 428; Silius Italicus: *Bistones* II 76 *Garamantes* III 313, XIII 479 *Naides* V 21 *Nasamones* XIII 481 *Thraces* III 38; auctor Iliadis Latinae: *Phryges* 493, 682, 762, 803, 1015; Statius in Silvis: *Naides* I 2, 264, II 6, 102 *Nereides* III 1, 144 *Phryges* V 2, 48 *Telchines* IV 6, 47 *delphines* II 2, 120 *lampades* V 4, 9; in Thebaide: *Arcades* I 273, IV 275, 299, VI 618, VII 414 *Atthides* XII 536 *Bistones* II 82 *Calydonides* II 736 *Cyclades* III 438, V 183 *Maenades* IX 628 *Mimallones* IV 660 *Pelopeides* X 50, XII 540 *Proetides* VIII 355 *Telchines* II 274 *Thraces* V 53, VI 486 *Thyiades* XII 792 *lynces* IV 658 *paeanes* VIII 224; in Achilleide: *Amazones* I 760 *Curetes* I 831 *Paeones* II 131 *Scyreides* I 821 *Samothraces* I 832 *Tritones* I 55 *Troades* I 944 *crateres* I 114 *delphines* I 246 *heroes* I 709; Martialis in hexametris vel pentametris versibus: *Atthides* V 67, 2, XI 53, 4 *Cares* epigr. I 6 *Lacones* I 36, 2 *Phasides* XIII 45, 1 *rhetores* II 64, 5; Iuvenalis: *Belides* VI 655 *Bistones* XV 124 *Maenades* VI 317 *Thraces* VI 403 *Vascones* XV 93 *rhetores* VI 438.

Terminatio nominativi pluralis *tigres*[1]) non solum in fine dubia (Val. Flacc. II 260 Sil. It. XV 81 Stat. Theb. IV 658, VII 564 Mart. I 104, 2) et positione producta est (Luc. I 327), sed etiam ante vocalem insequentem pro longa syllaba habita est a Lucano:

VI 487: *Has avidae tigres et nobilis ira leonum*

et a Petronio:

134, 12, 7: *Hyrcanaeque tigres et iussi stare dracones.*

---

[1]) Saalfeld l. c. p. 1123 sq. — Georges l. c. p. 689.

Plane igitur hoc nomen in sermonem Latinum receptum esse videtur sicut *leo*, quod omnino non respexi.

Praeterea unus tantum locus exstat, quo *-es* syllaba producta esse videtur:

Il. Lat. 790: *Acrius adsurgunt Troes; at Achaica turba.*

Tamen hic quoque locus facile tolli posse videtur. Cum enim Baehrensius adnotaverit: „*at* V *ad* BF *et* EMN (*&* in ras. G), quid L praebeat dinosci nequit (7 = *et*, si recte vidi)", facilis est coniectura Skutschi poetam *Troes*, *sed* scripsisse [1]).

Restat, ut mentionem faciam formae *elephanti* [2]), quam adhibuit Iuvenalis XII 102.

Vocativorum qui inveniuntur:

Arabes Corybantes Curetes Danaides Eumenides Iliades Lemniades Libyes Pierides Troades

terminationis mensura aut positione aut quod ultimam versus syllabam explet, dubia est exceptis his locis

Gratti 209: *metagontes*; Stati Silvarum II 3, 7: *Naides* III 2, 13: *Nereides*; Thebaidis IV 340 et X 354: *Arcades*; Martialis VI 68, 2: *Naides*,

quibus eam correptam esse continuatione versuum apparet. Idem factum est in senario Senecae:

Ag. 660: *Troades, et ipsae vestra lamentabili*

in quo quin item brevis sit, dubitari non potest.

§ 2.

De genetivi dativi ablativi formis.

1. Genetivo, qui Graece per *-ου* terminatur, poetae, si nominativus in *-ος* excurrit, Latinam terminationem *-i*, si in *-ας* vel *-ης* exit, terminationem *-ae* dederunt. Cuius rei exempla sint:

Bacchi Phoebi — Aeneae Pythagorae — Alcidae Geryonae.

Nomina, quorum nominativus Graecus per *-α* finitur, semper Latinam terminationem *-ae* ostendunt, ut

Asiae Astraeae Electrae Phaedrae,

etsi genetivus Graecus in *-ης* desinit:

Ledae Ossae Prosymnae Scyllae Tryphaenae.

---

1) Cf. Cap. II § 7, 3.

2) Neue I³ p. 493. — Saalfeld l. c. p. 430 sq. — Georges l. c. p. 240.

Ea autem, quorum nominativus in -η exit, saepissime Graecum genetivum -ης servaverunt[1]).

Si invenimus in Gratti Cynegeticis: *Helices* 55; in Manili Astronomicis, ut equidem puto, *Erigones*[2]) II 552 (*Erigone* codd. *Erigonae* corr. Bentleius et Iacob), IV 469 (*Erigone* codd. *Erigones* corr. A i. e. editio Antoni Molini Matisconensis, quae „antiquas editiones refert"[3]), *Erigenes* Bentleius *Erigonae* Iacob), sed *Andromedae* I 616, II 28, V 538 (V_2 -*e*)[4]).

Priapea praebent: *Penelopes* LXVII 1.

Germanicus in Phaenomenis Graece flexit: *Helices* 53, 60 *Panopes* 666, Latine *Andromedae* 207, 208, 232, 247 (-*e* AM), 463, 661.

Phaedrus servavit Graecam formam: *Cybebes* IV 1, 4.

In Senecae tragoediis occurrunt nobis hae formae Graecae: *Alcmenes* (H.O. 1825) *Cybeles* (Phaed. 1136) *Eurydices* (H.O. 1084) *Hecates* (Oed. 569) *Helices* (H.O. 1539) *Ioles* (H.O. 556) *Lethes* (Phaed. 1202 H.O. 1162) *Phoebes* (Phaed. 654) *Pyrenes* (Phaed. 69) *Rhodopes* (H.O. 1032: -*e* E, 1538).

Ex his nominibus *Alcmene* Latine quoque declinatum invenimus: *Alcmenae* (H.O. 1428, 1863).

Eodem modo Seneca usus est his:

Aetnae (Thy. 583 H.O. 286) *Ariadnae* (Phaed. 245) *Europae* (H.f. 9 Tro. 896 Ag. 205) *Hecubae* (Tro. 138) *Helenae* (Ag. 907).

Hanc terminationem hic poeta in epigrammatis solam adhibuit: *Libyae* XXIII 1, XXV 35.

Octavia tragoedia praebet: *Phoebes* 389.

---

[1]) Sniehotta l. c. p. 19 sq. — Bednara p. 355 (43). — Neue I² p. 97 sqq. — Leimeister l. c. p. 14 sq.

[2]) Non solum Manilius semper adhibuit nominativum *Erigone* (septies), sed etiam omnino apud poetas, qui hoc nomine usi sunt (Stat. Colum. Mart. Aetn. auct.), nulla forma, neque nominativus neque vocativus neque genetivus, nisi Graece terminata invenitur. Quapropter puto IV 469 Bentleium editionem A secutum lectionem codicum *Erigone* summo iure in genetivum per -*es* terminatum correxisse et hoc vestigium persecutus altero quoque loco II 552, praesertim cum codicum corruptela eadem sit, eandem correctionem adhibendam esse censeo.

[3]) Cf. Iacobi edit. p. IX.

[4]) Manil. IV 780 scripsit Iacobus *Zmyrnes*, sed omitto hoc nomen, cum omnes codices *Tyrrhenas* vel similia praebeant.

Columella semper Graecorum rationem secutus est, cum diceret:

Cybeles X 220 *Cyllenes* X 266 (*-aes* S) *Erigones* X 400 *Helles* X 155.

In Persi saturis legimus *Dinomaches* IV 20 et *Procnes* V 8.

Lucanus *-es* syllaba terminavit hos genetivos:

Danaes IX 659 *Dodones* III 441 (*-is* G_1 u) *Helles* IV 57 *Hesiones* IX 970 (*-e* Gz) *Inarimes* V 101 *Lethes* VI 769 *Phoebes* VIII 479 (*-e* $M_1 Z_1$) *Pholoes* VI 388 *Rhodopes* VII 450.

Genetivi nominis *Libya* terminatione differunt, cum et *Libyes* I 206 (B_1 *-ae*), IX 377, 624 (*-aes* P_1) et *Libyae* I 255 (*-es* VPZUG), 368 (*-es* U), IV 606 (*-es* ugv), 669, V 39 (*-es* PUGmz *lybaeos* MZ), IX 370, 420, 598, 617, X 79 inveniatur.

Praeterea Latinam terminationem praebent: *Aetnae* I 545 (*-a* M_1 Z) *Europae* IX 413, 686.

Petronius utraque terminatione usus est et in versibus: *Hecales* 135, 8, 16 — *Libyae* 121, 114 et locis prosaicis: *Circes* 134, 9, 8 — *scaphae*.

Auctor Aetnae Graece dixit *Helices* 242, Latine *Aetnae* 195, 341, 433, 451.

Valerius Flaccus praetulit Graecam terminationem his locis:

Alcimedes I 317 *Chalciopes* VII 156 *Diones* VII 187 *Dryopes* II 174 *Euryales* VI 370 *halcyones* IV 45 *Hecates* V 335, VI 113, VII 182, 521 *Helles* I 167, 425, 537, III 7 *Libyes* VII 607 *Lipares* II 96 *Mycenes* V 645 *Panopes* II 589 *Percotes* II 621 *Peuces* VIII 376 *Phoebes* IV 361, VII 366 *Pleiones* I 738, II 67[1]) *Rhodopes* I 728 *Sinopes* V 108 *Thebes* VI 118 *Thraces* II 406.

Variavit terminationem unius nominis, nam II 495 *Nemees*, sed VIII 125 *Nemeae* scripsit.

Praeterea Latine terminavit haec duo tantum nomina: *Lernae* I 35, II 496, III 511 et *Nymphae* III 561, IV 23, VI 52, VIII 217.

---

[1]) Sic Vatic., sed Langenus adnotavit (p. 136) „Pleionen matrem Pleiadum pro Pleiadibus ipsis posuisse Valerium vix credibile est", quapropter Heinsio auctore scripsit *Pleiades*.

Silius Italicus in Punicis praebet hos Graecos genetivos:

Asbytes II 166, III 299 *Calpes* VII 171, X 174 *Cyllenes* III 203 *Cymes* XIII 494 *Cymothoes* III 58 (*-theos* LOV) *Cyrenes* IV 628 (*-is* S) *Diones* IV 106 *Pyrenes* I 190, 353, 548, 643, III 338, XI 144, XIII 699, XV 176, 451, 478, 491, 791, XVI 246 *Rhodopes* XIV 121 *Thebes* III 678 *Thyles* XVII 416 *Tisiphones* XIII 575 *alcyones* XIV 275.

Accedunt loci I 23 et VIII 650, quibus genetivus *Libyae* nominis Graece factus est, qui 35 aliis locis Latinorum mori adaptatus est. Eodem modo finiuntur: *Aetnae* IX 497, XII 154 *Lernae* VI 182 *Nemeae* II 483.

In **Iliade Latina** invenimus: *Hesionae* 626.

Statius in Silvis Graecos secutus est genetivum in *-es* desinentem adhibens horum nominum:

Circes I 3, 85 *Cybeles* II 2, 88 *Diones* I 1, 84, II 7, 2 *Dirces* I 4, 21 *Ephyres* II 2, 34 *Helles* IV 3, 57 *Idymes* I 6, 13, III 2, 138, V 2, 139 *Lethes* II 4, 8; 6, 100, III 3, 187, V 1, 161 *Rhodopes* IV 2, 46; 6, 9 *Syenes* II 2, 86 *Thyles* III 5, 20, IV 4, 62.

Duplici modo declinavit *Nemees* III 1, 30, IV 6, 41, V 3, 52 et *Nemeae* I 3, 6.

Praeterea Latinam terminationem dedit his:

Lernae II 1, 181, V 3, 142 *Libyae* IV 6, 105, V 2, 134 — *nymphae*.

In Thebaide Graeca terminatione idem poeta finivit hos genetivos:

Amymones IV 735 *Antigones* VII 536 *Atalantes* VI 563 *Cyllenes* IX 846 *Dirces* I 152, IV 8 *Ephyres* II 379 *Erigones* IV 692 *Hyles* VII 267 *Hypsipyles* VI 341 *Ismenes* VII 535 *Lethes* I 297, VI 499 *Myrmidones* V 224 (P *-es* ω *-is*) *Persephones* IV 478 *Phoebes* I 105 *Pholoes* III 604, X 228 *Pylenes* VIII 482 *Rhodopes* XII 181 *Semeles* VII 602 *Tegees* VII 5, IX 846 *Thebes* IV 610, V 681, IX 255 (P *-is*), 294 *Tisiphones* II 283.

Nemea et genetivum Graecum: *Nemees* V 581 et Latinum: *Nemeae* V 733 praebet.

Latine declinati sunt genetivi:

Cretae XII 667 *Lernae* III 348, V 579, VIII 562, X 24, 765, XII 94, 512 *Libyae* IX 16.

Achilleis autem unum tantum genetivum Graece terminatum: *Pholoes* I 168 continet, cum ceteri Latine exeant:

Aetnae I 824 *Europae* I 788 (P-ę ωE -*es*), II 64 *Spartae* I 402.

Martialis Graecum exitum dedit his genetivis:

Antiopes I 92, 6 *Chiones* I 92, 6, III 30, 4 *Cybeles* I 70, 10, III 81, 6; 91, 2, VII 73, 3, VIII 55, 14, IX 11, 6, XIII 25, 1; 64, 2 *Cyllenes* VII 74, 1 *Dindymenes* VIII 81, 1 *Erigones* XI 69, 4 *Helles* IX 71, 7 *Lethes* VII 47, 4, X 2, 7; 23, 4 *Nemees* epigr. 6 b, 1, V 65, 2, IX 71, 7 *Pasiphaes* epigr. 27, 8 *Prognes* XI 18, 19 *Syenes* V 13, 7 *Europes* II 44, 15, cuius nominis genetivus Latinus *Europae* invenitur III 20, 12.

Praeterea Latine formati sunt genetivi:

Cretae XIII 106, 1 *Hecubae* VI 71, 3 *Hyblae* XIII 105, 1 *Lernae* V 65, 13 *Libyae* V 74, 2 (R -*e* Fω -*es*) — *phialae rutae.*

Iuvenalis Latinam terminationem adhibuit his locis:

Cretae XIV 270 *Lyciscae* VI 123.

In ceteris nominibus huius generis graecissavit:

Aganippes VII 6 *Antigones*[1]) VIII 229 *Autonoes* VI 72 *Berenices* VI 156 (*bernices* P *beronicis* p) *Circes* XV 21 *Cybeles* II 111 XIV 263 *Melanippes*[1]) VIII 229 *Rhodopes* IX 4 *Syenes* XI 124 *Thymeles* VIII 197 *aloes* VI 181.

2. Nomina Graeca, quae Latinam tertiam declinationem sequuntur, saepius huius declinationis genetivum -*is* adhibuerunt. Tamen satis multa inveniuntur, quae Graece flectuntur[2]).

---

[1]) Buecheler in editionis tertiae textum recepit versus VIII 229 hanc formam:

syrma vel Antigonae personam vel Melanippae

et adnotavit: „*antigonae personam menalippe* P *antigonaes tu personam menalippes* pω *seu* Iahnius aut Hermannus ante *personam*, ego *vel* post *p* addidi *menalippes* ς". Quamquam optimus codex P Latinam genetivorum formam praestat, tamen hoc loco ut vestigia reliquorum codicum sequi malim commoveor usu et Iuvenalis ipsius, qui horum nominum Graecum genetivum ubique fere praetulit, et Stati, qui omnibus 17 locis, quibus *Antigonae* nomen adhibuit, semper Graeca forma vel nominativi vel vocativi vel genetivi vel accusativi usus est. Utriusque autem nominis eandem terminationem eiusdem versus concinnitate postulari puto. — Cf. Leimeister l. c. p. 14.

[2]) Sniehotta l. c. p. 21. — Neue I[3] p. 449 sqq. — Priscian. VI 5, 25 p. 2, 216 H. — Prob. de ult. syll. IV 20 p. 4, 228 K. — Phoc. III 13 p. 5, 424 K. — Leimeister l. c. p. 30 sq., 33, 38.

Ita exstant apud Manilium: *Caridos* IV 799 *Cepheidos* I 436 *Phasidos* IV 517, V 377 *Phorcyos* V 529 *Propontidos* IV 616, 679. Ceteris locis usus est Latina terminatione, quam adhibens solidiorem formam *Maeotidis* corripuit in *Maeotis* IV 617.

In Priapeis legimus *Elephantidos* IV 2;

in Germanici Phaenomenis *Doridos* 666;

in Senecae tragoediis: *Phocidos* (Oed. 279) *Stymphalidos* (Med. 783) *Tantalidos* (Med. 954 Ag. 392) *Tethyos* (H. f. 887); in eiusdem poetae epigrammatis IV versu altero: *Tethyos* (*thetidis* S corr. Heinsius).

Lucanus Graece declinavit haec nomina:

Arcados IX 661 (Z *-es*) *Chalcidos* V 227 (MZ *-as*) *Maeotidos* III 277 (C *-as*) *Mareotidos* X 161 (C *-is*) *Pallados* IX 658 (z *-is*) *Phasidos* II 585 (M_1Z *-is*), 715 (M_1Z *-is*), IV 552 *Phocidos* III 340 (PU_1 *-us*), IV 256 *Phoebados* V 167 *Phorcynidos* IX 626 *Stoechados* III 516 *Syrtidos* IX 710 *Telmessidos* VIII 248 *Tethyos* I 414, III 233 *Tritonos* IX 347 *lampados* VI 354.

Petronius quoque hanc terminationem adhibuit semel in pedestri sermone: *Zeuxidos* 83, 1, 2, bis in hexametris: *Phasidos* 119, 36 et *Dicarchidos* 120, 68.

Calpurnius Graece scripsit *Amaryllidos* IV 38.

Valerius Flaccus Graeco genetivo usus est his locis:

Acherusidos V 73 *Arcados* V 205 *Colchidos* II 423, V 202, 418, VII 369, 625 *Inachidos* IV 350 *Perseidos* VII 238 *Symplegados* V 299; item dixit V 573 *Calydonos* (*-os* V *-is* B) et IV 555, V 345, VIII 224 *Pallados*, sed IV 223 *Calydonis* et II 53 *Palladis*.

In Sili Italici Punicis Graecorum morem sequuntur genetivi:

Atlantidos XI 292 *Nomados* II 186 (Ch *-es*) *Phorcynidos* II 59 *Simoentos* XV 59 (O *-a* V *-is*), XVI 370 (L *-os* FOV *-is*) *Tritonidos* III 322, IX 297 (ChLFOV *-os* vulgo *-es*);

in Iliade Latina: *Cygneidos* 337 (FE m. 1 *-us*).

Statius in Graeca genetivi terminatione desinere voluit haec nomina in Silvis:

Babylonos V 1, 60 — sed III 2, 137 *Babylonis* — *Baccheidos* II 2, 34 *Cebrenidos* I 5, 21 *Doridos* III 2, 16 *Naidos* II 3, 30 *Synnados* I 5, 37;

in Thebaide:

aetheros III 525 *Arcados* I 45, II 258, VI 608, IX 858 *Busiridos* XII 155 (G^2 *-is*) *Erymanthidos* IX 594 *Nycteidos* VII 190 *Pallados* I 535, II 597 (BM *-is*), V 100 *Phocidos* I 64, VII 235, XI 281 *Sphingos* I 66, II 556 *Strymonos* IX 437, 860 *Tethyos* IV 388 *Thebaidos* in titulo librorum;

in Achilleide:

Nereidos I 592 *Stygos* I 269 *Tethyos* I 49, 541 *Achilleidos* in titulo.

Martialis epigrammata exhibent hos genetivos generis eius de quo disserimus:

Aeolidos XI 91, 1 (N *-is*) *Babylonos* VIII 28, 17, XIV 150, 2 *Colchidos* X 35, 5 *Elephantidos* XII 43, 4 *Ianthidos* VII 15, 1 *Inachidos* XI 47, 4 *Lacedaemonos* IV 55, 7 *Myos* VIII 34, 1; 51, 1, XIV 95, 2 *Myronos* IV 39, 2, VI 92, 2, VIII 51, 1 *Pallados* IV 53, 2, XIII 104, 2 *Tethyos* epigr. III 6.

Iuvenalis denique praebet: *Thebaidos* VII 83 et *Iliados* XI 180.

3. Restat, ut de ceterorum nominum genetivo nonnulla verba faciam. Ac primum quidem ea nomina, quorum nominativus Graecus in *-ης*, genetivus in *-ους* desinit, semper fere a poetis aetatis eius de qua quaerimus Latinae tertiae declinationis terminatione *-is* affecta sunt: *Demosthenis Palamedis Socratis* alia.

Ne genetivum quidem exemplum Latinae alterius declinationis secutum: *Pericli* Persius IV 3 veritus est.

Exceptum est nomen *Praxiteles*, cuius genetivum flexit Martialis IV 39, 2: *Praxitelus*[1]). Sed Statius in Silvis IV 6, 27 scripsit *Praxitelis*. Item excipiendum est nomen *Eteocles*, cuius genetivo Statius in Thebaide praeter tritam formam *Eteoclis* VII 227, IX 86, XII 57, quae apud ceteros quoque poetas est usitata, etiam Graecam non contractam dedit: *Eteocleos* XII 91, 421[2]).

Graecum nomen *πέλαγος* ut in nominativo ita in genetivo

[1]) Neue I^3 p. 456. — Georges l. c. p. 553. — Leimeister l. c. p. 38. — Charis. I 15 p. 1, 68 K.

[2]) Neue I^3 p. 456. — Georges l. c. p. 252.

semper Latinae alterius declinationis exitum *pelagi* praebet. Item genetivus *aegoceri* (Germ. Phaen. 381, 597 fragm. IV 69).

Latina denique terminatio *-is* ubique exstat pro Graeca *-εως* in: *Baetis Syrtis pristis*.

Eorum nominum, quorum nominativus Graecus in *-ω*, genetivus in *-ους* exit[1]), genetivus a nostris poetis factus est more nominum Latinae tertiae declinationis in *-o* exeuntium, vel Latina terminatione *-is* adhibita: *Didonis* (Priap. LXVII 1: nonnulli codices: *Dido fac*, quod Heinsius correxit in *Didus*) *Gorgonis* (Germ. Phaen. 218), vel Graeca *-os*: *Gorgonos* (Lucan. IX 653: VUG *-is* z *-es*, 668: V *-is* U *-es*).

Praecipue autem respicienda sunt ea nomina, quorum nominativus Graecus exit in *-ευς*, genetivus in *-έως*[2]). Ea enim aut hanc terminationem servant aut genetivum Latinorum more per *-ei* finiunt, sed saepius ita, ut *-ei* unam syllabam efficiat.

Singulos poetas aggressi invenimus apud Manilium Latinas formas *Atrei* V 462 et *Persei* II 28 duabus syllabis pronuntiandas.

In Germanici autem Phaenomenis legimus: *Cepheos* 189 (Z *-oeus* I *-eus*), 191[3]) (Z *-oeos* l *-eus*), 282 et *Perseos* 249.

Eodem modo in Senecae tragoediis formatus est genetivus *Pentheos* (Oed. 442). Sed ceteris locis hic poeta genetivum horum nominum in *-ei* excurrere voluit, qua terminatione ita usus est, ut modo unam syllabam efficeret, modo in duas distraheret.

In Troadum enim versu 341 senario:

Atréi͡ et Thyéstae nóbilém noví domúm

-ei syllaba nisi per dipthongum pronuntiari non potest. In Agamemnonis autem versu 616 hendecasyllabo:

quám non Péleï Thetidísque nátus

et sex aliis locis, quibus *-ei* pedem senarii supplet, hanc terminationem duabus syllabis constare apertum est:

---

1) Sniehotta l. c. p. 21 sq. — Neue I² p. 456 sqq.

2) Sniehotta l. c. p. 22 sq. — Neue I² p. 455 sq. — Koene l. c. p. 33. — Bednara p. 356 (44). — Leimeister l. c. p. 27.

3) In hoc versu huius genetivi mensura est epica (*Κηφῆος*):

régula Cēphēós vestigia

cf. Neue I p. 300.

Aegei (Phaed. 563) *Pelei* (Tro. 247) *Promethei* (H. f. 1207 Med. 709) *Thesei* (Phaed. 645, 646). Exemplum affero Medeae versum 709:

sparsús cruóre Caúcasús Prométheï.

Lucanus Graece scripsit *Pentheos* VI 357 (Vp *-eus*) *Perseos* IX 676, 682 *Proteos* X 511, sed in fine versus VII 224 Latine: *Enipeî.*

Apud Petronium exstat in hexametro 139, 2, 7: *Nereos.*

Valerius Flaccus adhibuit Latinam terminationem in unam syllabam contractam in fine versus IV 425, V 127: *Phineî* V 154: *Prometheî*, ceteris locis Graecam: *Cretheos* I 42 *Eurystheos* I 114 *Otreos* IV 162 *Peleos* I 131 *Pentheos* III 264 *Perseos* I 68 *Phineos* V 5.

In Iliadis Latinae versu 216 Schraderus e codicum lectione *oileus* emendavit: *Oileos.* Sed Latinam terminationem *-ei* dipthongum invenimus in eiusdem carminis versibus 774: *Idomeneî* et 789: *Peneleî.*

Neque aliam viam ingressus est Statius, quippe qui semel atque in fine versus Latinam terminationem in dipthongum contraxerit: *Menestheî* (Theb. VI 706), omnibus autem reliquis locis Graecorum usum servaverit, et locis quidem Silvarum:

Orpheos II 7, 40; 99 *Tereos* III 3, 176 *Theseos* IV 4, 104; Thebaidis:

Caeneos VII 644 *Caphereos* IX 307 *Hypseos* IX 270, 561 (*Hypseos* Marklandus *ipseos* f[1] *ipsius* Pω, quod frustra tuetur Imhofius), 672 (*hipseus* Pμ) *Menoeceos* XI 709 *Nereos* III 410, V 437 *Oeneos* I 464, II 588, 687 *Perseos* VII 418 *Phegeos* VIII 442 *Phoroneos* I 252 *Prometheos* XI 468 *Theseos* IX 519, XII 211, 293 *Tydeos* III 654, VII 635, VIII 469, 479, 508, 531, 663, IX 2 (P *-eus*), 26, 149, 205, 545, X 401, XII 118;

Achilleidis: *Nereos* I 542 *Peleos* I 507.

Martialis denique Graece declinavit: *Peleos* II 64, 3 et *Tereos* IV 49, 4, XIV 75, 1.

4. Dativi singularis formae[1]) ubique Latinam terminationem praebent. Nominum enim, quorum nominativus in *-ος* exit, dativum in *-o*, quorum nominativus in *-α -η* vel *-ας -ης* excurrit, dativum in *-ae*, omnium reliquorum in *-i* terminantem

[1]) Neue I[3] p. 100 sq. et 154 sq.

poetae flexerunt. Quod non mirum est, cum plerumque dativi Graece flexi Latinis congruentes aut saltem simillimi sint. Sed Graeci dativi in *-i* exeuntes differunt a Latinis eodem modo terminatis mensura *i* vocalis, quae a Latinis producitur, a Graecis corripitur. Quam quantitatem graecissantem interdum poetae Latini imitati sunt[1]). Exempla affero Stati versus

Silv. IV 2, 28: *et Chios et glaucae certantia Doridi saxa*[2])
Theb. III 521: *Saepius in dubiis auditus Iasoni Mopsus*
Ach. I 285: *Palladi litoreae celebrabat Scyros honorum.*

Nominum autem, quorum nominativus in -ευς desinit, dativus semper adaptatus Latinorum rationi in *-eo* terminatus est. Quae terminatio in fine hexametri posita per synizesin:

Tydēō (Stat. Theb. III 84) *Capharēō* (Sil. It. XIV 143) *Typhoēō* (Sil. It. XIV 196),

in fine senarii duabus syllabis pronuntianda est: *Orphĕo* (Phaedr. III prol. 57).

Dativus nominis *pelagi* sequitur Latinam secundam quae vocatur declinationem: *pelago.*

5. Ablativum nominum, quorum nominativus in -ος -ον vel -α excurrit, Latinam terminationem *-o* vel *-a* praebere non mirum est: *Priapo Phoebo — Cirrha Troia Leda.*

Eadem terminatione utuntur, quorum nominativus in -ας exit: *Borea Licha Tiresia*[3]).

Ea autem nomina primam secuta declinationem, quorum nominativus in -η vel -ης desinit, saepius ablativi exitum *-ē* praebent[4]). Quae ideo accuratius sunt tractanda.

Ac primum quidem excutiamus ea, quorum nominativus Graecus -η vocali finitur.

Manilius Latinam terminationem adhibuit in *Aetna* II 880, sed Graecam in *Andromede* V 573 (AS *-da est* L *-den* corr. Iacob).

Neque aliter res se habet in Priapeis, in quibus *Erigone* LXII 2 legimus.

---

[1]) Neue I[3] p. 457. — Bednara l. c. p. 357 (45). — L. Mueller, De re metr., ed. 2, p. 496.

[2]) Haupt, Opuscula, Lipsiae MDCCCLXXVI, III 1 p. 129.

[3]) Neue I 41 sqq.

[4]) Sniehotta l. c. p. 23. — Neue I[3] p. 96 sq. — Priscian. VII 2, 8 p. 2, 290 K. — Leimeister l. c. p. 12 et 16 sq. — Apud Bednaram deest hic ablativus.

Latina autem terminatione ubique usus est Seneca in tragoediis:

Alcmena (H. f. 773 Phaed. 317 H. O. 437) *Ithaca* (Thy. 587) *Lerna* (H. O. 1360, 1534) *Oeta* (H. f. 133: *oetan* A Med. 639) uno loco excepto (H. O. 1884), quo in codicibus *phoebo* invenies, quod D. Heinsius iure correxit in *Phoebe.*

Eundem ablativi terminandi usum servavit idem poeta in epigrammatis: *Europa* LXV 3 *Libya* LXV 3, LXVI 2 *zelotypa* LXIII tit.

Lucanus quoque uno tantum loco Graecam terminationem servavit: *Syene* II 587 (Z *-en*),

ceteris Latinam praetulit: *Aetna* I 43 *Creta* II 611 *Europa* IX 958.

Petronius semper ablativum huius generis Latinorum rationi adaptavit: *theca* 39, 3, s *scapha* 102, 5, s.

Sed Calpurnius Graece dixit: *Petale* VI 9.

In carmine quod Aetna inscribitur occurrit nobis ablativus *Aetna* 71, 201, 329,

in Valeri Flacci Argonauticis: *Ida* I 549 *Libya* I 588.

Silius Italicus in Punicis Graece terminavit hos ablativos:

Europe I 221 (*-e* L *-a* FOV) *Meroe* II 104 *Myrice* III 103 *Rhodope* IX 605[1]),

Latine hos:

Aetna VIII 614 *Alcmena* II 493 *Ida* VII 437 *Libya* XIV 651, XVI 219 *Oeta* VI 452 — *nympha pelta.*

In Iliadis Latinae versu 624 Baehrensius scripsit *Hesione*, cum codices praebeant *esiona* vel *hesiona*. Neque habeo quod hanc correctionem probem, cum idem poeta in Iliadis Latinae versu 626 Latinum genetivum *Hesionae* adhibuerit.

Statius in Silvis ubique praetulit Latinam formam:

Helena I 2, 214 *Ida* I 2, 43, III 4, 12 — *pelta.*

In Thebaide plerumque eandem rationem sequitur:

Aetna I 458, V 50, VI 716 *Oeta* IV 158, XII 67 *Sparta* II 167 — *nympha*,

sed IV 541 Graecam formam invenimus *Hecate.*

---

[1]) XIV libri versus 656 corruptior est, quam ut ablativi *Ephyre* a Bauero emendati rationem habendam esse putemus. Cf. adnot. in ed. II p. 106.

In Achilleide rursus ablativi huius generis Latine terminati sunt: *Ida* II 50 *Helena* II 64.

Eodem modo Martialis plerosque ablativos exire voluit: *Ida* X 89, 3 — *cotula* (*κοτύλα*) *phiala schida theca;*

in duobus tantum graecissavit: *Eurydice* epigr. XXI b 2 *Chione* I 34, 7.

Paulo plures ablativos Graecos servavit Iuvenalis:

Arachne II 56 *Meroe* VI 528, XIII 163 (*mero* P corr. p) *Penelope* II 56 *Progne* VI 644 *Tisiphone* VI 29. Hic notandus est ablativus *Calpe* XIV 279, in quo *-e* terminans est correpta[1]), qua de forma recte, opinor, Bentleius statuit.

Latini ablativi sunt:

Libya XI 25 — *proseucha*[2]).

Contrarius fere usus est nominum, quorum nominativus in -*ης* exit. Haec enim saepius ablativi terminationem *-e* receperunt. Quo modo terminata inveniuntur haec:

Aeacide (Sil. It. XIII 800 Stat. Ach. I 608: P *-ae*) *Agyrte* (Stat. Ach. I 819: K *-a* C *-e* [fuit *-e*]) *Alcide* (Senec. H.f. 398, 957: *-ae* vulgo H.O. 924, 1571, 1793 Stat. Silv. V 2, 50) *Bargate* (Petr. 97, 1, 1 in pr.) *Geryone* (Sil. It. I 277) *Oedipode*[3]) (Stat. Theb. VII 513) *Thyeste* (Senec. Ag. 907 Thy. 259, 271, 901) *ceraste* (Sil. It. I 413) *hydraule* (Petr. 36, 6, 3 in prosa oratione).

Latinum ablativum praebent haec nomina huius generis:

Atrida (Senec. Ag. 292 Il. Lat. 90, 327: utroque loco E

---

1) Cf. adnot. Friedlaenderi in edit. p. 569. — Priscianus VII 2, 8 p. 2, 291 K.: „illud miror, quod Iuvenalis *Calpe* ablativum corripuit, cum sit simile hoc nomen „*Penelope*“ „*Arachne*“ „*Calliope*“, quorum ablativus nunquam in *-e* correptum terminat“. — Bentleius ad Lucan. I 555: „excusatur Iuvenalis, cum *Calpe* ultima brevi dixit casu ablativo; nempe non a recto *Calpe* deduxit, sed a *Calpis*; ut apud Philostrat. Vit. Apoll. T. V 1 (*τὸ δὲ Εὐρώπης ἀκρωτήριον ὃ καλεῖται Κάλπις*) iam vidimus *Calpis* non *Calpe*“. — L. Mueller, De re metrica, ed. 2, p. 419, qui hunc locum non respexit. — Ribbeck, Der echte und unechte Juvenal, Berlin 1865, p. 63. — Neue I[2] p. 96 et 97. — Leimeister l. c. p. 17.

2) Thiel l. c. p. 25 sqq.

3) Non habeo, quod probem correctionem Weberi, qui scripsit *Oedipoda*, etsi hanc formam Seneca Oed. 943 adhibuisse videtur (*oedipode* A), praesertim cum accusativus quoque apud Statium semper Graece *Oedipoden*, apud Senecam autem Latine *Oedipodam* exstet.

atride [*a* supra *e* m. 1]) *Maca* (Sil. It. IX 89: Ch *-ae* S *-e*) *Oedipoda* (Senec. Oed. 943: A *-e*) — *charta* (Mart. IV 86, 11, V 26, 2, VIII 62, 1 Iuven. XIII 116) *gausapa* (Petr. 21, 2, 1; 28, 4, 2 in prosa oratione).

6. Nomina, quae tertiam declinationem Latinam sequuntur, etiam ablativum huius declinationis *ĕ* correpto terminatum accipiunt:

Hectore Cythereide Tritone aethere.

Eadem terminatione utuntur nomina, quorum nominativus in -ης, genetivus in -ους exit[1]):

Diomedĕ (Stat. Ach. I 701) *Ganymedĕ* (Mart. II 43, 14, IX 103, 8, X 66, 8, XI 22, 2; 26, 6; 43, 4; 104, 20, XIII 108, 2).

Item *rhinocerote* (Iuv. VII 130) et *elephante* (Manil. IV 236), quae nomina in aliis casibus alteri declinationi adaptata sunt.

Neque alio modo ablativus qui invenitur nominis, cuius nominativus in -υς excurrit, formatus est: *Tethye* (Sil. It. V 395)[2]).

Nomina, quorum genetivus nominativo in *-is* exeunti syllabarum numero par est, ablativum *-i* vocali finiunt[3]), velut *Charybdi Osiri genesi* apud Iuvenalem (VI 579, VIII 29, XV 17), *Lepti* apud Lucanum (IX 524), *Athesi* apud Silium Italicum (VIII 595).

Γοργώ nomen ut nominativum et genetivum, ita et ablativum Latinum praebet[4]); *Gorgone* (Manil. V 619 Lucan. IX 684 Mart. VI 10, 11 Iuv. XII 4).

Restant ablativi *Atho*[5]) (Senec. epigr. LXXI tit.) *chao* (Sil. It. XIII 439) *pelago*, quae forma persaepe invenitur, et duo ablativi nominum, quorum nominativus in -ευς desinit[6]). Horum terminatio est *-eo*, quam Statius in fine hexametri positam pro una syllaba adhibuit: *Nereō* (Theb. V 49), Seneca autem in Thyestis senario versu 271:

dignum est Thyeste facinus et dignum Atrëo

duabus syllabis constare voluit.

---

1) Neue I² p. 373.
2) Neue I² p. 482. — Georges l. c. p. 681.
3) Neue I² p. 348 sqq.
4) Neue I² p. 524 sqq. — Georges l. c. p. 304 sq.
5) Neue I² p. 210. — Georges l. c. p. 77.
6) Sniehotta l. c. p. 23.

7. Genetivus pluralis in *-on* excurrens[1]) praeter titulos Gratti: *Cynegeticon*, Manili: *Astronomicon*, Valeri Flacci: *Argonauticon*, Martialis: *Epigrammaton* duobus modo locis invenitur apud Martialem I 1, 13 et I 117, 3: *epigrammaton.*

Ceterae genetivi dativi ablativi pluralis terminationes ubique formis Latine declinatis adaptatae sunt. Ut exemplo utar, affero:

Indorum Nympharum — Pelasgum Macetum — Cyclopum Pieridum — Mycenis Phrygibus.

Nomen quoque *delphin* Latinum ablativum pluralem habet: *delphinis* (Iuv. X 14).

§ 3.

De accusativi formis.

1. Nomina Graece in *-ος* vel *-ον* terminantia saepius Graecam terminationem *-on* servaverunt[2]).

Ita Grattius in Cynegeticis Graece dixit *Dercylon* 103, sed Latine *Glaucum* 502.

In Manili Astronomicis invenimus hos Graecos accusativos:

Arcton I 566 *Delon* IV 637 *Iolcon* V 34 (*colchon* omn. codd., corr. Scal. et Bentl.) *Rhodon* IV 637 *Scorpion* I 268, II 365, 499, 502, 513, 552, IV 217 *Tartaron* II 46 (codd. *tartara*, corr. Scal.) *Tenedon* IV 638 *horoscopon* III 190, 205, 538

Deltoton V 715 *dodecatemorion* II 700, 736 (L *-is*).

Latine terminati sunt hi:

Aegyptum Arcturum Assaracum Bacchum Canopum Centaurum Corinthum Croesum Ebusum Epirum Hellespontum Heniochum Ilum Nilum Olympum Phoebum Phrixum Priamum Taurum

Aegeum Icarium Illyricum trigonum.

In Priapeis plerique accusativi huius generis Latinorum more formati sunt:

Bacchum Phoebum Priamum Priapum Tithonum – amygdalum, duo tantum Graece: *Epicuron* XII 15 et *Maenalon* LXXV 7.

---

1) Neue I[2] p. 485. — Sniehotta l. c. p. 24.

2) Sniehotta l. c. p. 24. — Bednara l. c. p. 356 (44). — Neue I[2] p. 191 sqq. — Koene l. c. p. 33. — Leimeister l. c. p. 23 sq. et 25.

Germanicus Graecum accusativum servavit his locis et Phaenomenorum:

Chion 652 *Pegason* 283, 694 *Sirion* 335 *arcton* 55 *polon* 22 (Z *-um*) *scorpion* 490, 655 — *deltoton* 235;

et fragmentorum:

Olympon IV 132 (o *-on* AMA*S *-o* Pς *-um*) *hydrochoon* IV 21 *scorpion* IV 18.

Horum nominum unum et Latinum accusativum praebet: *polum* (fragm. IV 74). Praeterea Latine declinavit hos:

Centaurum Phrixum arcturum ophiuchum.

Phaedrus nusquam adhibuit Graecam terminationem, sed omnes huius generis accusativos Latine declinavit:

Aesopum Eutychum Parnasum hydrum scyphum thesaurum xystum — antidotum corium (*χόριον*) *toxicum.*

In Senecae tragoediis occurrunt nobis haec nomina Graece flexa:

Pelion (Med. 609) — *Cyllaron* (Phaed. 811: A *-um*) *Delon* (Ag. 384) *Iolcon* (Med. 457) *Ismenon* (Ag. 321 H.O. 1801) *Isthmon* (Ag. 564) *Lemnon* (Ag. 566) *Parnason* (Phoen. 129) *Pylon* (H.f. 561 Tro. 848) *Scorpion* (Thy. 859).

Latina terminatione declinata sunt:

Ancaeum Bacchum Caucasum Cerberum Hesperum Histrum Laium Lyaeum Menelaum Oceanum Phoebum Pindum [1]) *Pontum Priamum Pyrrhum Sipylum Sisyphum Tantalum Tartarum Zephyrum — Elysium Ilium.*

Aeque terminati sunt accusativi, qui in eiusdem poetae epigrammatis inveniuntur:

Oceanum Priamum — Mausoleum.

Nec aliter res se habet in Apocolocyntosi satura, quae praebet in versu anapaestico: *Oceanum,*

in pedestri sermone: *Rhodanum Sisyphum Tantalum Xanthum.*

---

[1]) H.O. 1730 Leo scripsit *Pindum*, 1309 *Pindon.* Hoc loco codices tradunt:

A *qui manu Pindum ferant*
E *qui manus Pindo ferat.*

Cum autem Leo lectionem codicis A verbotenus in textum receperit, non intellego, cur vestigium codicis E secutus formam *Pindum* codice A traditam mutandam putaverit. Praeterea nominativus non solum a Seneca, sed etiam a Lucano Valerio Flacco Silio Italico semper Latine terminatus est.

In Octavia tragoedia exstant hi accusativi Latini: *Nilum Oceanum.*

Columella quoque unum modo nomen Graece terminavit: *paliuron* X 22, complura autem Latine:
Bacchum Lyaeum Maenalium — *barathrum.*

Unam Graecam formam, quam Persius adhibuit: *Euhion* I 102 ex alterius poetae — ut videtur Neronis — versibus transtulit [1]).

Ceterum Latinam praetulit:
canthum ebenum helleborum satyrum — *Aegaeum castoreum* (*καστόριον*) *oenophorum.*

Lucanus saepius adhibuit Graecorum in accusativo terminando rationem. Legimus enim apud eum:
Abaton [2]) X 323 *Arcton* III 251, VI 342 *Bosporon* VIII 178 *Epheson* VIII 244 (Vm *-um*) *Gnidon* VIII 247 *Iolcon* III 192 *Lesbon* VIII 135 *Maeandron* III 208 *Oricon* III 187 *Pactolon* III 210 *Rhodon* VIII 248, IX 1003 *Seston* II 674, VI 55 *Taenaron* IX 36 *arcton* IX 539 *scorpion* I 659, VI 394, IX 834
Auximon II 466 *Byzantion* IX 958 *Rhoetion* IX 963 *amomon* X 168 *cinnamon* X 167.

Tria sunt nomina, quorum accusativus modo Graece modo Latine formatus est:
Aegypton X 359 — *Aegyptum* VII 711 (PUG *-on*), IX 164 (G *-on*), X 435 (G *-on*); *Pharon* VIII 184 (U_1 *-an*), 277, 443, 514, IX 1081, X 81 ($M_1 P_1$ *-um* U_1 *-an* G_1 *-os*), 509 — *Pharum* VIII 499 (VPUG *pharon*); *noton* V 542, VII 364, IX 539, 695 (U *-um*), X 243 — *notum* II 460, V 609, VI 294 (P *-um* OC *-o* m *-os*).

Semper Latinum habent exitum haec nomina:
Antaeum Argum Bacchum Basilum Deiotarum Epirum Euxinum Hiberum Nilum (VIII 499: PG *nilon*) *Olympum Parthum Pelorum Phoebum Pontum Taurum Tyrrhenum* — *habrotonum thymum* — *Nymphaeum.*

Graeci accusativi, quos Petronius adhibuit, nisi locis prosaicis non inveniuntur:

---

[1]) Cf. scholia in ed. Buecheleriana [3] p. 11: „Hi versus Neronis sunt".
[2]) Cf. Servius in Verg. Aen. VI 154 (ed. Thilo vol. II p. 33 sq.).

Ascylton 6, 2,$_{2}$, 21, 1,$_{4}$, 72, 5,$_{1}$, 79, 11,$_{2}$, 80, 6,$_{5}$, 94, 3,$_{2}$ *Encolpion* 92, 6,$_{4}$, 104, 1,$_{1}$, 109, 3,$_{2}$, 114, 9,$_{2}$ *Eumolpon* 95, 8,$_{6}$, 96, 6,$_{1}$, 102, 2,$_{1}$ *Polyaenon* 127, 7,$_{1}$ — *elegidarion* 109, 8,$_{5}$.

Eidem contextui inserta sunt Latine terminata unum ex his: *Eumolpum* 90, 1,$_{1}$, 95, 7,$_{3}$, 115, 2,$_{2}$, 124, 3,$_{4}$, 140, 2,$_{2}$ et multa alia nomina:

Aratum Bromium Corinthum Croesum Ephesum Epicurum Euhium Hipparchum Homerum Idaeum Lyaeum Lysippum Mopsum Protesilaum Syrum caccabum crocum grabatum (*κράββατος*) *struthocamelum* — *horologium lasanum obsonium pisum schedium sistrum thraecium.*

Eundem Latinum exitum praebent nomina posita in saturae versu

dactylico: *Acrisium* 137, 9,$_{4}$ phalaecio: *cinnamum* 93, 2,$_{9}$ senario: *zmaragdum* 55, 6,$_{12}$

et in fragmentis: *Bacchum* XXVII 9.

Calpurnius Graecorum rationem secutus est in his accusativis:

Nyctilon VI 6 *Petason* VI 51 *Tityron* IV 161,

sed Latine flexit:

Bromium IV 123 *Mopsum* III 9, 32.

Panegyricus in Pisonem continet unum nomen Latine flexum: *Olympum* 231.

Contra in carmine, quod Aetna inscribitur, omnia nomina generis de quo disserimus Graecam formam servaverunt:

Enceladon 72 *Tityon* 80 — *Pelion* 49 *Pergamon* 18, 591.

Valerius Flaccus servavit Graecum accusativum horum nominum:

Amyron II 11 (VMCO *-in* B$_{2}$ *-um* Ma *-on*) *Bosporon* IV 419 *Callichoron* V 75 *Cyllaron* I 426 *Cytoron* V 105 *Hymetton* I 397 *Iolcon* I 171 *Isthmon* VIII 23 *Lemnon* I 392, II 127, 198, 311 *Procnesson*[1]) III 34 *Seston* V 201 *Taenaron* I 365 *Taygeton* I 429 *arcton* IV 211, V 272 *pharon* VII 85 — *Scylaceon* III 36[2]).

---

[1]) De hoc nomine Langenus adnotavit in editionis p. 207: „Procneson metri causa ausus est dicere Valerius pro Proconneso (sive potius Proconeso, cf. Prisc. perieg. 556)".

[2]) De hoc nomine Langenus adnotavit in editionis p. 207: „navifragum

Ceteris Latinam terminationem dedit:

Acastum Amastrum Ambrosium Amycum Ancaeum Argum Autolycum Bacchum Canthum Cydrum Echeclum Erebum Erginum Gesandrum Gessithoum Glaucum Haemum Hebrum Idalium Latagum Learchum Lycurgum Medum Melanthum Mopsum Nisaeum Ochum Olbum Olympum Phlogium Phoebum Pholum Phrixum Talaum Thapsum Thydrum Tityum Zacorum Zephyrum — Elysium Ionium Parium.

Silius Italicus Graecam terminationem adhibuit his Punicorum locis:

Alpheon XIV 54 *Cypron* VII 456 *Hesperon* XVI 504, 511 *Hymetton* XIV 199 *Isthmon* XV 155 *Neriton* XV 305 *Oricon* XV 293 *Solimon* IX 75 *Tyron* I 74 *loton* VIII 504 *ponton*[1]) XI 470 (S *ponto*).

Latinorum usum secutus est in accusativo horum nominum, quae aut a Graecis deprompsit aut a Graecis nominibus derivavit:

Arabum Arcadum Archemorum Aristaeum Ascanium Assaracum Bacchum Breucum Caicum Caunum Clytium Crixum Cyrnum Daunum Delum Durium Epirum Ericthonium Galaesum Hebrum[2]) *Hiberum Histrum Iapetum Ithacum Lixum Lusitanum Lyaeum Massylum Maurum Metabum Misenum Monaesum Myconum Nessum Oceanum Olympum Phalantum Phoebum Pholum Saguntum Samium Tagum Teucrum Thapsum Xanthum — Elysium Palladium trophaeum.*

Accedunt nonnulla nomina barbara:

Bagesum Garadum Herium Hostum Labarum Larum Lygdum Metiscum Morinum Murrum Podaetum Sapharum Sychaeum Thyrum Thysdrum.

---

vocatur Scylaceum a Vergilio Aen. III 553 in Bruttiis situm, inde Valerius videtur transtulisse spumosum ab unda fracta Scylaceon, nam ne forma quidem Scylaceum invenitur apud alium scriptorem pro Scylace oppido ad Propontidem sito et ab Herodoto Plinio aliisque commemorato; saxa Scylaceia (sic recte em. Heinsius) Argo legisse dicitur eleg. in Maec. 107".

[1]) Cf. Livineius et Lachmannus ad Lucret. V 507.

[2]) Ita scripsit II 75 Bauer, *Haemum* Burmann. et Drakenb. prob. van Veen, *Eurum* Ruperti prob. Ribbeck (Proll. in Verg. p. 364). Sed *Hebrum* rectum esse demonstraverunt Gossrau ad Verg. Aen. I 317 et Kvíčala „Vergilstudien", Prag 1878, p. 104.

In Iliade Latina legimus Graece terminata: ***Antiphon*** 748 (*antiphonem* codd., corr. Kootenus) et ***Polyidon*** 445 (*polidona* codd., corr. Bondamus).

Cetera nomina Latinum exitum praebent:

Adrastum Alexandrum Amphimachum Archilochum Ascalaphum Astyonum Chromium Hippolachum Idaeum Menelaum Oceanum Olympum Orsilochum Pedaeum Phaestum Phereclum Pisandrum Priamum Promachum Xanthum.

Statius saepius usus est Graeco accusativo, quem quidem legimus his locis Silvarum:

Aeacon III 3, 16 *Cerberon* V 2, 95 *Erymanthon* IV 6, 101 *Paphon* I 2, 159 *Pergamon* III 4, 68 *Phileton* II 6, 103 *Stymphalon* IV 6, 101 *Tartaron* II 7, 117 *Troilon* II 6, 33 *hymenaeon* II 7, 87 *iambon* II 2, 115 *phaselon* III 2, 31 — *Pelion* III 2, 65.

Latinam autem terminationem acceperunt:

Bromium Delium Eurum Glaucum Grypum Hermum Histrum Icarium Notum Olympum Phoebum Tagum — *Elysium* (II 3, 74: M *helisia* ς *elysio* corr. Vollmer).

Et in Thebaide persaepe Graecos secutus est terminans hos accusativos per *-on*:

Acheloon VII 416 *Aeolon* IX 765 *Alpheon* VI 675 *Antiphon* IX 252 *Arcton* V 78 *Ascheton* VI 463 *Asopon* III 337 *Caucason* IV 394 *Charadron* IV 46 *Cocyton* I 90 *Corinthon* I 334 *Cydimon* V 227 *Cyparisson* VII 344 *Delon* I 702, VII 183, 352, VIII 198 *Erymanthon* IV 298 *Eteonon* VII 266 *Euneon*[1]) VI 464 *Inachon* VII 420, IX 444 *Iphiton* V 400 *Ismenon* I 40, III 663, IX 359 *Lemnon* V 30, 272, 325, 615 *Maenalon* IX 639 *Paphon* V 61 *Parnason* VII 346 *Phaedimon* VIII 438 *Pharon* XII 516 *Samon* I 261 *Schoenon* VII 268 *Scolon* VII 266 *Sipylon* VI 125 *Stymphalon* IV 298[2]) *Tenedon* VIII 197 *Teumeson* IV 372 *Tityon* I 710, IV 538, VII 352 *ceston* II 283 (PS *-om*), V 63 *coryton* IX 730 — *Aegion* IV 81 *Pelion* VIII 79.

In eodem carmine Latine declinata sunt:

Admetum Adrastum Alcathoum Ancaeum Arcturum Argum Bacchum Bromium Cadmum Capetum Cthonium Coroebum Cygnum

---

[1]) Serv. in Verg. Aen. XI 666 (II p. 555 ed. Thilo).

[2]) Serv. in Verg. Aen. III 240 (I p. 384).

Damasum Deilochum Elymum Epaphum Euripum Hippodamum Histrum Hylaeum Hyllum Iapetum Iphinoum Lamum Lamyrum Learchum Linum Lyaeum Lycetum Lycum Lycurgum Lygdum Narcissum Nisum Nomium Oceanum Oenomaum Olenium Parthenopaeum Phalantum Phoebum Pholum Prothoum Talaum Taurum Thessandrum discum — Aegaeum Elysium peplum[1]).

In Achilleide quoque nonnulli accusativi Graece flexi inveniuntur: *Scyron* II 93 — *Ilion* I 959 *Pelion* I 39, 194,

sed Latine exeunt:

Bacchum Ithacum Pyrrhum Zephyrum contum.

Martialis epigrammata haec exempla Graeci accusativi generis de quo disserimus exhibent:

Ceston I 92, 3 *Corinthon* IX 59, 11, X 68, 11 *Cyllaron* VIII 21, 5 *Cypron* IX 90, 9 *Daedalon* IV 49, 5 *Delon* epigr. I 4 *Eiarinon* IX 11, 13 *Hyacinthon* VIII 63, 2 *Linon* IX 86, 4 *Polyphemon* IV 49, 6 *Rhodon* IV 55, 6 *Thestylon* VIII 63, 1 *Tyron* II 29, 3 *cercopithecon* VII 87, 4 *ceston* VI 13, 8, XIV 206, 2; 207, 1 *cherson* XIV 88, 1 *colosson* II 77, 3, VIII 44, 7 *galliambon* II 86, 5 *hippodromon* XII 50, 5 *lygdon* VI 42, 21 *monaulon* XIV 63, 2 *phaselon* X 30, 13 — *Pelion* VIII 36, 6 *distichon* III 11, 2 *eschatocollion* II 6, 3 *hexaclinon* IX 59, 9.

Latina autem terminatione affecit poeta haec nomina:

Anchialum[2]) *Antiochum Atrectum Bacchum Caballum Carpophorum Cephalum Clytum Cosmum Cynicum Hermaphroditum Hermum Hippolytum Histrum Hyllum Myrinum Nilum Oceanum Parthenium Phoebum Pirithoum Priapum Spendophorum Tagum Telesphorum Zoilum rhombum soloecismum tholum zelotypum — archetypum cadum garum orthopygium oxygarum scaphium.*

Iuvenalis denique graecissavit in his accusativis:

Alcitheon VII 12 (*alcitheon* P vel *alchinoen* margo *alcithoen* vel *alchionem* ς) *Corinthon* VIII 113 *Pharon* VI 83, XII 76 *Pittacon* II 6 *chironomon*[3]) VI 63 *crocodilon* XV 2;

---

[1]) VI libri versus 524 corruptior est, quam ut quid poeta scripserit scire possimus. Quapropter accusativi *Caerum*, quem Klotzius textui inseruit, postquam iam Muellero arrisit, rationem non habui.

[2]) De hoc nomine cf. adnotationem Friedlaenderi in edit. tom. II p. 209 sq.

[3]) Thiel l. c. p. 43.

Latinam rationem secutus est in his:

Antaeum Basilum Bromium Chrysogonum Croesum Cycnum Ennosigaeum[1] *Epicurum Euandrum Euryalum Homerum Ithacum Nilum Oceanum Pyrrhum colaphum contum cothurnum cyathum nanum rhombum soloecismum* — *Carpathium corium naulum*[2] (VIII 97: *naulū* ex *na . lu* P) *oenophorum podium.*

2. Accusativos, qui Graece in -αν vel -ην desinunt, poetae aut retinuerunt aut Latine per *-am* terminaverunt. Atque ea nomina, quorum nominativus Graecus in -ας exit[3], plerumque Graecam accusativi terminationem praebent.

Manilius quidem semel tantum graecissavit: *borean* IV 646, ceteris locis Latinam formam adhibuit: *boream* I 314, 372, 566 *Aeneam* IV 24, sed

Germanicus ubique Graeca terminatione usus est:

borean 242 (C *-am*), 325, 380, 413, 459, aeque ac

Seneca: *Borean* (Tro. 841 H.O. 113) *Eurotan* (Phoen. 127: E *-am* A *-em* Ag. 281, 319) *Lichan* (H.O. 809: A *licam* E *lycham*, 815, 978: A *licam* E *lycham*).

Lucanus quoque praeter Graecas formas:

Lycidan III 636 (*licido* [*-am* ss.] P *lycida in-* z) *borean* IV 61, V 543, 705 (PZUG *-an*), VI 341, VII 364, VIII 183, IX 695, X 289 unam solam Latinam: *Achillam* X 350 adhibuit.

In Petroni satura omnes accusativi generis de quo agitur in prosaico contextu inveniuntur et Latine terminati: *Habinnam Licham*

et Graece: *Hylan* 83, 5, 1 *embasicoetan* 24, 2, 1; 3, 1.

Eiusdem poetae fragmenti XXVIII versus 9 continet: *Midam.*

Apud Calpurnium legimus *boream* I 75 et *Lycidam* VI 81, sed III 8 (g *-am* P *-ā*) et 91: *Lycidan.*

Valerius Flaccus Graecorum usum ita in deliciis habuit, ut unum solum nomen Latine flecteret: *Idam* VI 382, complura autem Graece:

---

[1]) Thiel l. c. p. 31.

[2]) Thiel l. c. p. 47.

[3]) Sniehotta l. c. p. 29. — Bednara l. c. p. 355 (43). — Neue I³ p. 88 sqq. — Leimeister l. c. p. 7.

Borean I 604 *Eurotan* I 430 *Hylan* III 569, 571, 596 bis, 725, IV 18 *Pelian* I 849, II 4, VII 92 *Phlegyan* II 193 *tiaran* VI 700.

Silius Italicus in Punicis Graece declinavit:

Aenean II 413 (O *-am* LFV *-an*), VIII 87 *Borean* XIV 389 (O *-am*), XV 713 (F *-am*) *Eurotan* IV 364 (F *-am*) *Gyan* I 439 *Pantagian* XIV 231 (L *-an* FOV *-am*),

Latine: *Acherram* X 76 *Bagam* II 111, V 235 *Lucam* X 139 *Micipsam* II 160.

In Iliade Latina una invenitur huius generis forma: *Aenean* 472, 509.

Statius praeter Persicum nomen: *Mithram* (Theb. I 720) semper servavit Graecam terminationem et in Silvis:

Aenean IV 2, 2 *Borean* III 2, 45 *Hylan* II 1, 113

et in Thebaide:

Borean VII 6, III 288, V 15, 346 *Gyan* II 610, V 223, VII 715, IX 305 *Idan* V 405 (*idan* P *idam* [*y-* BM] *ω*), VII 588 (*idan* Pr *idam* *ω*), IX 755 (*idan* P *idam* *ω*) *Lichan* IX 291 *Phlegyan*[1]) I 713, VII 711, VIII 688 *Pterelan* VII 632 *Tiresian* VIII 227 (P *-an* *ω* *-am*), X 589.

Neque aliter gessit se in hac re Martialis, qui praeter *Damam* VI 39, 11, XII 17, 10 Graece terminavit hos accusativos:

Achillan VII 57, 1 *Athan* IV 19, 8 *Hylan* VI 68, 8, IX 25, 7; 65, 14, XI 28, 2; 43, 5 *Ladan* II 86, 8 *Pelian* VI 71, 3, XI 60, 4 (EXAFV *-an* 𝔓QBScr. *-am*).

Item Iuvenalis, qui scripsit: *Aenean* I 162 *Tiresian* XIII 249.

Eandem rationem, quam haec nomina, sequuntur plurima eorum, quorum nominativus in *-ης*, genetivus in *-ου* excurrit[2]). Quorum cum accusativi formis simul enumeravi similes accusativos eorum, qui tertiam Latinam declinationem sequi solent, eosque in fine adiunxi.

In Gratti enim Cynegeticis invenimus *Nebroden*[3]) 528 — *Gangen* 314.

---

[1]) Serv. in Verg. Aen. VI 618 (vol. II p. 87).

[2]) Sniehotta l. c. p. 25 sqq. — Bednara l. c. p. 354 sq. (43 sq.) — Neue I[3] p. 48 sqq. et 90 sq. — Leimeister l. c. p. 11.

[3]) Graece *τὰ Νεβρώδη ὄρη*.

Etiam Manilius Graece flexisse videtur: *syboten* V 126 (*syboetem* L corr. Scaliger), sed Latinam tertiam declinationem amplexus est, cum scripsit *Tydidem* I 763.

Germanicus contra praetulit Graecam terminationem -ην nominis tertiae declinationis: *Ganymeden* (Phaen. 318: PB[a] Lo -*en* AA* -*ē*).

Phaedrus plane Latine declinavit *margaritam* III 12, 2.

In Senecae tragoediis Graece terminati sunt hi accusativi:

Alciden (Phaed. 849 H.O. 257, 271, 510: EA *Alcidem* corr. Bothius, 892: EA -*dem* corr. Gronovius, 1320: EA -*dem* corr. ς, 1352, 1353, 1493, 1511, 1516, 1596, 1723, 1761, 1874, 1896) *Atriden* (Ag. 275); *Aeeten* (Med. 527: *aetem* E *oetem* A *aeetem* Aldina) *Leucaten*[1] (Phaed. 1014) *Oresten* (Tro. 555 Ag. 931) *Scythen* (H. f. 1210: E -*em*) *Thyesten* (Thy. 476: A -*em*, 937) — *Araxen* (Med. 373 Phaed. 58 Oed. 428: A -*em*) *Gangen* (Oed. 427: R -*en* EA -*em*).

Latinam terminationem unum modo nomen accepit: *Oedipodam* (Oed. 1003: A -*em*).

In epigrammatis idem poeta Graece dixit *Telamoniaden* XLI 3.

Octaviae poeta Latinam terminationem solam adhibuit et primae declinationis: *cometam* 232 et tertiae: *Atridem* 816.

Item Persius scripsit *saperdam* V 134 et plane latinizatum: *gausapĕ* IV 37 (*γαυσάπης*)[2].

Lucanus autem omnibus locis Graecorum declinationem servavit:

Alciden IV 611; *Euphraten* II 633, VIII 214, X 33 *Massageten* II 50 *Niphaten* III 245 (-*em* PU); *Persen* II 672 (*persem* Puvg *xersem* VUZ [*en*] *xerxen* [*n* ex *m*] G *sersen* MZCp [-*em*]); *cometen* I 529 (V -*am* U -*em*) — *Araxen* VII 188, VIII 431 (MZ -*e* Gm -*em*) *Gangen* X 33 *Hydaspen* III 236.

Apud Petronium nomina huius generis, quae nisi in prosaico contextu non inveniuntur, accusativum aut Graecorum more flectunt: *choraulen* 53, 13, 8 — *Demosthenen* 2, 5, 2, aut Latinorum: *margaritam* 64, 9, 4[3]).

---

[1]) Sed nominativus Graecus *Λευκάτας*.

[2]) Bednara l. c. p. 345 (33).

[3]) Summa est dissensio de Petroni loco prosaico 35, 4, 3, quo si *oto*-

Calpurnius scripsit *Palen* IV 106 (*palen* w *palem* v *panem* NG) et *cometem* I 78.

In Aetna quod vocatur carmine legimus *cometen* 242.

Valeri Flacci Argonautica duas tantum Latinas formas huius generis praebent: *Aprem* VI 638 (CB *-en*) et *Zetem* VI 572 (*zaten* C *zelam* Th), quibus obstant multae Graece exeuntes hae:

Aeoliden I 286 *Aesoniden* (16 locis) *Alciden* (11 locis) *Amphitryoniaden* I 375 *Ampyciden* V 366 *Crethiden* VI 609 *Oleniden* III 204 *Tyndariden* VI 207, 212; *Phasiaden* VI 640 *Thespiaden* I 124; *Aeeten* II 379, V 317, 393, 685 *Broten* III 152 *Eriboten* III 478 *Iaxarten* V 593 *Massageten* V 125 *Ophelten* III 198 *Sueten* VI 550 *Thyrsageten* VI 135; *Bycen* VI 68 *Nealcen* III 191 *Phalcen* VI 245, 554; *Satarchen* VI 145; *Hagen* III 191 *Sagen* III 182; *Arinen* VI 638 *Syenen* VI 74, 703; *Choaspen* V 602 *Steropen* I 446; *Monesen* VI 189 *Persen* V 529, 634, 678, VI 30 — *Aren* III 203.

Silius quoque Italicus praetulisse videtur in Punicis Graecam terminationem, qua terminati sunt hi accusativi:

Aeoliden XIV 492 (O *-em*); *Achaten* XIV 228 (FOV *-em*) *Buten* VII 598 *Massageten* III 360 *Niphaten* XIII 765; *Adherben* VII 601; *Dracen* XV 467, 468 *Macen* II 60 *Mahalcen* VII 599 (*mahalcem* Ch *maleon* S) *Nealcen* XV 448 *Sacen* II 161; *Tyren* VI 44; *Arsen* VII 598 — *Gangen* VIII 408, XIII 765.

Ad quos accedit VI 183 *Amphitryoniaden*, cuius nominis accusativus Latine formatus XV 79: *Amphitryoniadem* invenitur. Eodem modo exeunt: *Panchatem* XVI 388 et *cometem* IX 444 (*-em* LV *-ē* FO *-en* edd.).

In Iliade Latina unius nominis accusativus fluctuat inter Latinam et Graecam formationem; in versu enim 914 *Aeaciden*, in versu 967 *Aeacidem* exstat.

petam legimus, forma a Graeco nomine ὠτοπετής (= *auritus Langohr, Hase*) deprompta supra addenda est. Buecheler autem cum cod. Prag. *oclopetam* scripsit, quod nomen a Romanis vocabulis *oculus* et *peto* se derivare dixit in Mus. Rhen. LVIII p. 625. In fine autem eius disputationis admonet de Graeco nomine ὁπλοπαίκτης et putat fortasse *oclopaectam* scribendum esse. Cui opinioni accessit Vendryes, Mémoires de la société de linguistique de Paris 13 (1905/6). p. 231 sq. — Cf. etiam Vollmoellers Jahresbericht VII 54.

Cetera nomina semper Graece flexa sunt:

Amarynciden 377 *Antenoriden* 787 *Atriden* 74 *Maeoniden* 430 (coni. Schraderus) *Plistheniden* 82 [1]) *Thestoriden* 59 (O -ē) *Tydiden* 437; *Chrysen* 24.

Statius ubique fere Graecam accusativi formam adhibuit. Itaque nominum, quae Silvae continent, duo tantum, si formae recte traditae sunt, Latinum exitum praebent: *Steropem* et *Brontem* I 1, 4, omnia cetera Graecum:

Aeaciden V 3, 194; 5, 37 *Alciden* I 3, 100, III 1, 83 *Maeoniden* V 3, 130 *Oebaliden* II 1, 112 *Peliden* II 7, 97 *Priamiden* IV 4, 105; *Pyladen* II 6, 54; *Euphraten* III 2, 136 *Menecraten* IV 8 tit. *Ophelten* II 1, 182; *Hippomenen* I 2, 86; *Persen* V 3, 187 — *Apellen* IV 6, 29 *Araxen* V 2, 32 *Gangen* IV 2, 49.

In Thebaidis versu XI 666 dissensio fit, utrum poeta Graecam formam *Oedipoden* an Latinam *Oedipodam* scripserit. Utra adhibenda sit, pendet ex nomine insequenti, quod in codice P est *extimuit*, in ω *timuit*. Si optimum codicem P sequimur, versus cum Klotzio scribendus est

Oedipodam extimuit paulum, seseque minorem

accusativo Latine formato, quamquam idem codex P Graecam formam *Oedipoden* praebet, quae II 436, VIII 242, XI 491 extra dubitationem posita est.

Reliquis locis omnia, quae inveniuntur, nomina huius generis Graecum usum servaverunt:

Aeoliden IV 571 *Alciden* VII 668 *Astaciden* VIII 725, 746 *Iasiden* VIII 438 *Letoiden* I 663, 695 *Oecliden* VIII 146 *Oedipodioniden* IV 491, VI 426 (*-em* b) *Oeniden* III 392, IV 113, V 405, X 748 *Tyndariden* V 407, VIII 50; *Amphitryoniaden* VI 312, X 647 *Thespiaden* IX 293; *Agyrten* IX 281 *Buten* VIII 484 *Menoeten* II 644, XII 204, 237 *Ophelten* IV 722 *Oresten* I 476 *Politen* VIII 491, IX 125 *cerasten* XI 65; *Astyagen* IX 253 *Sagen* VII 714 (*-em* PBQLCfb) *Tagen* IX 270; *Hydaspen* VIII 237; *Hersen* VII 737 (*in ersen* P *in hertem* [*-he-* Q[1] *-he-* ex *-ho-* L^{σ} *-ie-* b] BQLbr *inertem* ω *in Harpyn* Unger [2])),

---

[1]) Bergk, Philol. XVI p. 623.

[2]) R. Unger, P. Papinii Statii Ecloga ultima. Accedunt de Statii locis controversis coniectanea, Novae Strelitiae, 1868, p. 167.

IX 306 — *Gangen* I 686, IV 387 *Podarcen* VI 466 (*podarcen* P *podarcem* ω *podacem* r *Podargum* Bentleius).

Neque aliter se habent nomina, quae in Achilleide inveniuntur:

Aeaciden I 1, 364, 500, 561, II 7 (PKC *-em*) *Alciden* I 157 *Peliden* I 721.

Martialem quoque puto in nominibus quidem propriis declinandis semper Graecorum rationem secutum esse. Illo enim loco IX 87, 5, quo Friedlaender et Lindsay in textum receperunt *Nastam*, memoria librorum tam est incerta et diversa (𝔓 *Nastam* FQ *Nastani* EAG *Zonastam* XCOVind.[3] *zonas μxa zenas*), ut cum nihil certi emendari posse arbitrer tum formam Latinam *Nastam* vix tuendam esse censeam, quippe quae non conveniat ceteris accusativis huius generis, qui omnes Graece in *-en* desinunt:

Alciden epigr. XVI b 2, IX 3, 11; 44, 1 (*alciden* E Schn. *alcidem* XAFGVind.[3] *alcides* O Lipsius Scriverius Gilbert); 64, 6, XIV 178, 2 *Maeoniden* V 10, 8; *Oedipoden* X 4, 1 (*oedipoden* PQSchn.[2] *oedi pudent* A *oedi puden* [*n* ante rasuram] E *oedipodem* FSchn.[1]); *Pyladen* VI 11, 9, VII 24, 3; 45, 8 *Sotaden* II 86, 2, VI 26, 2; *Oresten* VI 11, 9 *Thyesten* V 53, 1, X 4, 1; *Geryonen* V 49, 11; 65, 12 — *Hermocraten* VI 53, 4 *Menogenen* XII 82, 2.

Latine est flexum appellativum solum: *chartam* V 6, 7.

Item declinavit Iuvenalis alterum appellativum: *metretam* III 246, in altero autem graecissavit: *cometen* VI 407 (*-em* P).

Nomina propria praeter unum *Niphatem* VI 409 (*nimphatem* Ppr) semper Graece terminavit:

Atriden IV 65 *Euphraten* I 104, VIII 51 — *Archigenen* VI 236, XIV 252 *Aristotelen* II 6 *Gangen* X 2.

3. At contra nomina, quorum nominativus in *-α* desinit[1]), plerumque poetae Latine flexerunt. Quapropter longum puto Latinos accusativos in *-am* exeuntes afferre, si non dubii sunt neque apud eundem poetam eiusdem nominis Graeca forma invenitur. Graecam autem terminationem *-an* praebent hi accusativi

---

[1]) Sniehotta l. c. p. 29. — Bednara l. c. p. 43. — Neue I[3] p. 86 sq. — Leimeister l. c. p. 18 sq.

in Manili Astronomicis V 545: *Andromedan* (L *-am*), quamquam quattuor aliis locis I 350 (*-da* LG), 356, V 23, 658 Latina forma exstat: *Andromedam*;

in Germanici Phaenomenis: *Cynosuran* 51 (*-am* BA*$V^a B^b$ *-an* APMSVες), 187 (CA *-am*) *Hippodamian* 162;

in Senecae tragoediis: Tro. 848 *Bessăn* et H.O. 1735 *Ossăn*, quod nomen Latine flexum invenimus in eiusdem tragoediae versu 1152: *Ossam* (A *ossa*).

Apud Lucanum occurrit nobis: *Malean* IX 36 (M_1UQZ_1c *maleon*);

apud Petronium in prosaico saturae contextu positum: *Odyssian* 29, 9, 2;

in Aetnae carminis versu 49: *Ossăn*.

Valerius Flaccus adhibuit Graecam terminationem V 425: *Aean*.

Paulo magis adamavit Graecam formam Statius, qui eam inseruit his Thebaidis versibus:

Aeginăn VII 319 *Argian* II 203, IV 91, XII 296 (*-am* PBμν) *Leucothean* IX 402 *Malean* X 537,

neque sprevit in Achilleidis alterius libri versu 82: *Deidamiăn*.

Martialis denique epigrammata continent *Andromedan* epigr. XXVII 10 et *Glyceran* XI 40, 1 et *Megaran* XI 43, 6 et in versu ex epigrammatis Caesaris Augusti deprompto XI 20, 3 *Glaphyran*.

Aliquanto saepius Graeca forma accusativi servata est eorum nominum, quorum nominativus Graecus in *-η* desinit[1]).

Quam rationem secutus dixit Manilius: *Creten* IV 788 *Daemonien* II 897 (*daemonion* A) *Helicen* I 218, IV 792 *Phoeben* II 913, III 197, IV 847. Item II 32: *Erigonen* (L *-em*), cuius nominis accusativum suspectum *Erigonem* in versibus 406, 507, 559 invenimus[2]). Recte quoque cum vocalis sequatur, formam *libiam*, quam IV 661 omnes codices tradiderunt, Scaligerum et Bentleium correxisse puto in *Libyen*, etsi IV 598 et 779 *Libyam*

---

1) Sniehotta l. c. p. 25 sqq. — Bednara l. c. p. 354 (42) sq. — Koene l. c. p. 50. — Neue I^3 p. 66—82. — Leimeister l. c. p. 15 sq.

2) His tribus locis omnes codices praebent formam supra allatam, quam Scaliger et Bentleius in *Erigonen* correxerunt. Cf. supra p. 60.

praebent. Praeterea haec Latina terminatio legitur horum nominum:

Aetnam I 854 *Europam* II 490.

Utrumque nomen huius generis, quod in Priapeis invenitur, priscam terminationem servavit: *Circen* LXVIII 23 et *Creten* LXXV 6.

Neque alio modo Germanicus in Phaenomenis terminavit nomina:

Helicen 51, 90, 141 *Hellen* 533 *Hippocrenen* 221 (*-en* p *-em* AMS *-ē* P *-es* ELB[a] *-e* V[a] *-creotis* V[d]) *nymphen* 322.

Phaedrus Latine flexit *apothecam* IV 5, 25.

In Senecae tragoediis Latinam terminationem praebent accusativi: *Europam* (Ag. 274) *Libyam* (H.O. 1105) *Spartam* (Phoen. 128: A *-en* Ag. 281: A *-em*).

Duplici modo terminavit semel, nam *Andromacham* (Tro. 576) et *Andromachen* (Tro. 804) dixit.

Cetera omnia, quae inveniuntur, huius generis nomina Graecum exitum servaverunt:

Agauen (Oed. 933) *Alcmenen* (H.O. 1777: A *-am*, 1816: *-am* A *-ae* E corr. Σ) *Calpen* (H.O. 1569) *Dircen* (H.f. 916 Oed. 177, 234) *Eurydicen* (H.f. 571, 577: E *-em*, 581 H.O. 1087) *Hellen* (Tro. 1034: E *-em* Thy. 851: EA *-em* corr. Σ) *Inarimen* (H.O. 1156) *Iolen* (H.O. 206: A *-em*, 349, 353, 574) *Lethen* (H.f. 777 H.O. 1550) *Oeten* (H.f. 981 H.O. 1618, 1646) *Rhodopen* (H.O. 1050: A *-e*) *Scarphen* (Tro. 848) *Semelen* (H.O. 1915: E *-em*).

In epigrammatis eiusdem poetae conspicimus Latinas formas: *Libyam* X 1 et *Europam* X 2.

Octaviae autem tragoediae versus 766 continet Graecam formam *Europen* (*-en* Σ *-em* LRΠ *-am* Q).

Aeque se habent accusativi, qui exstant in Columellae libro X: *Amphitriten* 201 (M *-em*) et *Paphien* 193.

Eandem terminationem etiam Persius nominibus propriis dedit *Callirhoen* I 134 et *Pirenen* prol. 4, Latinam autem appellativo *sambucam* V 95 (σαμβύκη).

Lucanus Graecorum rationem secutus est in his nominibus semper:

Agauen I 574 *Calpen* I 555, IV 71 *Cybeben* I 600 *Ephyren* VI 57 *Lethen* V 221 *Meroen* IV 333, X 251 *Oeten* III 178, VII 449 *Peucen* III 202 *Phemonoen* V 126 *Pholoen* VII 449, 827 *Pitanen* III 205 *Pyrenen* I 689 *Syenen* VIII 851, X 234 *harpen* IX 662, 663, 676.

Modo Graeca modo Latina terminatione usus est in accusativo formando nominis *Libyae*, qui est *Libyen* I 687, IX 351, 386, 415, 523, 690, et *Libyam* IV 691, V 56, VI 817, VII 711, VIII 170, 277.

Praeterea Latinorum more declinavit hos accusativos:

Aetnam V 99, X 448 *Europam* II 674, VI 817, IX 872.

Petronius contextui prosaico innexuit et formas Graecas: *Circen* 127, 6, $_2$ *Helenen* 138, 6, $_4$, et Latinas: *Niobam* 52, 2, $_3$ *cryptam melicam phialam pinacothecam rhetoricam scapham thecam*.

In versibus autem nomina propria Graece declinavit: *Danaen* 137, 9, $_3$; $_4$ *Parthenopen* 120, $_{68}$.

Calpurnius omnibus generis de quo agimus nominibus Graecam accusativi terminationem dedit:

Alcippen III 31, 33 (P *-ē*) *Callirhoen* III 25 (*-ē* gn *-en* PI plerique) *Crocalen* II 1 (*-lē* P *-lem* gn *crocalen* in Italorum, quos siglum I denotat, lectionibus), 52 (*-em* gn *talē* P variant I), 56 (*-ē* nP *-em* g) *Petalen* VI 74 *alcen* VII 59 (n *-em*).

In carmine, quod inscribitur Aetna, utramque flexionem servatam videmus; nam *Aetnam* 197, 387, 401 et *Europen* 89 reperimus.

Valerius Flaccus plerisque locis Graecorum usum secutus est:

Arsinoen V 422 *Calpen* I 588 *Chalciopen* VI 479 *Circen* VII 120, 212 *Euryalen* V 612 *Eurynomen* II 136 *Harpen* VI 375 *Hecaten* VII 353 *Helicen* V 71 *Hellen* II 629, VII 57 *Idumen* I 12 *Iphinoen* II 162 *Lethen* II 483 *Lycen* VI 374 *Menippen* VI 377 *Myracen* VI 50 *Nemeen* III 511 *Peucen* VIII 256, 293 *Pholoen* III 66 *Psamathen*[1]) I 364 *Rhodopen* I 664 *Thoen* VI 375 *Tisiphonen* IV 394, 410 *harpen* IV 390, VII 364.

---

[1]) Langenus ed. p. 69 adnot.: „*Psamathen* dixit Valerius pro *Psamathunte*, quod est oppidum Laconiae: Plin. n. hist. IV 16; Paus. III 25, 4; contra *Psamathe* a Plinio fons Argolidis nominatur IV 17, de quo Valerium cogitare non potuisse apparet".

Quo ab usu discessit in his accusativis:

Aetnam II 29 *Europam* IV 727, VIII 396 *Hesionam* IV 164.

Eandem fere viam ingressus est Silius Italicus in Punicis, quae Graecas formas continent has multas:

Asbyten II 197, 209, 258 *Calpen* I 141, 644, III 102, V 395, VII 434, IX 320 *Cyanen* XIV 586 *Cybelen* VIII 363 (FV *-em*) *Cyrenen* VIII 57, XII 369 (LFO *-em*) *Dionen* VII 87 (S *dionon*) *Iden* VII 465 (*idem* S unde *Iden* Heinsius *idam* vulgo) *Idymen* III 600 *Mycenen* I 27 *Phoeben* XV 563, XVI 35 *Pyrenen* I 487, 669, III 425, 438, 439, IV 61 *Samen* XV 303 *Thylen* III 597 *Tisiphonen* II 530 *Zanclen* I 662.

Inter primariam et mutatam formam fluctuat in hoc quoque opere accusativus *Libyae* nominis: *Libyen* I 623, III 324, 682, sed *Libyam* III 315, 563 (*-am* FLOV *-en* vulgo), VII 432, VIII 673, XI 2, XII 335, XIII 513, XIV 74, XVI 27, 153, 160, 596, 639.

Latine terminatum est praeterea unum solum nomen proprium: *Spartam* IV 365.

Qui exitus solus apparet in Iliade Latina: *Helenam* 317, 343 *Hecubam* 546.

In eodem usu Statius habuit pauca nomina, cum plurimorum accusativum Graece terminaverit. Invenimus enim has Graecas formas in Silvis:

Inarimen II 2, 76 *Lethen* II 7, 101 *Parthenopen* II 2, 84, III 1, 93 *Phoeben* I 3, 76, V 3, 22 *Pholoen* II 3, 10 *Thylen* V 2, 55;

has in Thebaide:

Alcimeden V 236 *Antigonen* VIII 249, XI 104, XII 397, 678 *Arenen* IV 81 *Autonoen* IV 562 *Chrysen* VIII 197 *Deipylen* II 204 *Dionen* I 288 (*-em* PBMQb *-n$\overset{a}{e}$m* f^{r} *dianam* ex *-onem* L$^{\sigma}$) *Dircen* II 322, III 663, IV 374 *Eurydicen* V 632 *Gorgen* V 216 *Hecaten* IV 515 *Hypsipylen* IV 721, 741, V 694, VI 178 *Iden* IV 104 *Inarimen* X 917 *Ismenen* VIII 555, 642 *Lethen* IV 622, VIII 97 *Libyen* IV 737 *Nemeen* IV 646, 664, 688, VI 88, 368, 385 *Nioben* IX 682 *Oeten* I 119 *Phoeben* VII 470, IX 424 *Pholoen* VI 461 *Rhodopen* II 81, IV 655, VIII 408 *Semelen* IV 564, VIII 234 *Sparten* I 262 *Syenen* IV 738 *Theben* IV 676 *Thoen* VI 462 *Thracen* V 84, VII 180;

has in Achilleide:

Aetnen I 490 *Dionen* II 54 *palen* II 155.

Accedit *Europen* II 74, cuius nominis Latinus accusativus *Europam* in primi libri versibus 82, 410, 730 exstat.

Praeterea praeter appellativum *nympham* receperunt Latinam terminationem accusativi in Silvis: *Libyam* IV 5, 48; in Thebaide: *Aetnam* X 917, XI 8 *Lernam* II 433, X 890, XII 160.

Praecipue monendum est de huius nominis accusativo *Lernan* XI 434, quo loco poeta terminationis *a* vocalem corripuit [1]).

Martialis quoque praeter appellativa *coptam dactyliothecam thecam tisanam* (*πτισάνη*) Latine exire voluit haec tantum nomina: *Idam* IX 103, 7 *Hyblam* IX 11, 3 *Lyciscam* IV 17, 1 *Telesinam* II 49, 1.

Omnibus ceteris tribuit Graecam flexionem:

Aeglen XI 81, 1 *Andromachen* III 76, 4, V 53, 2 *Calliopen* IX 86, 6 *Europen* epigr. XVI b 1, II 14, 3 *Eurydicen* XIV 165, 1 *Hecaben* III 32, 3 (*hecubē* Gς *hecubam* QωSchn.)[2]), III 76, 4 (*hėcaben* B *haec aben* EAF *hecuben* QXCSchn.[2] *hecubē* G *ecuben* P *hecubam* TOSchn.[1]) *Helicen* IV 3, 6 *Hesionen* epigr. XXVII 10 *Nioben* III 32, 3 (*-en* Qω *-am* PXABFGSchn.[2])[2]), V 53, 2 *Paphien* VII 74, 4 *Pasiphaen* epigr. V 1 *Peucen* VII 84, 3 *Semelen* V 72, 2 *Spatalen* II 52, 2 *Syenen* I 86, 7 *Thymelen* I 4, 5.

Neque aliam viam ingressus est Iuvenalis, qui Latinum exitum adhibuit horum nominum: *Prochytam* III 5 *cryptam* V 106, in ceteris autem graecissavit:

Agauen VII 87 (*-em* P) *Andromachen* VI 503 *Chionen* III 136 *Europen* VIII 34 *Phialen* X 238 *Terpsichoren* VII 35 *hecatomben* XII 101.

4. Transeo ad eorum nominum genus, quorum nominativus *-is* terminationem praebet[3]). Horum nominum accusativus saepissime *-im* vel *-in* terminatione formatur, quod non mirum est

[1]) Cf. cap. II § 6, 6.

[2]) In versu III 32, 3 Lindsay in textum recepit *Hecubam* et *Niobam* adnotans: *nioben* B[A]. De Graeca autem terminatione servanda cf. cap. II § 6, 6.

[3]) Sniehotta l. c. p. 29 sqq. — Bednara l. c. p. 358 (46). — Koene l. c. p. 71. — Neue I[3] p. 477 sqq. et 316 sqq. — Leimeister l. c. p. 34 sq.

in iis nominibus, quorum accusativus Graecus *-ιν* syllaba finitur. Sed eandem declinandi rationem sequuntur interdum etiam ea, quorum genetivus Graecus in *-ιδος*, accusativus in *-ιδα* exit. Sane quidem non desunt loci, quibus Graeca terminatio *-ida* servatur aut cum Latina *-idem* mutatur. Omnes has formas hoc capite tractemus.

Et singulos iam poetas perscrutati videmus Grattium Graece flexisse haec nomina:

Adonin 66 *tigrin* 165,

Manilium:

Phasin V 45 -- *Aulida* IV 638 *Colchida* III 9, IV 517 *Persida* V 49.

Idem autem Latine finivit:

Charybdim IV 605 *Tanaim* IV 677 *tigrim* V 708.

In Priapeis una huius generis forma legitur:

Schoeneida XVI 1.

Germanicus ubique adhibuit Graecam terminationem

vel *-in*: *pristin* 360, 361 (B^a *-im*), 381 (B^a *-ī*),

vel *-ida*: *Atlantida* 322 *Cepheida* 240, 704 *Cynosurida* 189 *Perseida* 462.

Phaedrus autem praetulit Latinorum morem:

Zeuxidem V prol. 7.

Senecae tragoediarum consentiunt codices formam per *-in* finitam servantes his locis:

Tro. 9: *Tanain* Tro. 11: *Tigrin* Tro. 849: *Pharin* Phoen. 129: *Elin* Med. 451: *Phasin* Ag. 690: *Attin.*

In Agamemnonis versu 679 Bothius contra codices, qui *tanaim* tradunt, Troadum versum 9 secutus *Tanain* scripsit.

Alteram Graecam terminationem dedit Seneca his nominibus:

Aulida (Ag. 567) *Elida* (Tro. 850) *Ismenida* (Oed. 234) *Lyrnesida* (Ag. 186) *Salamina* (Tro. 844).

Quo exitu affecit etiam accusativum, qui in Apocolocyntosi invenitur: *Persida* 12, 3, 16.

In Octaviae tragoediae versu 707 legimus: *Thetin.*

Columella scripsit Graece: *Tartesida* X 192.

Persius Latine: *Eupolidem* I 124.

Lucanus admisit Graecam terminationem *-in* in accusativis: *Aulin* V 236 ($M_1 Z_1$ *olim*) *Rhascypolin* V 55 (P *-yn*) *Tanain*

IX 751, cui formae Latina obstat: *Tanaim* VIII 319, qua ratione praeterea terminavit:

Charybdim IV 461 *Isim* VIII 831, IX 158 *Osirim* VIII 833, IX 159 *Syrtim* I 686, VIII 184 (G *-is* Z *-i*), IX 373, 431 *Thybrim* II 421 *Tigrim* III 261, VII 433, VIII 214.

-a syllaba declinavit haec nomina:

Aegida VII 149 *Berenicida* IX 524 *Boebeida* VII 176 *Chalcida* II 710 *Cyllenida* IX 662, 676 *Dorida* IX 36 *Maeotida* V 441, VIII 318 ($M_1 Z_1$ *-es*) *Ptolomaida* X 69 *Salamina* III 183 *Tritonida*[1]) IX 354 *aspida* IX 707.

Petronius horum nominum de quibus agimus accusativo, qui nisi in prosaico contextu non invenitur, omnes, quas sermo vel poeticus vel vulgaris admittebat, terminationes dedit. Legimus enim in eius satura

et: *apodixin* 132, 10, $_4$ *halosin* 89, 1, $_2$ *paralysin* 129, 6, $_2$, 130, 6, $_1$;

et: *genesim* 39, 8, $_4$ *peristasim* 48, 4, $_5$ *praxim* 39, 4, $_4$;

et: *Dorida* 126, 18, $_2$ *Naida* 83, 3, $_2$;

et: *Chrysidem* 131, 1, $_4$ *paropsidem* 34, 2, $_4$.

Calpurnius Graeco utroque modo declinavit:

Alexin IV 75 et *Phyllida* III 34, 40, 91, 93, VI 74 *acanthida* VI 7, 76;

neque aliter Aetnae auctor:

Neapolin 431 et *Minoida* 22.

Valerius Flaccus terminationes *-in* et *-im* varie adhibuit in accusativo duorum nominum formando, nam I 43 et 87 *Phasim* et IV 77 *Irim*, sed II 379 et VII 220 *Phasin* et VII 186 *Irin* scripsit[2]).

Ceterum praetulit Graecorum usum, quippe quem sequantur:

Amastrin VI 554 *Anausin* VI 272 *Carambin*[3]) IV 599 VIII 214 *Datin* VI 65 *Hypanin*[4]) VI 147, 252 *Maeotin* VI 154

---

[1]) Serv. in Verg. Aen. II 171 (vol. I p. 249 ed. Thilo).

[2]) Cf. cap. II § 7, 2.

[3]) Langenus ed. p. 325 adnot.: „*Carambis* urbs et promonturium Paphlagoniae Plin. nat. hist. VI 6".

[4]) Langenus ed. p. 416 adnot.: „*Hypanis* hoc loco commemoratus non est fluvius Sarmatiae Europaeae, quem hodie *Bug* nominamus, sed ex Caucaso ortus in paludem Maeotidem influit, Strab. IX 2, 9, qui hodie *Kuban* dicitur".

Memphin IV 407 *Protin* III 158 *Tanain* I 538 (Langenus *Tanai*) *tigrin* VI 704.

Latine autem duo tantum nomina sunt flexa: *Abarim* III 152 et *Thamyrim* III 128.

Alteram Graecam terminationem dedit his:

Aeetida VI 481, VII 445, VIII 233 *Colchida* I 52, V 505, VI 468, VII 153, 190, 575, VIII 2 *Dodonida* I 302 *Titanida* VII 212 *aegida* V 287, VI 396.

In Sili autem Italici Punicis praeter unum accusativum, qui in *-em* excurrit: *Baetem* XIII 676 (*-em* LOV *-ym* F) plures sunt, qui in *-im* exeunt:

Abarim X 134 *Alabim* XIV 227, XV 467 *Caralim* IX 380 *Hipparim* XIV 230 *Irim* IX 471, 529, 551 *Syrtim* VII 570, XVI 621, XVII 247 (*-em* LFO) *Thybrim* III 511, V 162, VIII 452, X 358, 497, XII 540, XIII 828, XVI 679 *Tingim* III 258 (*-im* V *-un* L *-um* F *-ū* O *-in* edd.) *tigrim* V 148.

Hic usus flectendi certat cum ratione graecissandi in uno nomine, nam XIV 256 *Charybdim*, sed II 308 *Charybdin* exstat.

Cetera, quae inveniuntur, nomina semper servaverunt Graecum exitum, vel *-in*:

Chromin I 439 *Daphnin* XIV 466, 470 *Narin* VII 598 *Thulin* VII 602 (FOV *-im*) *Thurin* VII 598;

vel *-a*: *Cyllenida* XVI 500 *Dodonida* III 680 (*-dam* LFV) *Eumenida* II 544 *Nereida* XIV 222 *Sidonida* VIII 193.

In Iliade Latina quattuor discrepantes accusativi formae nobis occurrunt:

Thetin 855 — *Irim* 223 — *Chryseida* 23, 64 *Dorida* 874 — *Pieridem* 1067 (O *-um* corr. Baehrens).

Permagnus est numerus accusativorum talium nominum in Stati operibus. Qui in Silvis ea nomina quorum casus obliquos eodem numero syllabarum esse voluit ac nominativum, partim Latine flexit:

Baetim II 7, 35 *Phasim* I 6, 55 *Thybrim* I 5, 24, II 7, 45,

partim Graece:

Elin II 6, 47 *Tanain* I 6, 55 (m *-im*) *Thetin* I 2, 216 *synthesin* IV 9, 44,

ea autem, quorum accusativum syllaba auxit, semper Graece declinavit:

Chalcida I 3, 31 *Dorida* II 2, 106 *Gnosida* I 2, 133 *Mareotida* III 2, 103 *Nereida* I 2, 129 *Nesida* III 1, 148 *Phylaceida* V 3, 273 *Thaumantida* V 1, 107 *Tithonida* V 1, 34 *nebrida* I 2, 226 *trieterida* II 6, 72.

In Thebaide vero poeta omnibus locis Graeca flexione usus *-in* terminationem adhibuit in his nominibus:

Calain V 408 *Chromin* IV 597, VI 464, VII 714, VIII 476, IX 252 *Clonin* VII 369, 712 *Hyampolin* VII 345 *Hypanin* VIII 491 *Iphin* VIII 445 *Irin* VI 461 (*-im* BMLQCbr), X 81 *Lachesin* III 642 (P *-im*) *Osirin* I 718 (*-in* ω *-im* PSrμ)[1] *Phasin* V 458 *Sinin* XII 576 *Sybarin* VII 641 *Tanain* XII 578 *Thamyrin* X 314 (*-rin* P *-rim* [*-rum* BLμ *-arim* Kν² frg.Werd.] ω) *tigrin* VI 722.

Neque minus saepe exit accusativus in *-a*:

Adrastida XII 678 *Aeneida* XII 816 *Aulida* VII 332 *Daulida* VII 344 *Dorida* IX 371 *Gnosida* XII 676 *Latoida* IX 834 *Maeotida* XII 526 *Marathonida* XII 730 *Nereida* IX 401 *Phocida* II 64, VII 344 *Psophida* IV 296 *Thoantida* V 700 *trieterida* IX 480 *delphina* IX 244, 331.

Idem valet de Achilleide quae continet haec huius generis nomina Graece declinata:

Thetin I 685 (PC *-im*), 874 (PQC *-im*), 941 (PQC *-im*), II 40; *Nereida* I 158 *Thaumantida* I 220 *nebrida* I 609 *trieterida* I 595.

Martialis quoque Latinam terminationem, quam tantum his dedit nominibus: *Sagarim* VIII 58, 2 *Tigrim* XII 36, 12 *Parim* XII 52, 10, fere aspernatus Graecorum more *-in* usurpavit his locis:

Alcestin IV 75, 6 *Alexin* VII 29, 7, VIII 56, 12; 63, 1 *Baetin* IX 61, 2 *Bilbilin* I 49, 3, IV 55, 11, X 104, 6 *Peterin* IV 55, 18 (*-in* EXAB *-im* C *-em* 𝔓PFQ *-on* Scr. *-um* Schn.) *Sarapin* IX 29, 6 *Thetin* V 1, 2 *capparin* III 77, 5 *epaphaeresin* VIII 52, 9 *phrenesin* IV 80, 1 *tropin* XII 82, 11.

In *-a* desinere voluit haec nomina:

Byblida X 35, 7 *Colchida* V 53, 1 *Ianthida* VI 21, 1 *Laida* XI 104, 22 *Naida* VII 15, 2 *Permessida* VIII 70, 3 *Phyllida*

[1]) **Kohlmannus in textum recepit *Osirim*, quod quibus causis commotus mutaverim leges cap. II § 7, 2.**

X 81, 1 *Thaida* III 8, 1 (ter); 11, 3; 6, IV 84, 2, VI 93, 12, XI 101, 1 *Tritonida* IV 1, 5 *aegida* XIV 179, 2 *endromida* IV 19, 4 (*-a* FPXAGSchn.[1] *-am* QTBCESchn.[2]), XIV 126, 2 *pelorida* X 37, 9.

Apud Iuvenalem contra Latinae formae praevalent; scripsit enim

et *Alcestim* VI 653 *Charybdim* V 102 *orexim* VI 428

et *Paridem* VI 87 *endromidem* III 103.

Graece sunt formata:

ibin XV 3 et *Dorida* III 94 *Thaida* III 93 *Titanida* VIII 132.

5. Accusativus, qui apud Graecos exit in *-νν*, a poetis semper est servatus[1]). Nusquam fere de his formis a poetis Latinis aetatis quam nos respicimus adhibitis est dubitatio. Graviores dissensiones nisi in Senecae tragoediarum codicibus nobis non occurrunt. Tamen non solum iis locis, quibus alii codices exitum *-yn*, alii *-ym* praebent, sed etiam iis (H.O. 1033 et 1063) Graecorum usum tuendum esse puto, quibus omnes *chelym* praebentes consentiunt, quam formam primus Gronovius correxit in *chelyn*. Nam cum satis magno numero locorum, quibus integra est terminatio *-yn*, commoveor, tum *-yn* et *-ym* syllabas inter se simillimas facillime a scribis confundi potuisse arbitratus Graecam rationem usurpandam esse pro certo habeo propterea, quod nullum invenitur nomen Latinum, cuius accusativus per *-ym* terminatur, quod exemplum Graeca nomina sequantur.

Sunt igitur hi accusativi Graeca terminatione *-yn* declinati:

Atyn (Stat. Theb. VIII 633) *Capyn* (Sil. It. IV 385, XIII 321) *Cotyn* (Luc. V 54) *Erinyn* (Senec. Oed. 644: E *erynim* A *herines* Lucan. VI 747: $M_1 Z_1$ *-en* z *-ę*) *Halyn* (Val. Flacc. III 157 Stat. Theb. IX 152) *Ityn* (Senec. Ag. 672 Val. Flacc. III 189 Stat. Theb. VII 642 Mart. V 67, 6, X 51, 4) *Libyn* (Stat. Theb. VI 894 Mart. VI 77, 8, IX 101, 4) *Othryn* (Val. Flacc. I 24 Stat. Theb. III 319, IV 655) *Tethyn* (Colum. X 201: MR *-im* Lucan. II 588, IV 73, VI 479, X 204 Sil. It. III 411,

[1]) Sniehotta l. c. p. 30 sq. — Bednara l. c. p. 358 (46). — Neue I[3] p. 480. — Leimeister l. c. p. 40.

XVII 243 Mart. X 44, 2) *Thelyn* (Mart. X 52, 1) *Tiphyn* (Manil. V 45 Senec. Med. 3 Val. Flacc. II 390, III 2, V 15, 25) *Zelyn* (Val. Flacc. III 152) — *chelyn* (Senec. Tro. 321: E *caelym* Oed. 611: A *-ym* H.O. 1033, 1063 Calpurn. IV 66: n *-in* g *-im* Laus Pis. 166: P *-im,* 242: P *-im* S *-in* Val. Flacc. I 139 Stat. Silv. 13 locis; Theb. quater; Ach. I 186).

6. Accusativi nominum neutrius generis, qui in *-ος* exeunt, nominativorum rationem sequuntur. Semper enim *pelagus,* quod saepissime in omnibus fere operibus, quae tractavimus, invenitur, terminationis vocalem mutavit. Attamen cetera nomina semper servaverunt Graecam formam:

Argos (Senec. Phoen. 283 Ag. 353 Thy. 122, 298 Lucan. VI 356, VII 452, X 60 Stat. Theb. XII 82) — *chaos* (Manil. II 13 Aetn. 139; saepius in Senecae Lucani Sili Italici Stati operibus) *epos* (Mart. XII 94, 1) *melos* (Phaedr. IV 22, 2 Laus Pis. 176).

Crebriores sunt accusativi eorum nominum neutrorum, quorum nominativus per *-a* finitur[1]). Huius generis legimus has formas Graecas:

Phasma (Iuv. VIII 186) *Zeugma* (Luc. VIII 237) *Zeuma* (Stat. Silv. III 2, 137) — *acroama* (Petr. 78, 5, $_2$ in pr. or.) *celeuma* (Mart. III 67, 4) *ceroma* (Mart. IV 19, 5 Iuv. VI 246) *diadema* (Senec. Thy. 599 Mart. VIII 55, 8 Iuv. VIII 259, XIII 105) *epigramma* (Petr. 103, 4, $_2$, 115, 20, $_2$ pr. Mart. IV 81, 1 VI 65, 1) *enthymema* (Iuv. VI 450) *poema* (Petr. 115, 3, $_1$, 118, 2, $_3$ pr.) *pegma* (Iuv. IV 122) *poppysma* (Iuv. VI 584) *schema* (Petr. 126, 8, $_3$ pr.) *stemma* (Mart. V 35, 4) *syrma* (Mart. XII 94, 4 Iuv. VIII 229) *toreuma* (Mart. III 35, 1, IV 39, 4, X 87, 16, XIV 102, 2)

et indeclinabilia:

alpha (Mart. V 26, 1 Iuv. XIV 209) *beta* (Mart. V 26, 4 Iuv. XIV 209) *theta* (Pers. IV 13 Mart. VII 37, 2) *iota* (Mart. II 93, 4) *sigma* (Mart. XIV 87, 1).

Ab hoc usu graecissante solus Petronius digressus accusativum *stigmam* formavit locis sermonis pedestris 45, 9, $_4$ et 69, 2, $_1$, quibus primam Latinam admiscuit declinationem genere

[1]) Leimeister l. c. p. 39.

mutato[1]), quamquam aliis locis prosaicis aliorum nominum et genus et terminationem Graecam retinuit.

Addendae sunt nonnullae aliae accusativi formae neutrius generis:

nectar (Phaedr. III 16, 13 Pers. prol. 14 Calpurn. IV 151 Stat. Silv. III 4, 15, IV 6, 54 Mart. III 82, 24, IX 36, 12, XII 48, 13, XIII 104, 2) — *hippomanes* (Iuv. VI 133) — *artocreas* (Pers. VI 50) — *senape* (Petron. 66, 7, s in pros. orat.) quod Graece est σίναπι.

7. Iam nomina, quorum nominativus Graecus est -ως, contemplati non mirabimur accusativum in -*on* finiri, cum haec terminatio Graecis quoque praeter -ω in usu fuerit[2]). Quo modo flexos hos invenimus accusativos:

Aegoceron apud Lucanum X 213, *Athon* in Senecae Hercule Oetaeo 1730, quo loco scriptura codicis E *athom* error est nullius momenti, apud Lucanum II 677, apud Valerium Flaccum I 664, II 76, in Stati Silvis IV 3, 56.

Omnes hae formae aut in fine versus aut ante vocem a consonanti incipientem positae sunt. Uno autem loco, quo vocalis sequitur, terminationis *o* vocalis est correpta. Qui locus est Valeri Flacci versus I 664:

aut Athon aut Rhodopen maestae nemora ardua Pisae,

cuius versus principium idem est atque versus Vergili Georgicorum I 332:

aut Athon aut Rhodopen aut alta Ceraunia telo,

quo nisus Sniehotta a Theocriti versu VII 77:

Ἢ Ἄθω ἢ Ῥοδόπαν ἢ Καύκασον ἐσχατόωντα

profectus de *Athon* accusativi correpta *o* vocali copiosius disseruit.

Denique oritur quaestio, quonam modo formatus sit accusativus eorum nominum feminini generis, quorum nominativus

---

[1]) De hoc vulgari genere dicendi cf. W. Meyer, Die Schicksale des lat. Neutrums im Romanischen, Halle 1883. — E. Appel, De genere neutro intereunte in lingua Latina, Diss. Erlangen 1883. — Konietzny, De idiotismis syntacticis in titulis latinis urbanis (C. I. L. vol. VI) conspicuis, Archiv für lat. Lexikographie XV, p. 297—351.

[2]) Sniehotta l. c. p. 33 sqq. — Neue I[3] p. 210, 493, 526.

Graecus terminatur per -ω [1]). Perraro poetae accusativos huius generis adhibuerunt eosque semper Graece terminaverunt vel per -ō communem usum secuti vel per -ōn Aeolica ratione usi. Nam ego quidem non puto Ionicam formam *Cotytun*, quam Friedlaender in Iuvenalis alterius saturae versu 92 defendit [2]), recte esse emendatam, cum a codicum scriptura abhorreat (*cotyton* P *cotytto* vulgo). Immo haec fulciunt opinionem Buecheleri, qui *Cotyton* praetulit [3]), vel Iahni et Hermanni, qui *Cotytto* receperunt. Haec terminatio fuisse videtur usitatior, nam invenitur his 8 locis:

Argo (Sil. It. XII 399 Stat. Theb. V 615 [4])) *Clotho* (Sil. It. V 404) *Dido* (Sil. It. VIII 122, 231) *Ino* (Stat. Theb. IV 562) *Manto* (Stat. Theb. VII 758, X 679);

alteram autem bis tantum legimus in Priapeorum carminis LXVIII versu 23: *Calypson* et in Stati Silvarum IV 3, 63: *echon*.

De forma *Gorgona*, quae apud Lucanum (VI 746) Statium (Theb. I 544) Silium Italicum (IX 462) exstat, infra (p. 110) videbimus;

item de accusativo eorum nominum, quorum nominativus Graecus in -ης, genetivus in -ους desinit.

8. Restat ille accusativus singularis, qui Graece in -α, Latine in *-em* exit [5]). Huius generis eos, quorum nominativus in *-is* desinit, iam tractavi in quarto huius paragraphi capite, quo semper fere demonstravi Graecorum usum esse servatum. Ceterorum quoque nominum Graecam formam poetae adeo adamaverunt, ut rarissime eam ori Latino adaequaverint.

Itaque Grattius dixit Graece: *aethera* 64, 138 et *metagonta* 264;

Manilius: *Acheronta* I 93 *Arctophylaca* I 565 *Hectora* III 8 *Helicona* I 4 *Oriona* I 387 *Pana* II 39 *Typhona* IV 581, 801 — *Nerea* V 434 *Persea* I 697, V 568 — *elephanta* V 706 *aera aethera*.

---

[1]) Sniehotta l. c. p. 31. — Neue I³ p. 481 sq. — Leimeister l. c. p. 32.

[2]) Cf. adnot. in edit. p. 175.

[3]) Mus. rhen. XLIII p. 295.

[4]) Klotzius adnotavit: „*argo* S Gronovius *argos* Pω *argon* S (usu Ovidiano)“, Kohlmannus: „*argos* codd.; in G rec. m. finalem litteram addidisse videtur, nam schol. explicat: ‚navis Iasonis‘. *Argo* corr. Gronovius“.

[5]) Sniehotta l. c. p. 31 sqq. — Bednara l. c. p. 358 (46). — Koene l. c. p. 33 et 119. — Neue I³ p. 458 sqq.

Sed hic poeta nonnullos accusativos Latine quoque flexit: et *Bellerophontem* V 97 *Phaethontem* I 736 *draconem* III 11, et alteram declinationem secutus *delphinum* V 445.

In Priapeis vero Latinam terminationem semper praelatam videmus:

Atlantiadem LXVIII 23 *Nestorem* LXXVI 4 *spadonem* XV 3.

Germanicus contra ubique usus est Graeca forma et in Phaenomenis: *Oriona* 504, 645 *Phaethonta* 363 — *Nerea* 409 *Persea* 708 — *aera* 569 *aethera* 254;

et in fragmentis: *Pliada* IV 9 *aera* III 10.

Sed Phaedrus unam formam, quam adhibuit, Latine terminavit: *Myronem* V prol. 7.

Haec Latina terminatio occurrit nobis in Senecae tragoediis his locis:

Aiacem (Ag. 537, 538) *Creontem* (Med. 415) *Idmonem* (Med. 652) *Palladem* (Ag. 546) *Pelopem* (Thy. 242).

Accusativus nominis *Hectoris* duplici modo terminatur; sexies enim *Hectorem* (Tro. 189, 459, 602, 684, 907 Ag. 548), ter *Hectora* (Tro. 98, 116, 161) invenimus.

Cetera omnia huius generis nomina Graecam accusativi formam servaverunt:

Calchedona (Ag. 566) *Calydona* (Tro. 845) *Ceyca* (Ag. 681 H.O. 197) *Cyclada* (Ag. 387) *Phaethonta* (Phaed. 1092 H.O. 854) *Sirena* (Med. 360) *Sphinga* (Oed. 92) *Styga* (duodecies) *Titana* (Med. 410 H.O. 144, 891, 1212) *Troada* (Tro. 95) — *Atrea* (Thy. 486) *Nerea* (Oed. 508) *Thesea* (Phaed. 148) — *aera* (H.O. 1045) *aethera* (Phaed. 524 H.O. 1121) *giganta* (H.O. 1302) *lampada* (Ag. 363).

In epigrammatis Senecae Graecam formam solam legimus: *Hectora* XXV 43, XXXIX 13 et *Nerea* LXXI 3.

Idem valet de Octavia tragoedia: *Typhona* 238.

Columellae autem decimus liber bis praebet Latinorum usum: *Cithaeronem* 221 *panacem* 103, semel tantum Graecorum: *aethera* 215.

Contrariam rationem iniit Persius, qui scripsit *lampada* VI 61 et in versu I 94 alium poetam imitatus *Nerea*[1]), sed *lyncem* I 101.

---

[1]) Buecheler in ed. 3 p. 10 adnotavit: „Hi versus exempli causa

Lucanus Latina terminatione affecit unum nomen: *chalybem* IV 223 (P_1 *-um*), VI 398, 547, VII 518, omnium ceterorum huius generis nominum accusativum Graece declinavit:

Atlanta I 555, IX 655 *Babylona* VIII 225, 300 *Calydona* VI 366 *Chalcedona* IX 959 *Colophona* VIII 245 *Dipsunta* VIII 255 *Hammona* IX 586 *Leucada* V 479 *Phycunta* IX 40 *Platona* X 181 (*-a* MU *-em* VZGCm) *Pythona* V 80 *Sasona* V 650 *Strymona* V 711 *Styga* VII 785 *Titana* I 90, IV 56, VI 743, IX 654 — *Achillea* X 523 *Acorea* X 175 *Persea* IX 660, 667 *Thesea* II 612 — *adamanta aera aethera iapyga lampada.*

Petronius accusativum in *-a* exeuntem non solum in versibus adhibuit:

aethera 122, $_{186}$ et *lampada* 124, $_{277}$,

sed etiam in prosa oratione:

Coraca 140, 9, $_{2}$ *Crotona* 116, 2, $_{2}$, 124, 2, $_{2}$ *Iliada* 29, 9, $_{2}$ *Platona* 2, 5, $_{2}$ *aera* 127, 5, $_{3}$ *daphnona* 126, 12, $_{3}$ *platanona* 126, 12, $_{1}$, 131, 1, $_{2}$.

Eodem modo terminavit 21 locis accusativum *Gitona*, quem duobus aliis locis Latinorum morem sequi voluit: *Gitonem* 98, 2, $_{4}$, 129, 8, $_{2}$.

Praeterea Latine declinavit:

Agamemnonem 69, 9, $_{2}$ *Apelletem* 64, 4, $_{2}$ *Cappadocem* 63, 5, 69, 2, $_{2}$ *Heliconem* 118, 1, $_{3}$ *Scylacem* 64, 7, $_{2}$; 9, $_{2}$ *Thracem* 55, 4, $_{2}$ *Trimalchionem* 31, 8, $_{3}$, 72, 4, $_{3}$. Eodem modo dixit *Phileronem* 46, 8, $_{2}$ et flexit nominativi *Niceros* accusativum, quem stirpis Graeco exitu *t* vulgaris sermonis consuetudine cum *n* mutato 63, 1, $_{3}$ *Niceronem*, sed Graecorum usu servato 61, 1, $_{2}$ *Nicerotem* fecit [1]).

Calpurnius semper Graecam rationem praetulit:

Alcona VI 18 *aedona* VI 8 *aera* II 11 *aethera* IV 82.

Neque aliam ingressus est viam duorum nominum appellativorum formis *chlamydem* II 409, V 512 et *draconem* II 382,

---

ponuntur, non sunt autem Persii, sed poetae nescio cuius graecissantis, qui cum mare describeret, ita dixit delphin in extremitate versuum".

[1]) Fr. Buecheler in Petroni editionis maioris (Berolini MDCCCLXII) praef. p. IX de hac re inter alia dixit: „itaque Phileronem et Niceronem condecet rusticos, Encolpion tamen qui urbane loquitur consentaneum est 61, 1 Nicerotem appellare". Cf. cap. II § 7, 5.

VII 550, VIII 71 exceptis Valerius Flaccus, qui hos Graecos accusativos recepit:

Actora I 146 *Aesona* I 72, 152, 734, V 48 *Alazona* VI 101 *Amphiona* III 479 *Athamanta* I 280 *Barisanta* VI 557 *Calydona* III 658 *Castora* IV 226, V 546, 549 *Deileonta* V 114 *Dipsanta* VI 192 *Gortyna* I 708 *Hypetaona* VI 637 *Iasona* II 402, 424, 591, VI 759, VII 341, 451, 515 *Nestora* I 145 *Pallada* I 126, III 489, IV 238, V 626 *Phaethonta* V 429 *Pliada* II 357 *Priona* VI 619 *Pyroenta* V 432 *Strymona* VI 193 *Styga* I 464, IV 401 *Telecoonta* III 140 *Thyiada* VIII 447 *Titana* IV 79 *Typhona* IV 516, VI 170 — *Dorcea* III 159 *Enipea* I 83 *Nerea* I 450 *Ocrea* VI 251 *Onchea* VI 256 *Pelea* I 257, 266 *Penthea* VII 301 *Persea* V 497 *Phinea* IV 500, 550 *Phocea* III 204 *Protea* II 318 *Riphea* VI 558 *Thesea* II 193, III 65 — *aethera cratera iapyga lampada thoraca.*

Silius Italicus horum nominum accusativos ita declinavit, ut non solum in uno nomine *Atlantis* flectendo sibi non constaret, cuius accusativum et *Atlanta* XVI 415, 659 et *Atlantem* VII 434, XVI 452 formavit, sed etiam plane in Latinorum usum reciperet nonnullos:

Gisgonem II 111 *Magonem* XI 484, 600 *Syphacem* XVII 76, 116 — *chalybem chlamydem phalangem,*

ceteris autem omnibus Graecum exitum tribueret:

Acheronta I 94, II 367, 536, XI 473 *Ariona* XI 448 *Calydona* XV 307 *Garamanta* XI 181 *Hammona* XV 688 *Helicona* XII 412, XIV 30 *Iapyga* I 51, III 707, VIII 37 *Lacona* IV 361 *Mimanta* XII 147 *Nasamona* VI 44 *Pallada* VII 86 *Pygmaliona* VIII 64 *Simoenta* XIII 72 *Strymona* XI 459 *Styga* VII 586, XII 120, XIV 247 *Therona* II 189 — *Protea* XI 447 *Typhoeā* VIII 540, quo loco *a* terminans et *e* antecedens vocales in unam syllabam sunt contractae — *aera aethera cratera giganta lampada tapeta thoraca.*

Similiter res se habet in Iliade Latina, quo in carmine Latinorum morem sequuntur accusativi *Acamantem* 538 et *Thoonem* 446,

Graecorum hi: *Abanta* 445 *Astyanacta* 566, 1059 *Crethona* 517 *Democoonta* 373 *Echemona* 447 *Gorgythiona* 672 *Hectora* 603, 1015 *Hypirona* 443 *Hypsenora* 434 *Iphidamanta* 750 *Pro-*

thoenora 786 *Sarpedona* 811 *Titana* 118 — *Nerea* 864, 871 *Phegea*[1]) 405 *Protea* 872 — *aera pana.*

Permagnus est numerus accusativorum eius generis, quod tractamus, in Stati operibus. Qui in Silvis semper praetulit Graecam terminationem, qua flexit haec nomina:

Acheronta II 6, 81 *Amphiona* III 2, 41 *Anthedona* III 2, 38 *Arcada* V 1, 107 *Astyanacta* V 3, 77 *Babylona* IV 1, 40; 6, 67 *Daca* IV 2, 66 *Hectora* II 7, 55, IV 4, 36 *Helicona* I 5, 1 *Pallada* III 1, 133; 138, V 3, 88 *Pana* I 3, 78, II 3, 8; 34 *Sophrona* V 3, 158 *Strymona* I 1, 21, V 1, 203 *Styga* III 1, 186; 3, 193 *Synnada* I 5, 41 *Telamona* V 2, 50 — *Eurysthea* III 1, 24 *Nerea* II 2, 75 *Orphea* V 3, 16 *Pelea* I 2, 215, II 1, 89 *Persea* II 1, 95 *Protea* I 2, 129 *Thesea* II 6, 26 — *aera aethera lampada maenada thoraca.*

In Thebaide, quamquam nonnullas Latinas formas evitare non potuit:

Erycem IX 128 *Pelopem* VI 122 *chlamydem* VI 570, X 139 *draconem* XII 16,

tamen pleraque nomina Graece exire voluit:

Abanta VIII 446 *Acamanta* III 173, VII 589 *Actora* X 250, 257 *Aethiona* X 734 *Amphiona* VIII 233, X 787 *Amphitryona* VIII 509 *Aona* VIII 475 *Aphesanta* III 461[2]) *Arcada* VI 561, VIII 48, IX 651, X 28, 350, 749, XII 805, 806, 807 *Ariona* XI 443 *Atlanta* VIII 315 *Braurona* XII 615 *Calydona* I 401, VII 204 *Cercyona* XII 577 *Cremetaona* VII 712 *Creonta* XII 174, 477, 753, 795 *Cydona* VI 465, IX 127, 759 *Dryanta* VIII 355, IX 842 *Dymanta* X 465 *Giganta* V 569 *Glisanta* VII 307, 308 *Haemona* VIII 480, XII 747 *Haliacmona* VII 739 *Hippomedonta* IX 145, 316, 340, 463, 561, X 748, XII 123, 764 *Hyperenora* VIII 493 *Hyperiona* III 35, VIII 47 *Iona* IX 252

---

[1]) Sic scripsit Higtius. Codices praebent: *pregeum* BE *praege≡um* L *pregneum* V *pregneumq;* F *≡egeumq;* N *egeumq;* M. Terminatio *-eum* nisi per dipthongum enuntiata a metro abhorret.

[2]) Klotzius adnotavit: „*aphesanta* ω *aphisanta* Pς *apesanta* Mueller", et provocavit ad U. de Wilamowitz, Herm. 33, 1908, p. 513. — Kohlmannus scripsit *Apesanta* et adnot.: „*aphesanta* PB *aphasanta* G *aphisanta* H. *Apesanta* cum Muellero scripsi coll. Plin. n. h. IV 17 Paus. II 15, 3 Pseudo-Plut. de fluv. 18, 9".

Ixiona II 473, IV 539, VIII 50 *Lacona* VI 812 *Lapithaona* VII 297 *Leucada* IV 807 *Maeona* III 404, IV 598 *Marathona* XII 581, 617 *Mimanta* IX 290 *Oriona* IX 461 *Palaemona* I 122, VII 421 *Pallada* II 252, VIII 517, 713, IX 837, XII 293 *Pana* III 480 *Periphanta* VII 641 *Peteona* VII 333 *Phaethonta* XII 413 *Phryga* I 709, X 170 *Pythona* I 563, IV 222 *Scirona* XII 577 *Sphinga* IV 376 *Strymona* V 188, VII 287 *Styga* IV 291, 479 *Telamona* II 473, V 379, IX 68 *Therona* IX 304 *Thiodamanta* VIII 279, 365, X 161, 325, 330, 454 *Thoanta* V 486 *Tiryntha* IV 147 *Titana* I 717, IV 283 *Tritona* V 372 — *Acontea* VII 603 *Aegea* XII 626 *Agrea* X 682 *Agyllea* VI 852, 910, X 249 *Anthea* X 544 *Capherea* VII 371 *Crethea* IX 307 *Daphnea* VIII 453 *Dorcea* IX 853 *Epopea* V 225 *Hoplea* IX 204, X 400, 465 *Hypsea* VII 310, 328, VIII 355 *Lycorea* VII 715 *Menesthea* VI 712 *Menoecea* VIII 597, X 620, XI 660, XII 60, 103, 696 *Nerea* VIII 230 *Orphea* V 435 *Pelea* V 379 *Penthea* III 170, IV 565 *Persea* III 464 *Phegea* II 609 IV 598 *Phocea* IX 127 *Phylea* VII 712 *Phyllea* III 173 *Terea* XII 480 *Thesea* I 476, V 432, IX 68, XII 163, 520, 594, 673, 737, 756, 795 *Tydea* I 42, 416, 489, 674, II 364, III 8, 395, 418, VI 827, VIII 499, 578, IX 60, 217, 513, X 377, XI 177, XII 763, 803 — *aera aethera cratera heroa lampada paeana thoraca.*

In Achilleide rursus accusativus Graecus solus habetur in usu:

Aegaeona I 209 *Bebryca* I 190 *Calchanta* I 493, 681 *Chirona* I 106 *Hectora* I 883 *Phryga* II 78 — *Caenea* I 264 (P *cenaea*) *Nerea* II 15 *Pelea* I 90, 921, II 56 *Penthea* I 840 *Protea* I 32 *Thesea* I 72, 157 — *aera heroa lampada.*

Martialis quoque longe plurimis locis Graecorum rationem secutus *-a* terminatione declinavit hos accusativos:

Amazona IX 101, 5 *Astyanacta* VIII 6, 16, XIV 212, 2 *Babylona* epigr. I 2, IX 75, 3 *Castora* I 70, 3, VII 57, 1, IX 51, 8, X 51, 2 *Elpenora* XI 82, 3 *Giganta* IX 50, 6 *Hectora* XIV 212, 1 *Helicona* VII 63, 12 *Langona* IX 50, 5 (*langona* 𝔓QFω *lagone* T *ligona* XAC *lingo* EVind.[3] *lingnona* G) *Mentora* XI 11, 5 *Nestora* X 24, 11 *Pallada* IX 3, 10 *Pana* I 69, 1, IX 61, 13 *Phaethonta* IV 47, 2 *Phryga* X 19, 9 *Styga* IV 60, 4, IX 65, 12 *Titana* VIII 21, 7 — *Eurysthea* IX 65, 7

Orphea epigr. XXI b 1, X 19, 6 *Promethea* XI 84, 9 *Thesea* VII 24, 4, X 11, 1 — *aera aethera daphnona dorcada elephanta lampada platanona rhinocerota sardonycha thoraca.*

Duorum nominum et Graecam et Latinam accusativi formam invenimus: *rhetora* II 64, 1 — *rhetorem* III 25, 3 et *trigona* IV 19, 5 — *trigonem* XII 82, 3.

Semper Latine declinatis usus est his:

Hermerotem X 83, 8 (*-en* O Schn.[2]) *Salonem* X 96, 3; 104, 6 *spadonem.*

Latinam primam declinationem sequi voluit *attagenam* II 37, 3[1]).

Neque maior est numerus accusativorum, quos Iuvenalis in Latinorum sermonem traduxit:

Aethiopem II 23, VIII 33 *Syphacem* VI 170 *Telamonem* XIV 214.

Pleraque nomina etiam hic Graecam terminationem retinere voluit:

Agamemnona XIV 286 *Atlanta* VIII 32, XIII 48 *Castora* XIV 260 *Corybanta* V 25 *Cyclada* VI 563 *Elpenora* XV 22 *Nestora* XII 128 *Phaeaca* XV 23 *Sirena* XIV 19 *Stentora* XIII 112 — *Pelea* XIV 214 *Promethea* VIII 133 *Terea* VII 12 *porthmea* III 266 — *aera castora chironomunta cratera rhetora thoraca.*

Quin etiam Gallici nominis *Allobrox* VII 214 pro adiectivo habiti accusativum fecit *Allobroga.*

Iam omnes enumeravi accusativi formas Graecorum more in *-a* exeuntes, quas apud poetas inveni, quos percurrere proposui. Una attuli accusativos nominum, quorum nominativus est *-ĕŭs*[2]), sed seiunxi a ceteris et in fine congessi. Horum Graecam terminationem *-ea* semper servatam vidimus ubique duas syllabas effecisse, uno Sili Italici Punicorum versu VIII 540 excepto, cuius in fine positum *Typhoĕă* tribus syllabis est enuntiandum.

9. Accusativi quoque pluralis horum nominum, quae Lati-

---

[1]) Saalfeld l. c. p. 134. — Neue I[3] p. 496. — Georges l. c. p. 79.

[2]) Neue I[3] p. 470 sqq. — Bednara l. c. p. 357 (45). — Leimeister l. c. p. 27 sq.

nam tertiam declinationem sequuntur, saepissime Graecam terminationem *-ας* servaverunt[1]).

Ita Grattius dixit *Seras* 159 et *dorcas* 200.

Eadem terminatione Manilius declinavit:

Arabas IV 654, 754 (A *-es*) *Pleiadas* V 142, 711 *Titanas* II 15 *elephantas* IV 667, 740 *heroas* V 483 *lampadas* I 846.

Sed idem Latinum exitum *-es* vel mutatum *-is* dedit his nominibus: *Cyclades* IV 637 *Dracones* V 716 *gigantes* I 421, quibus accedunt formae *Syrtis* IV 600 *tigris* IV 235, quae a Graecis terminantur per *-εις*.

Priapea continent Graecas formas *Naidas* et *Dryadas* in hexametro XXXIII 1, Latinam *Arcades* in senario XXXVI 5.

Germanicus semper Graecam terminationem adhibuit et in Phaenomenis: *Phoenicas* 41 et *Nereidas* 705,

et in epigrammatis: *Myrmidonas* I 7.

Item Phaedrus: *tribadas* IV 15, 1.

Seneca in tragoediis uno loco (Ag. 480), ut metro satisfaceret, Latino exitu usus est:

Libycusque harenas Auster ac Syrtes agit.

Graecorum more declinata invenimus ibidem haec nomina:

Aethiopas (H.f. 38) *Arabas* (Oed. 117) *Arcadas* (Phaed. 786) *Gigantas* (Oed. 91) *Hyadas* (Med. 312 Thy. 853) *Panas* (Phaed. 784) *Phrygas* (Tro. 277, 434 Ag. 206) *Stymphalidas* (H.f. 244 H.O. 1237) *Symplegadas* (Med. 456) *Titanas* (H.f. 79 Ag. 340 H.O. 1309) *Troas* (Tro. 791 Ag. 526, 619) — *tripodas* (Med. 86, 785).

Praeterea idem poeta Graece declinavit in epigrammatis: *Geryonas* XXXVIII 2 et *pyramidas* XXVII 3; 4, XXVIII 4,

et in Apocolocyntosis versu anapaestico XII 3, 29 *Brigantas*.

In eiusdem operis prosaico contextu exstat accusativus *metamorphosis* IX 5, 7.

Neque Columella Graecorum usum sprevit, cum scriberet:

Acheloidas X 263 *Panas* X 427 *achradas* X 250 (*-os* SAM *-as* Ursinus).

Eandem fere rationem secutus est Persius, qui Graecam

---

[1]) Sniehotta l. c. p. 35. — Bednara l. c. p. 359 (47). — Koene l. c. p. 120. — Neue I[3] 486 sqq. — Leimeister l. c. p. 28, 32, 36, 41.

terminationem semel tantum mutavit: *chlamydes* VI 46, saepius autem servavit:

Cappadocas VI 77 *Heliconidas* prol. 4 *Phyllidas* I 34 *heroas* I 69 *poetridas* prol. 13.

Eodem modo res se habet in Lucani Pharsalia, quae Latinas formas exhibet: *Syrtes* VIII 540, IX 303, 553, 598, 756 *Syrtis* III 295 *dracones*,

plura autem exempla praebet graecissandi:

Bistonas VII 569 *Cilicas* I 336, II 594, 636, VIII 811 *Cretas* IV 441 *Cydonas* VII 229 *Echinadas* VI 364 *Eumenidas* III 15, VII 169 *Garamantidas* IX 369 *aspidas gigantas lampadas tripodas tryphonas*.

Petronius Graecam declinationem non sumpsit nisi in versibus et hexametris: *Stymphalidas* 136, 6, 1 *lampadas* 124, 284,

et senariis: *Phrygas* 89, 2 *Troas* 89, 65.

Contra in prosaico contextu legimus semper Latinam formam:

Arabes 102, 14, 2 *capides* 52, 2, 1 *paropsides* 50, 6, 1 *periscelides* 67, 4, 2.

Aetnae auctor praetulit Graecorum rationem: *Cyclopas* 37 et *Phrygas* 591.

Idem fecit Valerius Flaccus; nam praeter *Syrtes* VII 86 et *tigres* unum nomen *draconis* Latine flexit, omnia autem cetera Graece:

Arabas VI 139 *Bebrycas* IV 315 *Bistonas* I 726, III 83 *Centoras* VI 151[1]) *Iazygas* VI 281 *Paeonas* IV 280 *Phrygas* IV 78, VII 635 *Pliadas* V 305 *Strophadas* IV 513 *phalangas* VI 758.

Silius vero Italicus in Punicis ubique Graecos secutus est:

Autololas XIII 145 *Cycladas* I 472 (S *-us*) *Cyclopas* IX 307, XIII 440 *Garamantas* III 10, XVI 630 *Laconas* VI 345 *Libyas* II 56, VI 454, VIII 270 *Nasamonas* XI 180 *dipsadas* III 313 *gigantas* IX 309 (*-as* LF *-es* OV), XII 143 (*-as* L *-es* FOV) *tripodas* XIII 401.

In Iliade Latina praeter Graecam flexionem:

Nereidas 873 *Phrygas* 342 (O *-es*), 670 (O *-es* E m. 2 corr. *-as*) *Thracas* 734 (*-es* O *-is* G) *Troas* 807

---

1) Langenus edit. adnot. p. 417: „haec gens prorsus ignota est“.

etiam Latinae duo exempla inveniuntur: *Tritones* 874 et *phalanges* 392.

Statius hac in re eo processit, ut nullum accusativum pluralem Latine in *-es* exeuntem admitteret, sed Graecam terminationem *-ας* solam adhiberet eaque flecteret haec nomina

in Silvis:

Arcadas V 2, 123 *Eumenidas* V 2, 95 *Hecateidas* III 1, 60 *Naidas* I 5, 6 *Nereidas* I 2, 116 *Seras* I 2, 122 *delphinas* I 3, 28 *heroidas* V 1, 255;

in Thebaide:

Aethiopas X 85 *Aonidas* IV 183 *Arcadas* VII 94, IX 845 *Bistonas* II 421, III 221 *Calydonidas* XII 117 *Colchidas* IX 734 *Curetas* VII 173 *Cycladas* V 288 *Cyclopas* I 458 *Echinadas* II 731 *Erinyas* XI 345 *Eumenidas* IV 54, 526, XII 696, 773 *Helicaonas* VIII 476 *Homoloidas* VII 252, VIII 354 *Labdacidas* X 36 *Maenadas* IX 598 *Pliadas* IV 120, IX 460 *Thracas* III 288, V 75 *Titanas* VIII 44 *crateras nebridas tapetas thoracas tripodas*;

in Achilleide:

Cycladas I 205, 390, 530, 676 *Dolopas* I 777 *Naidas* I 295, 825 (*-es* Q¹K) *Phrygas* II 60 *delphinas* I 222 *gymnadas* I 358 *heroas* I 118, 754 *lyncas* II 122 *nebridas* I 716.

Martialis duobus locis Latinorum declinandi ratione usus est: VIII 26, 3 *tigres* et XI 31, 18 *parapsides* (παροψίς),

sed reliquis locis Graecorum morem praetulit:

Chalybas IV 55, 12 *Colchidas* X 4, 2 *Gigantas* XI 52, 17 *Gorgonas* X 4, 9 *Laconas* IX 3, 11 *Machaonas* II 16, 5 *Maenadas* XI 84, 11 *Oedipodas* IX 25, 10 *Olympiadas* IV 45, 4, VII 40, 6, X 23, 2 *Pieridas* X 58, 6 *Platonas* IX 47, 1 *Sirenas* III 64, 1 *Stymphalidas* IX 101, 7 *Zenonas* IX 47, 1 *adamantas* V 11, 1 *caryotidas* XI 31, 10 *daphnonas* XII 50, 1 *epidipnidas* XI 31, 7 *halteras* VII 67, 6 *iaspidas* V 11, 1 *pityonas* XII 50, 1 (*pityonas* Salmas. Heins. *phyonas* T *pythonas* 𝔓 *pythagoras* Q [Lindsay] *cyparissos* EAXBFωScriv.) *platanonas* XII 50, 1 *rhetoras* V 56, 3 *sardonychas* IV 28, 4, V 11, 1, IX 59, 10, X 87, 14, XI 27, 10.

Eodem exitu nominis *Φινεύς* accusativus pluralis formatus est: *Phinĕās* IX 25, 10.

In **Iuvenalis** saturis rariores sunt accusativi huius generis, quorum Latine terminavit *tripodes* VII 11 et *elephantos* X 150, Graece finivit:

Cyclopas XV 18 *Laestrygonas* XV 18 *Orcadas* II 161 *endromidas* VI 246 *ephemeridas* VI 574.

Accusativus pluralis neutrius generis, qui in -η desinit[1]), ubique immutatus a poetis Latinis est acceptus, sed satis paucis locis invenitur. Semel enim occurrit nobis accusativus *cete* (Sil. It. XIV 253), nec multo saepius *Tempe* (Senec. Med. 457 Colum. X 265 Lucan. VIII 1 Val. Flacc. VIII 452 Stat. Theb. VI 88 Ach. I 237) vel *tempe* (Stat. Silv. V 3, 209 Theb. I 485).

Cetera omnia nomina Latino ori apta poetae reddiderunt, ut exempla demonstrant:

Danaos Scythas Mycenas Harpyias Pergama dogmata.

Quod non mirum est, cum horum nominum praeter ea, quorum nominativus singularis in -ος excurrit, terminationes Latinae Graecis plane sint pares.

§ 4.

De nominibus quibusdam incertis et heteroclitis.

Formis, quae e Graecis depromptae a Latinis poetis servatae sunt, pertractatis restat, ut de iis nominibus nonnulla adiciam, quorum terminationes variae sunt vel incertae.

1. Ac primum quidem appellativa quaedam afferam, quae in Romanorum lingua vel Graecis formis aut similibus Latinis usa sunt, vel origine Graeca deposita declinandi genus variaverunt et cum aliquo Latino commutaverunt. Huius rei exempla iam supra hic illic invenisti, nunc autem primitivas et mutatas nominum formas una componemus et inter se comparabimus.

In hoc genere numerandum est nomen δελφίν[2]), quod praeter hunc nominativum Graecum, qui invenitur in Germanici Phaenomenis 321, in Senecae Oedipode 466, apud Persium I 94, Lucanum V 552, Valerium Flaccum I 131, Martialem VIII 51, 15, etiam nominativum in modum nominum alterius Latinae declina-

---

[1]) **Neue** I[2] p. 484 sq.

[2]) **Neue** I[2] p. 244, 461, 482, 486, 493. — **Saalfeld** l. c. p. 386. — **Georges** l. c. p. 201.

tionis formatum *delphinus* habet, quem Manilius I 346, V 25, 417, 714 et Germanicus in Phaenomenorum versibus 613 et 691 adhibuerunt. Eodem modo declinatus est accusativus singularis *delphinum* a Manilio V 445 et genetivus pluralis *delphinorum* ab Iuvenale VI 590. Ceteri huius nominis casus, qui inveniuntur, Graecorum rationem servaverunt: singularis accusativus: *delphina* (Stat. Theb. IX 244, 331), pluralis nominativus: *delphines* *e* vocali terminationis correpta (Stat. Silv. II 2, 120 Ach. I 246), accusativus: *delphinas* (Stat. Silv. I 3, 28), eademque ratione formatus est ablativus: *delphine* (Stat. Theb. I 121).

Similiter se habet nomen ἐλέφας[1]), cuius nominativi forma communis est *elephantus*. Quem usum sequi videmus numeri singularis genetivum *elephanti* a Phaedro (fab. Perott. 2, 5), numeri pluralis nominativum *elephanti* et accusativum *elephantos* ab Iuvenale (XII 102 et X 150) adhibitum. Apud eos autem poetas, de quibus nos quaerimus, praevalet Graeca declinatio. Legimus enim nominativum: *elephas* (Lucan. VI 208, IX 732 Mart. epigr. XVII 1), ablativum: *elephante* (Manil. IV 236), accusativos: *elephanta* (Manil. V 706 Mart. epigr. XIX 4, VIII 65, 9) et *elephantas* (Manil. IV 667, 740).

Cum saepius nominum alterius declinationis terminatio Graeca *-ος* mutaretur a Romanis cum Latina *-us*, non mirum est etiam nomina neutrius generis ad illorum exempla se accommodavisse[2]). Semper mutatas formas praebet πέλαγος[3]) nomen, cuius nominativus *pelagus*, genetivus *pelagi*, dativus *pelago*, accusativus *pelagum* declinatur. Aliorum quoque nominum huius generis nonnullos casus poetae in alteram declinationem traduxerunt. Sic Manilius utitur nominativo *cetus*[4]) I 433 et *cetum* V 15, genetivo *ceti* I 614, V 601, 657, Silius Italicus ablativo *chao*[5]) XIII 439, Valerius Flaccus genetivo *Erebi* II 120, dativo *Erebo* VI 292, accusativo *Erebum* III 410.

Similes formas invenimus nominis, cuius nominativus

---

[1]) Charis. I 17 p. 1, 127 K. — Neue I[3] p. 234, 461, 486, 493. — Saalfeld l. c. p. 430 sq. — Georges l. c. p. 240. — Leimeister l. c. p. 39.

[2]) Neue I[3] p. 502.

[3]) Saalfeld l. c. p. 838 sq. — Georges l. c. p. 502.

[4]) Saalfeld l. c. p. 265. — Georges l. c. p. 130.

[5]) Saalfeld l. c. p. 270 sq. — Georges l. c. p. 131.

Graecus *αἰγόκερως*[1]) invenitur apud Germanicum (Phaen. 286, 483 fragm. III 16, IV 104) et Lucanum (IX 537), ut accusativus *aegoceron* apud Lucanum (X 213). Germanicus enim genetivum *aegoceri* (Phaen. 381, 597 fragm. IV 69) flexit.

Nec desunt nomina, quorum Graeca stirps in consonantem exiens a Romanis *a* vocali augebatur, ut nominibus Latinae prioris declinationis pares essent eorumque flexionem sequerentur[2]). Formae tali modo mutatae exstant nominum, quorum Graeci nominativi sunt *ἀτταγήν*[3]) et *κρατήρ*[4]). Illius enim invenimus accusativum singularem *attagenam* apud Martialem II 37, 3, genetivum pluralem *attagenarum* apud eundem poetam XIII 61, 2, huius accusativum singularem *crateram* in Germanici Phaenomenis 505, accusativum pluralem *craterās* (vel *creterras*) apud Persium II 52. Saepius autem huius quidem nominis Graeca stirps est servata. Nam de nominativo *crater*, qui legitur in Germanici Phaenomenis 429 et 431 et apud Manilium I 418, V 235, 250, derivati sunt casus numeri singularis accusativus: *cratera* (Val. Flacc. I 337, IV 343, V 615, 694 Sil. It. VII 190 Stat. Theb. II 564 Iuv. XII 44) et ablativus: *cratere* (Mart. VIII 6, 7, XII 32, 12), numeri pluralis nominativus: *cratĕrĕs* (Stat. Ach. I 114) et *craterēs* (Val. Flacc. I 142) et accusativus: *crateras* (Stat. Theb. V 255, X 313).

Nomina, quorum Graeca stirps in *-ατ-*, nominativus singularis in *-α* exit, eandem viam ingrediuntur[5]). Sed huius mutationis exempla non occurrunt nobis nisi apud Petronium, qui accusativum singularis *stigmam* 45, 9, 4, 69, 1, 8, pluralis *schemas* 44, 8, 2 scripsit[6]).

Iam supra animadvertimus nomen *Γοργώ*[7]) a Latinis Grae-

---

[1]) Saalfeld l. c. p. 23. — Georges l. c. p. 20. — Neue I³ p. 231 et 493.

[2]) De hac stirpis mutatione ab accusativo singulari exeunte cf. Skutsch-Stowasser, Lateinisch-deutsches Schulwörterbuch, Einl. § 92.

[3]) Neue I³ p. 496. — Georges l. c. p. 79. — Saalfeld l. c. p. 134.

[4]) Neue I³ p. 461, 482, 486, 495 sq. — Georges l. c. p. 177 sq. — Saalfeld l. c. p. 353 sq.

[5]) Neue I³ p. 502.

[6]) De his formis vulgaribus iam a comicis adhibitis cf. Buecheler, Grundriss der lat. Deklination, Bonn 1879, p. 13.

[7]) Saalfeld l. c. p. 504. — Neue I³ p. 253, 451, 454, 466, 488. — Georges l. c. p. 304 sq.

corum posteriorum usum secutis saepe ita mutatum esse, ut *n* consonante apposita iam non stirpem in vocalem desinentem haberet, quae declinatu difficilior fuisse videtur. Illud *n* etiam nominativi formae, quae *Gorgon* esset, addiderunt Seneca (H.O. 96) Lucanus (IX 658, 679) Statius (Theb. II 717, VIII 762) Martialis (IX 25, 5). Principalem formam *Gorgo* servaverunt singuli tantum loci Manili (V 577) et Valeri Flacci (III 54). Casibus obliquis semper mutatam stirpem suppositam fuisse formae demonstrant et singularis genetivi: *Gorgonos* (Lucan. IX 653, 668) et *Gorgonis* (Manil. I 359 Germ. Phaen. 218 Sil. It. III 314), accusativi: *Gorgona* (Lucan. VI 746 Sil. It. IX 462 Stat. Theb. I 544), ablativi: *Gorgone* (Manil. V 619 Lucan. IX 684 Mart. VI 10, 11 Iuv. XII 4) et pluralis nominativi: *Gorgonĕs* (Luc. IX 647), accusativi: *Gorgonas* (Mart. X 4, 9).

Eodem modo declinatus est genetivus: *Didonis* (Priap. LXVII 1)[1].

2. Nomina, quorum nominativus Graecus in *-ης*, genetivus in *-ους* exit[2], apud Romanos in declinandi ratione sibi minime constant. Multa enim eorum vel in omnibus vel in nonnullis saltem casibus inter secundam et Latinam tertiam declinationem fluctuant. Nominativus quidem semper terminationem *-es* praebet, cuius *e* vocalem Graecorum more productam esse saepius e versu elucet. Qui casus solus invenitur horum nominum:

Alcibiades (Petr. 128, 7, 2 in pr.) *Diogenes* (Petr. 38, 10, 2 in pr.) *Diores* (Il. Lat. 213) *Euclides* (Mart. V 35, 2) *Euripides* (Petr. 2, 3, 2 in pr.) *Hippocrates* (Mart. IX 94, 2)[3] *Metrophanes* (Mart. XI 90, 4) *Moyses* (Iuv. XIV 102) *Sophocles* (Petr. 2, 3, 2 in pr.) *Stratocles* (Iuv. III 99).

Semper Latinae tertiae declinationis terminationibus declinantur haec nomina:

Brontes (Stat. Silv. III 1, 131, IV 6, 48) *Brontem* (Stat. Silv. I 1, 4); *Diomedes* (Sil. It. XIII 40 Petr. 59, 4, 1 in pr. Senec. Tro. 1108) *Diomedis* (Senec. epigr. XLI 6 Sil. It. VIII 241 Il.

[1]) Neue I[3] p. 524. — Georges l. c. p. 214 — Quintil. I 5, 63.

[2]) Sniehotta l. c. p. 36 sqq. — Neue I[3] p. 373, 472 sqq., 509, 514 sqq.

[3]) Hic proferendum est *Mesthles,* quod in Iliadis Latinae versu 244 Bondamus emendavit e codicum lectionibus: *nesteus* O *nmesteus* E *mesteus* F et ut vid. L m. 1 *nestes* M *menesteus* N.

Lat. 707 Stat. Theb. VI 348) *Diomedi* (Sil. It. XVI 368) *Diomedĕ* (Il. Lat. 554 Stat. Ach. I 701); *Hermogenes* (in Martialis XII libri epigrammate 29 decem locis) *Hermogenis* (Petr. 45, 9, $_{2}$ in pr.) *Hermogenem* (Senec. epigr. XXXVIII 2: V *-en*); *Herodes* (Mart. IX 96, 1) *Herodis* (Pers. V 180); *Mithridates* (Petr. 53, 3, $_{1}$ in pr. Mart. V 76, 1 Iuv. XIV 252) *Mithridatis* (Manil. IV 51); *Orontes* (Luc. III 214, VI 51 Iuv. III 62) *Orontem* (Stat. Silv. IV 7, 46); *Palamedes* (Petr. 66, 7, $_{3}$ in pr.) *Palamedis* (Senec. Ag. 568 Mart. XIII 75, 2); *Panchates* (Sil. It. XVI 348, 374, 400, 441) *Panchatem* (Sil. It. XVI 388); *Protogenes* (Iuv. III 120) *Protogenis* (Petr. 83, 1, $_{3}$ in pr.); *Simonides* (Phaedr. IV 22, 2; 26; 25, 4) *Simonidis* (Phaedr. IV 22, 20) *Simonidem* (Phaedr. IV 25, 25; 27) *Simonide* (Phaedr. IV 22 tit.) *Simonidē* voc. (Phaedr. IV 22, 13); *Socrates* (Phaedr. III 9, 2 Petr. 140, 14, $_{1}$ in pr.) *Socratis* (Mart. X 99, 1) *Socrati* (Phaedr. fab. Perott. 25, 1); *Xerxes* (Manil. V 49 Senec. epigr. LII 1, LXI 8) *Xerxis* (Senec. epigr. LII tit.) *Xerxem* (Manil. IV 65).

Eodem modo formati sunt obliqui casus nonnullorum nominum, quorum nominativum non inveni apud eius quam circumscripsimus aetatis poetas:

Hispellatem (Sil. It. IV 187); *Lycomedis* (Stat. Ach. I 207, 396, 532, 719, 816) *Lycomedem* (Stat. Ach. I 891) *Lycomedĕ* (Stat. Ach. I 286); *Lycophontem* (Stat. Theb. II 610); *Pharnacis* (Luc. II 637, X 476); *Plisthenem* (Senec. Thy. 726); *Polynicis* (Stat. Theb. I 165, VII 689, IX 35, X 256, XI 137, XII 114, 379) *Polynicĕ* (Stat. Theb. XII 348); *Tigranem* (Luc. II 637).

Horum nominum accusativum Graeci terminatione aut solita -η, aut de nominibus primae declinationis deprompta -ην flexerunt. Illa, quam Graeci fecerunt -η, Statius solus usus est, sed ita, ut non contractam *-ea* praeferret, cum diceret *Eteoclea* Thebaidis locis II 384, VII 539, 688, VIII 353, 687, XI 186, 268, 388. Etsi huius nominis genetivum idem poeta ter Latine terminavit *Eteoclis* (VII 227, IX 86, XII 57), tamen etiam huius casus Graecam formam bis (XII 91 et 421) adhibuit, sed aeque ita, ut Graecum -ους dirimeret in *-eos*: *Eteocleos*. Servavit contractam terminationem -ους Martialis in genetivo *Praxitelus*, quem IV 39, 3 scripsit. Sed Latinus genetivus *Praxitelis* occurrit nobis in Stati Silvis IV 6, 27. Huius nominis nominativum *Praxiteles*

in Priapeis X 2 et Petroni loco prosaico 126, 16, 3 legimus, accusativum Graecorum alteram rationem secutus declinavit Phaedrus *Praxitelen* V prol. 6.

Hanc terminationem omnino Latini saepius servaverunt eamque iuxta Latinam *-em* dederunt nominibus *Ganymedis* et *Steropis* quorum inveniuntur hi casus:

Ganymedes (Petr. 44, 1, 1, 59, 4, 1 in pr.) *Ganymedis* (Luc. X 531) *Ganymeden* (Germ. Phaen. 318: *-en* B^{a}PLo *-ē* AA*) *Ganymedem* (Petr. 92, 3, 3 in pr. Iuv. V 59, IX 22) *Ganymedĕ* (Luc. X 520 Mart. 8 locis) — *Steropes* (Stat. Silv. III 1, 131) *Steropen* (Val. Flacc. I 446) *Steropem* (Stat. Silv. I 1, 4).

Semper Graeci accusativi hanc formam adhibuerunt poetae in his nominibus declinandis:

Araxes (Luc. I 19 Stat. Silv. I 4, 79, V 2, 141) *Araxen* (Sen. Med. 373 Phaed. 58 Oed. 428: A *-em* Lucan. VII 188, VIII 431: *-e* MZ *-em* Gm Stat. Silv. V 2, 32); *Demosthenis* (Petr. 5, 14 Iuv. X 114) *Demosthenen* (Petr. 2, 5, 2 in pr.); *Ganges* (Luc. II 496, III 230, VIII 227, X 252 Stat. Theb. VII 687, XII 788 Sil. It. XII 460 Manil. IV 757 Senec. H. O. 515) *Gangen* (Gratt. 314 Senec. Oed. 427: *-en* R *-em* EA H. O. 630 Lucan. X 33 Sil. It. VIII 408, XIII 765: FV *-em* Stat. Silv. IV 2, 49 Theb. I 686, IV 387 Iuv. X 2); *Hydaspes* (Lucan. VIII 227 Stat. Theb. IX 441 Senec. Med. 725 H. O. 628) *Hydaspis* (Petr. 123, 239) *Hydaspen* (Luc. III 236 Stat. Theb. VIII 237); *Menecratis* (Petr. 73, 3, 2 in pr. Stat. Silv. IV 8, 3) *Menecraten* (Stat. Silv. IV 8 tit.); *Podarces* (Il. Lat. 215) *Podarcen* (Stat. Theb. VI 466: *podarcen* P *-arcem* [*-acem* *v*] *ω* *Podagrum* Bentleius); *Pylades* (Manil. II 583 Stat. Silv. V 2, 156 Mart. VI 11, 1; 2, X 11, 7 Iuv. XVI 26) *Pyladi* (Mart. X 11, 2 et 3) *Pyladen* (Stat. Silv. II 6, 54 Mart. VI 11, 9, VII 24, 3; 45, 8) *Pyladĕ* voc. (Senec. Ag. 941).

Eandem rationem sequuntur accusativi:

Aren (Val. Flacc. III 203) *Aristotelen* (Iuv. II 6) *Astyagen* (Stat. Theb. IX 253) *Hermocraten* (Mart. VI 53, 4) *Menogenen* (Mart. XII 82, 2).

Quin etiam nominis Italicae deae *Palis* accusativum *Palen* fecisse videtur Calpurnius IV 106, etsi codices I *palem* G *panem* praebent [1]).

[1]) Neue I^{3} p. 477. — Georges l. c. p. 487.

Eodem modo flexit Iuvenalis *Archigenen* (VI 236, XIV 252), cuius nominis ablativum mori nominum primae declinationis adaptavit: *Archigenē* XIII 98.

Qua facultate primae et tertiae declinationis formas promiscue adhibendi poetae saepius usi sunt in iis nominibus, quae apud Graecos primam declinationem sequi solent. Hoc modo fluctuantium nominum formas invenimus has:

Aeacides nom. (apud Valerium Flaccum sexies, in Iliade Latina septies, in Stati Achilleide ter) *Aeacidē* voc. (Val. Flacc. I 405, II 427 Sil. It. XIII 796 Stat. Ach. I 932) *Aeacidae* gen. (Senec. Tro. 253 Sil. It. I 627, XIV 95 Il. Lat. 897 Mart. XI 43, 10) *Aeacidis* gen. (Sen. Tro. 46)[1] *Aeacidae* dat. (Iuv. VIII 270) *Aeaciden* (Il. Lat. 914 Stat. Silv. V 3, 194; 5, 37 Ach. I 1, 364, 500, 561, II 7: *-em* PKC) *Aeacidem* (Il. Lat. 967) *Aeacidē* abl. (Sil. It. XIII 800 Stat. Ach. I 608: *-ae* P); *Amphitryoniades* (saepius apud complures poetas) *Amphitryoniaden* (Val. Flacc. I 375 Sil. It. VI 183 Stat. Theb. VI 312, X 647) *Amphitryoniadem* (Sil. It. XV 79); *Atrides* (Senec. Sil. It. Stat. Iuv.) *Atridae* gen. (Petr. 108, 14, s Il. Lat. 19, 69, 587 Laus Pis. 61 Stat. Silv. I 4, 113 Ach. II 63) *Atridae* dat. (Il. Lat. 640) *Atridē* voc. (Il. Lat. 124: in *-da* corr. EL m. 1 *-des* G *-da* ceteri) *Atriden* (Senec. Ag. 275 Il. Lat. 74 Iuv. IV 65) *Atridem* (Oct. 816) *Atridā* abl. (Senec. Ag. 292 Il. Lat. 90, 327); *cometes* (Val. Flacc. I 356 Sil. It. I 461, VIII 637) *cometen* (Luc. I 529: *-am* V *-em* U Aetn. 242 Iuv. VI 407) *cometam* (Oct. 232) *cometem* (Calpurn. I 78 Sil. It. IX 444: *-em* LV *-ē* FO *-en* edd.); *Tydides* (Sil. It. Stat. Iuv.) *Tydidae* gen. (Il. Lat. 416, 449) *Tydiden* (Il. Lat. 437) *Tydidem* (Manil. I 763) *Tydidē* voc. (Sil. It. XIII 58).

In aliis nominibus declinandis, quae item Latine primae vel tertiae declinationis terminationibus flectere scriptoribus Romanis licuit, poetae aetatis, de qua hoc libello quaerimus, semper primam declinationem secuti sunt. In huius generis formarum numero habenda sunt:

Bootes (Manil. I 316, V 20 Germ. Phaen. 139, 598, 624 Sen. Med. 315 Ag. 70 Luc. III 252 Aetn. 243 Val. Flacc. II 68,

[1]) Locus est corruptus: *aeacidae* AN Heinsius *Aiacis* Gronovius *Aeacidis* coniecerunt Scaliger et Leo. Cf. adnot. Leonis in edit. vol. II p. 46.

VII 457 Stat. Theb. X 328) *Bootae* (Luc. II 722 Mart. IV 3, 5, VIII 21, 3 Iuv. V 23) *Booten* (Germ. Phaen. 718 Luc. X 289); *Euphrates* (Manil. I 44, IV 800 Senec. epigr. XXXI 1, XXXV 2 Lucan. III 257, 260, VIII 290, 438 Stat. Silv. V 1, 89) *Euphratae* (Stat. Silv. II 2, 122 Theb. VIII 290) *Euphraten* (Luc. II 633, VIII 214, X 33 Stat. Silv. III 2, 136 Iuv. I 104, VIII 51) *Euphratē* (Luc. VIII 358); *Geryonae* gen. (Senec. H. f. 1170 Ag. 841 H.O. 1900 Sil. It. III 422) *Geryonen* (Mart. V 49, 11; 65, 12); *Orestes* (Manil. II 583 Senec. Ag. 196 Pers. III 118 Lucan. VII 778 Val. Flacc. VII 148 Sil. It. XV 313 Mart. VI 11, 1, VII 24, 3 Iuv. I 6, VIII 220) *Oresta* voc. (Senec. Ag. 917, 933) *Orestae* (Mart. VI 11, 3) *Oresten* (Senec. Tro. 555 Ag. 931 Stat. Theb. I 476 Mart. VI 11, 9).

Horum in numerum etiam *Thyestae* nomen referendum puto, nam genetivus *Thyestis* nisi in Senecae Agamemnonis titulo non legitur, in eiusdem autem tragoediae versu 293 *Thyestae* declinatur, quae forma etiam omnibus ceteris locis est usitata (Senec. Tro. 341 Pers. V 8 Lucan. VII 451 Mart. III 45, 1, X 35, 6, XI 31, 2 Iuv. VIII 228). Eandem declinandi viam ingrediuntur ceteri casus: vocativus *Thyesta* (Sen. Thy. 783 Mart. IV 49, 4) accusativus *Thyesten* (Senec. Thy. 476, 937 Mart. V 53, 1, X 4, 1) ablativus *Thyeste* (Senec. Ag. 907 Thy. 259, 271, 901).

Duabus diversis stirpibus utitur nomen, cuius nominativus *Apelles*, genetivus *Apellis* invenitur apud Petronium prosaicis locis 88, 10, $_3$ et 83, 2, $_1$. Hic enim poeta accusativum *Apelletem* 64, 4, $_2$ fecit, Statius vero in Silvis IV 6, 29 formam *Apellen* praetulit.

Genetivi a Persio IV 3 secundum Latinam alteram declinationem facti *Pericli* iam supra (p. 65) mentionem feci.

3. De casibus nominum *Achillis* et *Ulixis*[1]), quorum terminationes apud priores poetas satis incertae sunt, apud poetas aetatis, de qua nos quaerimus, facilius iudicari potest, cum formae, quae cum regula communi discrepant, non sint crebrae. Iam ut declinandi diversitates perspiciamus, singulos poetas

---

[1]) Sniehotta l. c. p. 37 sqq. — Neue I ^{3} p. 373, 475, 507 sq., 509, 512. — Georges l. c. p. 711 sq.

perscrutemur. Ac primum quidem *Achillis*[1]) nomen spectemus, cuius genetivo *Achillis* Germanicus in Phaenomenis 422, dativo *Achilli* in epigrammatis I 7 usus est. Seneca quoque in tragoediis omnes fere casus Latinos reddidit. Genetivus enim omnibus locis *Achillis* (Tro. 194, 292, 323, 666, 940, 987, 1121) invenitur, dativus *Achilli* (Tro. 244, 306, 1158 Ag. 186, 748), ablativus *Achille* (Tro. 343, 344, 347, 447). Etiam accusativo altero eorum locorum (Ag. 159), quibus nobis occurrit, secundum grammaticorum praeceptum formato *Achillem* Seneca usus est. Eo magis mirum est, quod altero loco (Tro. 177) forma *Achillen* in omnibus codicibus traditur. Apud Lucanum genetivum invenimus *Achillis* VI 350. Petronius nominativum *Achilles* 129, 1, $_2$ et dativum *Achilli* 59, 5, $_2$ prosaico contextui sermonis inseruit. In carminis in laudem Pisonis facti versu 173 nominativus exstat *Achilles*. Valerius Flaccus dativum Latine *Achilli* I 408, accusativum Graece *Achillen* I 133 (*-e* V_1 *-em* π *-en* Thilo) et 256 flexit. In Sili Italici Punicis invenimus nominativum *Achilles* XIV 95, genetivum *Achillis* XI 450, ablativum *Achille* XV 292; in Iliade Latina nominativum *Achilles* 14 locis, genetivum *Achillis* 91, 689, 719, 806, 813, 831, dativum *Achilli* 99, accusativum *Achillem* 60, 71, 77, 934, vocativum *Achilles* 818. Statius in Silvis accusativum duplici more declinavit: *Achillen* II 6, 31 (*-en* M^1 *-em* cett.) et *Achillem* V 2, 151. Praeterea in his carminibus legitur nominativus *Achilles* III 4, 85, IV 4, 35; 94; 7, 24, V 2, 163 et dativus *Achilli* II 1, 88, III 2, 96. Idem est usus eiusdem poetae in Achilleide, quo in opere exstant accusativi *Achillen* I 228 (*-em* vel *-ē* ω), 322 (*-em* ω) et *Achillem* I 284, 473, 513, 548, 579, 717, 894, nominativus *Achilles* saepius, genetivus *Achillis* I 350, 474, II 83, ablativus *Achille* I 920. Martialis nominativum *Achilles* solum adhibuit V 48, 5, Iuvenalis praeter eundem casum I 163, VII 210, VIII 271, XIV 214 et genetivum *Achillis* XI 30 et accusativum *Achillem* X 256.

Omnes igitur casus secundum Latinam tertiam declinationem formatos esse vidimus praeter accusativum, qui quamquam 14 locis eodem modo ac reliqui est declinatus, tamen

[1]) Thesaur. linguae Latinae, vol. 1, p. 391 sqq.

sexies (Senec. Tro. 177 Val. Flacc. I 133, 256 Stat. Silv. II 6, 31 Ach. I 228, 322) Graeca terminatione *-en* finitus est, quater etiam ab iisdem poetis Seneca et Statio, qui aliis locis Latinam formam praetulerunt. Quae ratio mira haberi non potest. Iam pridem enim Graeca forma Ἀχιλλεύς apud Latinos abolevit eiusque vicem nomen *Achilles* secundum tertiam declinationem flexum praestitit. Tamen accusativum *Achillen*, etsi codices omnibus fere locis, quibus invenitur, inter *-em* et *-en* terminationes fluctuant, admitti posse concedendum est, quoniam multa quoque alia nomina Graeca, quorum ceteri casus secundum Latinam tertiam declinationem flectuntur, accusativum Graecorum more in *-en* desinentem habere supra vidimus. Horum igitur exemplo, maxime autem per analogiam formae *Ulixen* accusativum *Achillen* formatum esse censeo. Sed quod, ut Sniehotta dixit, „Forbiger Wagnerum[1]) secutus" probare conatus est, verisimile non puto hanc formam in *-en* exeuntem e dorico nominativo Ἀχίλλης derivatam esse, praesertim cum ne hic quidem satis comprobatus sit. Ut autem Senecam ceterosque poetas Graecum nominativum Ἀχιλλεύς non novisse, sed nominativum Ἀχίλλης supposuisse opiner, adduci nequeo.

Ad Graeci nominis Ἀχιλλεύς exemplum Lucanus accusativum *Achillea* fecisse videtur X 523. Sed nominativus huius nominis, quo ducem Ptolemaei appellat, est *Achillas* VIII 538, 618, X 398, 419, cuius accusativus vulgaris *Achillam* invenitur X 350. Tamen altero loco supra citato poeta illa Graeca accusativi forma *Achillea* usus est, ut impediret, ne versus fieret spondiacus, cum terminatio thesin quinti pedis hexametri expleret.

Eodem modo quo *Achillis* nominis poetae *Ulixis*[2]) quoque formaverunt casus genetivo excepto, qui praeter formam *Ulixis* usitatam interdum alterius Latinae declinationis exemplo flexam *Ulixi* praebet.

Poetarum ordinem, quem adhuc observavimus, perscrutati illum genetivum *Ulixi* primum invenimus in Priapeorum carminis LXVIII versu 19, cuius versus 33 ablativum *Ulixe* continet.

---

[1]) Quaest. Vergilian. III (ad Aen. I 30).

[2]) H. Jordan, Kritische Beiträge zur Geschichte der lateinischen Sprache, Berlin 1879, p. 38 sqq., 55, 57 sq. — P. Kretschmer, Die griechischen Vaseninschriften, Gütersloh 1894, p. 73, 146 sqq., 192.

Seneca in tragoediis genetivi utramque formam adhibuit, nam Tro. 757 *Ulixis*, Ag. 637 *Ulixi* scripsit. Sed accusativum et vocativum Graecas terminationes servare voluit. Accusativus *Ulixen* bis exstat (Tro. 987 et 1099), vocativus *Ulixe* sexies (Tro. 576, 607, 692, 707, 787, 993). Quod in Troadum versu 594 summa dissensio codicum invenitur, ad quaestionem propositam nihil valet. Nam in codicis A scriptura:

immiti ulixi gaudium ac danais dabo

dativus, in codicis E:

invita ulixe gaudium danais dabo

vocativus ad regulam formatus exstat.

Petronius in versibus hexametris usus est nominativo *Ulixes* 139, 2, 6 et genetivo *Ulixis* 134, 12, 13, in sermone pedestri praeter eosdem casus (39, 3, 2, 97, 4, 3, 132, 13, 5 — 105, 10, 1) et accusativo *Ulixem* 97, 5, 2, 98, 5, 3 et ablativo *Ulixe* 48, 7, 4. In Sili Italici Punicis legimus Graecum accusativum *Ulixen* II 182 (*-em* FOV), in Iliade Latina Latinum *Ulixem* 699 et quinquies nominativum *Ulixes*. Statius in Silvis Latinum scripsit genetivum *Ulixis* II 1, 118; 6, 57; 7, 49, in Thebaide Graecum accusativum *Ulixen* VI 718, in Achilleide eandem formam servavit I 94 (*-en* Schol. Stat. P *-em* ω), duobus posterioribus locis I 688 et 847 mutavit cum Latina *Ulixem*. Praeterea in hoc carmine decies nominativus *Ulixes* invenitur, quem Martialis quoque III 64, 4, XIV 184, 1 et Iuvenalis IX 65, XI 31, XV 14 praebent.

Duplici igitur modo genetivus et accusativus casus declinati sunt. Ille sex locis *Ulixis* (Senec. Tro. 757 Petr. 105, 10, 1 in pr. et 134, 12, 13 in hex. Stat. Silv. II 1, 118; 6, 57; 7, 49), duobus *Ulixi* (Senec. Ag. 637 Priap. LXVIII 19), hic quinquies *Ulixem* (Petr. 97, 5, 2 et 98, 5, 3 in pr. Il. Lat. 699 Stat. Ach. I 688, 847), toties *Ulixen* (Senec. Tro. 987, 1099 Sil. It. II 182 Stat. Theb. VI 718 Ach. I 94) formatus est. Utraque forma usus est Seneca genetivi, Statius accusativi.

De genetivo *Ulixi* certo iudicare non possumus, sed vide quid coniecerit Sniehotta[1]). Qui proficiscitur a genetivo, qui apud poetas, quos tractavit, saepius invenitur, *Achilli*, quem a

[1]) Sniehotta l. c. p. 39 sq.

forma *Achillei* a nominativo *Achilleus* derivata originem ducere censet. Itaque pergit „si Graecam formam nominis *Οὐλυξεύς* novissemus, hic genetivus eodem modo ortus esset, quo *Achillei* vel *Achilli* ab *Achilleus* deductum esse vidimus. Sed tale nomen non exstat, simile tantum apud Eustathium[1]) et persaepe in vasculis invenitur *Ὀλυσσεύς*, qua ex forma nominis fortasse *Ulixeus* fluxerat antiquis temporibus[2]), cuius nominativi genetivum servatum in poetarum aevi Augustei carminibus invenimus".

Accusativum *Ulixen*, quamquam plerisque eorum locorum, quibus invenitur, codices nonnulli *-em* terminationem praebent, tamen tuendum esse puto. Nam eum a nominativo *Ulixes* non minus ad regulam derivatum esse quam *Ulixem* multa aliorum eiusdem generis nominum exempla supra allata docuerunt. Cur quidem nominativus ita mutatus sit nescimus, sed eum iam antiquis Romanorum scriptoribus usui fuisse constat.

4. *Syrtis* nominis Graecus genetivus vel *Σύρτιδος* vel *Σύρτεως* flectitur. Similiter apud Latinos *Syrtidos* vel *Syrtis* invenitur. In poetarum autem, quos tractavimus, operibus illa forma *Syrtidos* semel tantum apud Lucanum quidem IX 710 exstat. Omnibus ceteris locis genetivus *Syrtis* est praelatus, quem Seneca in Thyesta (292) et Silius Italicus in Punicis (I 408, 644, II 63) adhibuerunt. Huius casus exemplum ceteri quoque omnes qui inveniuntur sequuntur. Legimus enim accusativum singularem *Syrtim* (Lucan. I 686, VIII 184, IX 373, 431 Sil. It. VII 570, XVI 621, XVII 247: FOL *-em*) nominativum pluralem: *Syrtes* (Stat. Theb. I 687) genetivum: *Syrtium* (Senec. H. f. 323) accusativum: *Syrtes* (Senec. Ag. 480 Luc. VIII 540, IX 303, 553, 598, 756 Val. Flacc. VII 86) vel *Syrtis* (Manil. IV 600 Lucan. III 295) dativum vel ablativum: *Syrtibus* (Senec. Ag. 64 Lucan. VIII locis, Stat. Silv. IV 5, 29).

De numero nominum, quae Graecorum terminationes servaverunt, iam satis actum est. Subiungere liceat duos conspectus, qui poetarum rationem dilucidiorem reddant.

---

[1]) Ad Iliad. B 569.

[2]) Mommsen, Die unteritalischen Dialekte, p. 13. — Jordan, Kritische Beiträge zur Geschichte der lateinischen Sprache, p. 38 sq.

Conspectus I.

E quo numerus apparet singularum Graecarum formarum, quae apud singulos poetas exstant.

Inveniuntur igitur Graecae terminationes

apud Grattium in sing. nom. *-ης* 1, *-η* 2, *-ων*[1]) 5, gen. *-ης* 1, acc. *-ον* 1, *-ην* (nom. *-ης*) 2[2]), *-ιν* 2, *-α* 3, plur. nom. *-ες*[1]) 3, acc. *-ας* 2 locis;

apud Manilium in sing. nom. *-ος* 20, *-ον* 2, *-ας* 3, *-ης* 2, *-η* 14, *-ευς* 14, *-υς* 1, *-ων* 13, *-ος* (III. decl.) 1[1]), *-ω* 2, voc. *-η* (nom. *-η*) 1, *-η* (nom. *-ης*) 1, gen. *-ης* 2, *-ος* 7, acc. *-ον* 19, *-αν* (nom. *-ας*) 1, *-ην* (nom. *-ης*) 1, *-αν* (nom. *-α*) 1, *-ην* (nom. *-η*) 9, *-ιν* 1, *-ιδα* 4, *-υν* 1, *-ος* 1, *-α* 22, *-εα* 3, abl. *-η* (nom. *-η*) 1, plur. nom. *-ες* 1, acc. *-ας* 9 locis;

apud Priapeorum auctores in sing. nom. *-ος* 7, *-ας* 2, *-ης* 2, *-η* 4, *-ευς* 2, *-ης* (III. decl.) 2, voc. *-η* (nom. *-η*) 1, gen. *-ης* 1, *-ος* 1, acc. *-ον* 2, *-ην* (nom. *-η*) 2, *-ιδα* 1, *-ων* (nom. *-ω*) 1, abl. *-η* (nom. *-η*) 1, plur. acc. *-ας* 2 locis;

apud Germanicum

in Phaenomenis in sing. nom. *-ος* 19, *-ον* 2, *-ης* 4, *-η* 13, *-ευς* 6, *-υς* 1, *-ων* 15, *-ως* 3, *-ω* 1, gen. *-ης* 3, *-ος* 1, *-εως* (nom. *-ευς*) 4, acc. *-ον* 9, *-αν* (nom. *-ας*) 5, *-ην* (nom. *-ης*) 1, *-αν* (nom. *-α*) 3, *-ην* (nom. *-η*) 6, *-ιν* 3, *-ιδα* 5, *-α* 5, *-εα* 2, plur. nom. *-oe* lat. 2, *-ες* 1, acc. *-ας* 2 locis;

in fragmentis in sing. nom. *-ος* 8, *-ας* 2, *-η* 3, *-ως* 2, acc. *-ον* 3, *-α* 2 locis;

in epigrammatis in sing. nom. *-ος* 1, gen. *-ος* 1, plur. acc. *-ας* 1 locis;

apud Phaedrum in sing. nom. *-ος* 1, *-η* 1, *-ευς* 4, *-ων* 3, *-ος* (III. decl.) 1, *-ως* 1, *-ης* (III. decl.) 1, *-α* (III. decl.) 1, gen. *-ης* 1, acc. *-ος* 1, *-αρ* 1, plur. acc. *-ας* 1 locis;

apud Senecam

in tragoediis in sing. nom. *-ος* 39, *-ον* 7, *-ας* 13, *-ης* 44, *-η* 55, *-ευς* 49, *-υς* 28, *-ων* 65, *-ος* (III. decl.) 16, *-ους* 3, *-ως* 10,

---

[1]) Vocativi formas eodem modo terminatas addidi.

[2]) Nonnulli accusativi nominum, quae tertiam Latinam declinationem sequi solent, eodem modo formati his numeris comprehenduntur.

-ω 9, -ης (III. decl.) 3, voc. -η (nom. -η) 12, -η (nom. -ης) 6, gen. -ης 12, -ος 5, -εως (nom. -ευς) 1, acc. -ον 12, -αν (nom. -ας) 8, -ην (nom. -ης) 28, -αν (nom. -α) 2, -ην (nom. -η) 27, -ιν 7, -ιδα 5, -υν 7, -ος 10, -α (neutr. gen.) 1, -ων (nom. -ως) 1, -α 34, -εα 3, abl. -η (nom. -ης) 9, -η (nom. -η) 1, plur. nom. -η 3, -ες 9, acc. -ας 21, -η 1 locis;

in epigrammatis in sing. nom. -ος 3, -η 2, -ευς 2, -υς 1, -ως 2, acc. -ην (nom. -ης) 1, -α 2, -εα 1, plur. acc. -ας 3 locis;

in Apocolocyntosi in sing. acc. -ιδα 1, plur. acc. -ας 1 locis:

apud Octaviae auctorem in sing. nom. -ης 1, -η 1, -ευς 1, -ων 1, -ω 1, gen. -ης 1, acc. -ην (nom. -η) 1, -ιν 1, -ος 1, -α 1 locis;

apud Columellam in sing. nom. -ος 5, -ας 1, -η 7, -ᾰ 1[1]), -ων 2, gen. -ης 4, acc. -ον 1, -ην (nom. -η) 2, -ιδα 1, -υν 1, -α 1, plur. nom. -ες 1, acc. -ας 3, -η 1 locis;

apud Persium in sing. nom. -ας 1, -ης 2, -ως 1, gen. -ης 2, acc. -ον 2, -ην (nom. -η) 2, -α (neutr. gen.) 1, -α 1, -εα 1, -ας 1, -αρ 1, plur. acc. -ας 5, -η 1 locis;

apud Lucanum in sing. nom. -ος 51, -ον 4, -ας 12, -ης 17, -η 38, -ευς 12, -υς 11, -ων 27, -ος (III. decl.) 2, -ους 4, -ως 2, -ω 8, -ης (III. decl.) 1, voc. -η (nom. -η) 2, gen. -ης 12, -ος 21, -εως (nom. -ευς) 4, acc. -ον 38, -αν (nom. -ας) 9, -ην (nom. -ης) 12, -αν (nom. -α) 1, -ην (nom. η) 27, -ιν 3, -ιδα 13, -υν 6, -ος 6, -α (neutr. gen.) 1, -ων (nom. -ως) 2, -α 62, -εα 5, abl. -η (nom. -η) 1, plur. nom. -oe lat. 1, -η 1, -ες 9, acc. -ας 27, -η 1 locis;

apud Petronium

in satura in sing. nom. -ος 4, -ον 1, -ας 2, -ης 1, -η 8, -ευς 2, -υς 1, -ων 5, -ος (III. decl.) 1, -ως 1, -ω 1, voc. -η (nom. -η) 1, gen. -ης 1, -ος 2, -εως (nom. -ευς) 1, acc. -ην (nom. -η) 3, -α 2, plur. acc. -ας 4 locis;

in fragmentis in sing. nom. -υς 1, -ως 1, voc. -η (nom. -η) 1 locis;

apud Calpurnium in sing. nom. -ας 12, -η 2, -ων 19, -ω 1, voc. -η (nom. -η) 2, gen. -ος 1, acc. -ον 3, -αν (nom. -ας) 2, -ην (nom. -ης) 1, -ην (nom. -η) 8, -ιν 1, -ιδα 7, -υν 1, -α 4, -αρ 1, abl. -η (nom. -η) 1, plur. nom. -ες 1 locis;

---

[1]) Cf. adnot. 1 in pagina antecedenti.

apud Laudis Pisonis auctorem in sing. nom. -ως 2, acc. -υν 1, -ος 1 locis;

apud Aetnae auctorem in sing. nom. -ος 3, -ας 1, -η 1, -ευς 1, -ων 1, voc. -η (nom. -η) 2, gen. -ης 1, acc. -ον 5, -ην (nom. -ης) 1, -αν (nom. -α) 1, -ην (nom. -η) 1, -ιν 1, -ιδα 1, -ος 1, plur. acc. -ας 2 locis;

apud Valerium Flaccum in sing. nom. -ος 11, -ον 1, -ας 29, -ης 112, -η 34, -ευς 30, -υς 30, -ων 91, -ος (III. decl.) 2, -ως 9, -ω 16, voc. -η (nom. -η) 3, -η (nom. -ης) 12, gen. -ης 29, -ος 14, -εως (nom. -ευς) 7, acc. -ον 20, -αν (nom. -ας) 12, -ην (nom. -ης) 62, -αν (nom. -α) 2, -ην (nom. -η) 29, -ιν 15, -ιδα 14, -υν 9, -ος 4, -ων (nom. -ως) 2, -α 58, -εα 16, plur. nom. -ες 12, acc. -ας 12, -η 1 locis;

apud Silium Italicum in sing. nom. -ος 27, -ον 3, -ας 21, -ης 32, -η 60, -ευς 14, -υς 49, -ων 58, -ους 2, -ως 6, -ω 13, -ης (III. decl.) 1, voc. -η (nom. -η) 3, -η (nom. -ης) 8, gen. -ης 29, -ος 7, acc. -ον 12, -αν (nom. -ας) 7, -ην (nom. -ης) 17, -ην (nom. -η) 32, -ιν 7, -ιδα 5, -υν 4, -ος 1, -ω (nom. -ω) 4, -α 62, -εα 2, abl. -η (nom. -ης) 3, -η (nom. -η) 4, plur. nom. -η 2, -ες 6, acc. -ας 15, -η 1 locis;

in Iliade Latina in sing. nom. -ος 1, -ον 2, -ας 3, -ης 54, -η 6, -ευς 10, -ων 8, -ως 18, -ω 1, -ης (III. decl.) 3, voc. -η (nom. -η) 1, -η (nom. -ης) 1, gen. -ος 1, -εως (nom. -ευς) 1, acc. -ον 2, -αν (nom. -ας) 1, -ην (nom. -ηs) 9, -ιν 1, -ιδα 3, -α 17, -εα 4, abl. -η (nom. -η) 1, plur. nom. -ες 5, acc. -ας 4 locis;

apud Statium

in Silvis in sing. nom. -ος 21, -ον 1, -ας 7, -ης 11, -η 39, -ευς 6, -υς 14, -ων 15, -ος (III. decl.) 1, -ω 4, voc. -η (nom. η) 3, -η (nom. ης) 2, gen. -ης 22, -ος 6, -εως (nom. -ευς) 4, acc. -ον 13, -αν (nom. -ας) 3, -ην (nom. ης) 16, -ην (nom. -η) 8, -ιν 4, -ιδα 11, -υν 14, -ος 3, -α (neutr. gen.) 1, -ων (nom. -ως) 1, -ων (nom. ω) 1, -α 38, -εα 8, -αρ 2, abl. -η (nom. -ης) 1, plur. nom. -oe lat. 1, -η 1, -ες 9, acc. -ας 8 locis;

in Thebaide in sing. nom. -ος 51, -ον 5, -ας 28, -ης 41, -η 80, -ᾰ 17, -ευς 114, -υς 20, -ων 133, -ος (III. decl.) 4, -ους 2, -ως 24, -ω 9, -ης (III. decl.) 1, -υ 1, voc. -η (nom. -η) 9, -η (nom. -ης) 2, gen. -ης 29, -ος 19, -ους vel -εος 2, -εως (nom. -ευς) 32, acc. -ον 50, -αν (nom. -ας) 18, -ην (nom. -ης) 41, -αν (nom. -α) 6,

-ην (nom. -η) 52, -ιν 20, -ιδα 17, -υν 10, -ος 4, -ω (nom. -ω) 4, -α 159, -εα 66, abl. -η (nom. -ης) 1, -η (nom. -η) 2, plur. nom. -η 1, -ες 23, acc. -ας 36, -η 2 locis;

in Achilleide in sing. nom. -ος 21, -ον 5, -ης 21, -η 8, -ευς 5, -υς 3, -ων 7, -ος (III. decl.) 1, -ως 6, voc. -η (nom. -ης) 9, gen. -ης 1, -ος 4, -εως (nom. -ευς) 2, acc. -ον 4, -ην (nom. -ης) 7, -αν (nom. -α) 1, -ην (nom. -η) 4, -ιν 4, -ιδα 4, -υν 1, -α 12, -εα 9, abl. -η (nom. -ης) 2, plur. nom. -η 1, -ες 10, acc. -ας 14, -η 1 locis;

apud Martialem in sing. nom. -ος 32, -ον 4, -ας 23, -ης 36, -η 44, -ᾱ 2, -ευς 7, -υς 3, -ων 34, -ως 7, -ω 6, -ης (III. decl.) 12, -α (III. decl.) 9, voc. -η (nom. -η) 8, -η (nom. -ης) 1, gen. -ης 25, -ος 17, -ους 1, -εως (nom. -ευς) 3, acc. -ον 30, -αν (nom. -ας) 10, -ην (nom. -ης) 17, -αν (nom. -α) 4, -ην (nom. -η) 22, -ιν 15, -ιδα 18, -υν 6, -ος 1, -α (neutr. gen.) 16, -α 39, -εα 6, -αρ 4, abl. -η (nom. -η) 2, plur. nom. -ες 7, gen. -ων 2, acc. -ας 31 locis;

apud Iuvenalem in sing. nom. -ος 6, -ας 4, -ης 22, -η 10, -ευς 5, -υς 2, -ων 15, -ως 1, -ω 4, -ης (III. decl.) 2, -ες 1, voc. -η (nom. -η) 2, gen. -ης 10, -ος 2, acc. -ον 7, -αν (nom. -ας) 2, -ην (nom. -ης) 8, -ην (nom. -η) 7, -ιν 1, -ιδα 3, -α (neutr. gen.) 10, -ω vel -ων (nom. -ω) 1, -α 99, -εα 4, -ες 1, abl. -η (nom. -η) 6, plur. nom. -ες 6, acc. -ας 5 locis.

Invenimus igitur Graecas formas apud Grattium 22, Manilium 178, Priapeorum auctorem 31, Germanicum in Phaenomenis 116, in fragmentis 20, in epigrammatis 3, apud Phaedrum 17, apud Senecam in tragoediis 566, in epigrammatis 17, in Apocolocyntosi 2, apud Octaviae auctorem 10, Columellam 31, Persium 19, Lucanum 453, Petronium in satura 41, in fragmentis 3, apud Calpurnium 67, auctorem Laudis Pisonis 4, Aetnae 23, apud Valerium Flaccum 698, Silium Italicum 517, Iliadis Latinae auctorem 157, apud Statium in Silvis 299, in Thebaide 1136, in Achilleide 160, apud Martialem 504, Iuvenalem 166, apud hos omnes omnino 5140.

Ut etiam cognoscamus, quae Graecae terminationes saepissime, quae minus saepe usui poetis fuerint, componamus terminationes secundum numerum locorum, quibus exstant.

Invenitur enim

locis:	terminatio:		locis:	terminatio:	
543	α	acc.	59	εως	gen.
517	ων	nom.	51	η	voc. (nom. η)
432	η	nom.	37	ον	nom.
405	ης	nom.	35	η	voc. (nom. ης)
330	ος	nom. II. decl.	34	ος	acc. III. decl.
284	ευς	nom.	30	α	acc. n. g.
243	ην	acc. (nom. η)	29	ος	nom. III. decl.
231	ον	acc.	25	ης	nom. III. decl.
226	ην	acc. (nom. ης)	21	αν	acc. (nom. α)
209	ας	acc. pl.	20	ᾱ	nom.
186	ης	gen.	20	η	abl. (nom. η)
165	υς	nom.	16	η	abl. (nom. ης)
164	ας	nom.	12	ες, υ, α	nom.
130	εα	acc.	11	ους	nom.
113	ιδα	acc.	9	η	nom.
109	ος	gen.	9 vel 8	ων	acc. (nom. ω)
102	ες	nom. pl.	8	η	acc. pl.
95	ως	nom.	6	ων	acc. (nom. ως)
86	ιν	acc.	4	*oe*	nom. pl.
77	ω	nom.	3	ους	vel εος gen.
75	αν	acc. (nom. ας)	2 vel 3	ω	acc. (nom. ω)
61	υν	acc.	2	ων	gen. pl.

Conspectus II.

Quo nomina mutata et non mutata comparantur et quot e centenis terminationem Graecam servaverint demonstratur.

In hoc conspectu nomina appellativa non respexi, quod, ut iam vidimus et videbimus, saepissime Latinorum dicendi rationi adaptata sunt, qua re quae ratio sit inter formas Graecas et Latinas quodam modo obscuratur.

Adhibuit

Grattius in sing. nom. -ος 0 *-us* 5, -ης 1 *-a* 0, -η 2 *-a* 1, -ων 4 *-o* 0, gen. -ης 1 *-ae* 0, acc. -ον 1 *-um* 1, -ην (nom. -ης) 2 *-am* 0, -ιν 1 *-im* 0, plur. nom. -ες 2 *-ēs* 0, acc. -ας 1 *-es* 0 locis;

Manilius in sing. nom. *-ος* 17 *-us* 82, *-ον* 2 *-um* 1, *-ας* 3 *-a* 0, *-η* 14 *-a* 3, *-ων* 12 *-o* 0, voc. *-η* (nom. *-η*) 1 *-a* 0, gen. *-ης* 2 *-ae* 3, *-ος* 7 *-is* 8, *-εως* 0 *-ei* 2, abl. *-η* (nom. *-η*) 1 *-a* 1, acc. *-ον* 14 *-um* 51, *-αν* (nom. *-ας*) 0 *-am* 1, *-ην* (nom. *-ης*) 0 *-am* 0 *-em* 1, *-αν* (nom. *-α*) 1 *-am* 13, *-ην* (nom. *-η*) 9 *-am* 4 *-em* 3, *-ιν* 1 *-im* 2, *-ιδα* 4 *-idem* 0, *-υν* 1 *-ym* 0, *-α* 8 *-em* 2, *-εα* 3 *-eum* 0, plur. nom. *-ες* 1 *-ēs* 0, acc. *-ας* 5 *-es* 2 locis;

Priapeorum auctor in sing. nom. *-ος* 7 *-us* 11, *-ας* 2 *-a* 0, *-ης* 2 *-a* 0, *-η* 4 *-a* 1, voc. *-η* (nom. *-η*) 1 *-a* 0, gen. *-ης* 1 *-ae* 0, *-ος* 1 *-is* 3, abl. *-η* (nom. *-η*) 1 *-a* 0, acc. *-ον* 2 *-um* 5, *-αν* (nom. *-α*) 0 *-am* 1, *-ην* (nom. *-η*) 2 *-am* 0, *-ιδα* 1 *-idem* 0, *-α* 0 *-em* 2, plur. acc. *-ας* 2 *-es* 1 locis;

Germanicus

in Phaenomenis in sing. nom. *-ος* 4 *-us* 16, *-ον* 1 *-um* 0, *-ης* 2 *-a* 0, *-η* 13 *-a* 0, *-ων* 12 *-o* 0, gen. *-ης* 3 *-ae* 6, *-ος* 1 *-is* 5, *-εως* 4 *-ei* 0, acc. *-ον* 4 *-um* 2, *-ην* (nom. *-ης*) 1 *-am* 0, *-αν* (nom. *-α*) 3 *-am* 2, *-ην* (nom. *-η*) 5 *-am* 2, *-ιδα* 5 *-idem* 0, *-α* 3 *-em* 0, *-εα* 2 *-eum* 0, plur. nom. *-ες* 1 *-ēs* 0, acc. *-ας* 2 *-es* 0 locis;

in fragmentis in sing. nom. *-ος* 2 *-us* 3, *-η* 3 *-a* 0, acc. *-ον* 1 *-um* 0, *-α* 1 *-em* 0 locis;

in epigrammatis in sing. nom. *-ος* 1 *-us* 0, acc. *-αν* (nom. *-α*) 0 *-am* 1, plur. acc. *-ας* 1 *-es* 0 locis;

Phaedrus in sing. nom. *-ος* 1 *-us* 22, *-ον* 0 *-um* 1, *-ης* 0 *-a* 1, *-η* 1 *-a* 0, *-ων* 3 *-o* 0, gen. *-ης* 1 *-ae* 0, *-ος* 0 *-is* 2, dat. *-ει* 0 *-eo* 1, acc. *-ον* 0 *-um* 2, *-ιδα* 0 *-idem* 1, *-α* 0 *-em* 1 locis;

Seneca

in tragoediis in sing. nom. *-ος* 38 *-us* 135, *-ον* 7 *-um* 7, *-ας* 12 *-a* 3, *-ης* 44 *-a* 4, *-η* 55 *-a* 13, *-ων* 64 *-o* 10, voc. *-η* (nom. *-η*) 12 *-a* 4, gen. *-ης* 12 *-ae* 10, *-ος* 5 *-is* 49, *-εως* 1 *-ei* 8, abl. *-η* (nom. *-η*) 1 *-a* 8, *-η* (nom. *-ης*) 9 *-a* 2, acc. *-ον* 12 *-um* 45, *-αν* (nom. *-ας*) 8 *-am* 0, *-ην* (nom. *-ης*) 28 *-am* 1, *-αν* (nom. *-α*) 2 *-am* 19, *-ην* (nom. *-η*) 27 *-am* 4, *-ιν* 7 *-im* 0, *-ιδα* 5 *-idem* 0, *-υν* 1 *-ym* 0, *-α* 29 *-em* 12, *-εα* 3 *-eum* 0, plur. nom. *-ες* 8 *-ēs* 0, acc. *-ας* 19 *-es* 0 locis;

in epigrammatis in sing. nom. *-ος* 3 *-us* 9, *-η* 2 *-a* 2, gen. *-ης* 0 *-ae* 2, *-ος* 1 *-is* 1, abl. *-η* (nom. *-η*) 0 *-a* 3, acc. *-ον* 0 *-um* 3, *-ην* (nom. *-ης*) 1 *-am* 0 *-em* 1, *-αν* (nom. *-α*) 0 *-am* 2, *-ην* (nom. *η*) 0 *-am* 2, *-α* 2 *-em* 0, *-εα* 1 *-eum* 0, plur. acc. *-ας* 1 *-es* 0 locis;

in Apocolocyntosi in sing. nom. -ος 0 -us 6, acc. -ον 0 -um 1, -ιδα 1 -idem 0, plur. acc. -ας 1 -es 0 locis;

Octaviae auctor in sing. nom. -ος 0 -us 3, -ης 1 -a 0, -η 1 -a 0, gen. -ης 1 -ae 0, acc. -ον 0 -um 2, -ην (nom. -ης) 0 -am 0 -em 1, -ην (nom. -η) 1 -am 0, -ιν 1 -im 0, -α 1 -em 0 locis;

Columella in sing. nom. -ος 3 -us 9, -ας 1 -a 0, -η 3 -a 0, -ων 2 -o 0, gen. -ης 4 -ae 0, -ος 0 -is 4, -ον 0 -um 3, -ην (nom. -η) 2 -am 0, -ιδα 1 -idem 0, -υν 1 -ym 0, -α 0 -em 2, plur. nom. -ες 1 -ēs 0, acc. -ας 2 -es 0 locis;

Persius in sing. nom. -ος 0 -us 2, -ας 1 -a 0, -ης 2 -a 1, -η 0 -a 1, gen. -ης 2 -ae 0, acc. -ον 1 -um 1, -ην (nom. -η) 2 -am 0, -ιδα 0 -idem 1, -εα 1 -eum 0, plur. acc. -ας 3 -es 0 locis;

Lucanus in sing. nom. -ος 43 -us 68, -ον 3 -um 1, -ας 12 -a 2, -ης 17 -a 3, -η 37 -a 12, -ων 27 -o 0, voc. -η (nom. η) 2 -a 0, gen. -ης 12 -ae 13, -ος 20 -is 12, -εως 4 -ei 1, abl. -η (nom. -η) 1 -a 3, acc. -ον 27 -um 42, -αν (nom. -ας) 1 -am 1, -ην (nom. -ης) 12 -am 0, -αν (nom. -α) 1 -am 32, -ην (nom. -η) 24 -am 11, -ιν 3 -im 14, -ιδα 12 -idem 0, -υν 6 -ym 0, -α 20 -em 0, -εα 5 -eum 0, plur. nom. -ες 5 -ēs 0, acc. -ας 11 -es 0 locis;

Petronius

in satura in sing. nom. -ος 4 -us 9, -ας 2 -a 0, -ης 1 -a 0, -η 8 -a 1, -ων 4 -o 0, voc. -η (nom. -η) 1 -a 0, gen. -ης 1 -ae 1, -ος 2 -is 3, -εως 1 -ei 0, acc. -ον 0 -um 1, -αν (nom. -α) 0 -am 1, -ην (nom. -η) 3 -am 0, plur. acc. -ας 3 -es 0 locis;

in fragmentis in sing. nom. -ος 0 -us 2, voc. -η (nom. -η) 1 -a 0, acc. -ον 0 -um 1, -αν (nom. -ας) 0 -am 1 locis;

Calpurnius in sing. nom. -ος 0 -us 17, -ας 12 -a 0, -η 2 -a 0, -ων 19 -o 0, voc. -η (nom. -η) 2 -a 0, gen. -ος 1 -is 3, abl. -η (nom. η) 1 -a 0, acc. -ον 3 -um 3, -αν (nom. -ας) 2 -am 1, -ην (nom. -ης) 1 -am 0, -ην (nom. -η) 7 -am 0, -ιν 1 -im 0, -ιδα 5 -idem 0, -α 1 -em 0, plur. nom. -ες 1 -ēs 0 locis;

Laudis Pisonis auctor in sing. nom. -ος 0 us 1, acc. -ον 0 -um 1 locis;

Aetnae auctor in sing. nom. -ος 3 -us 6, -ας 1 -a 0, -η 1 -a 10, -ων 1 -o 0, voc. -η (nom. -η) 2 -a 0, gen. -ης 1 -ae 4, -ος 0 -is 3, abl. -η (nom. -η) 0 -a 3, acc. -ον 5 -um 0, -αν (nom. -α) 1 -am 1, -ην (nom. -η) 1 -am 3, -ιν 1 -im 0, -ιδα 1 -idem 0, plur. acc. -ας 2 -es 0 locis;

Valerius Flaccus in sing. nom. -ος 10 -us 158, -ον 1 -um 0, -ας 29 -a 1, -ης 112 -a 2, -η 34 -a 5, -ων 91 -o 0, voc. -η (nom. -η) 3 -a 0, gen. -ης 28 -ae 8, -ος 14 -is 38, -εως 7 -ei 3, abl. -η (nom. -η) 0 -a 2, acc. -ον 17 -um 61, -αν (nom. -ας) 12 -am 1, -ην (nom. -ης) 65 -am 0 -em 2, -αν (nom. -α) 1 -am 21, -ην (nom. -η) 27 -am 4, -ιν 14 -im 5, -ιδα 12 -idem 0, -υν 8 -ym 0, -α 40 -em 0, -εα 16 -eum 0, plur. nom. -ες 12 -ēs 0, acc. -ας 11 -es 0 locis;

Silius Italicus in sing. nom. -ος 25 -us 142, -ον 3 -um 5, -ας 21 -a 15, -ης 32 -a 1, -η 60 -a 4, -ων 58 -o 0, voc. -η (nom. -η) 3 -a 1, gen. -ης 28 -ae 39, -ος 7 -is 44, dat. -ει 0 -eo 2, abl. -η (nom. -η) 4 -a 6, -η (nom. -ης) 2 -a 1, acc. -ον 10 -um 65, -αν (nom. -ας) 7 -am 5, -ην (nom. -ης) 17 -am 0 -em 2, -αν (nom. -α) 0 -am 21, -ην (nom. -η) 32 -am 13, -ιν 7 -im 21, -ιδα 5 -idem 1, -υν 4 -ym 0, -α 26 -em 7, -εα 2 -eum 0, plur. nom. -ες 6 -ēs 0, acc. -ας 11 -es 0 locis;

Iliadis Latinae auctor in sing. nom. -ος 1 -us 69, -ον 2 -um 0, -ας 3 -a 0, -ης 54 -a 0, -η 6 -a 0, -ων 8 -o 0, voc. -η (nom. -η) 1 -a 0, gen. -ης 0 -ae 1, -ος 1 -is 17, -εως 1 -ei 2, abl. -η (nom. -η) 1 -a 0, -η (nom. -ης) 0 -a 2, acc. -ον 2 -um 22, -αν (nom. -ας) 2 -am 0, -ην (nom. -ης) 9 -am 0 -em 1, -αν (nom. -α) 0 -am 2, -ην (nom. -η) 0 -am 3, -ιν 1 -im 1, -ιδα 3 -idem 1, -α 15 -em 2, -εα 4 -eum 0, plur. nom. -ες 5 -ēs 1, acc. -ας 4 -es 1 locis;

Statius

in Silvis in sing. nom. -ος 20 -us 51, -ον 1 -um 0, -as 7 -a 1, -ης 11 -a 0, -η 39 -a 3, -ων 15 -o 0, voc. -η (nom. -η) 3 -a 0, gen. -ης 22 -ae 5, -ος 6 -is 22, -εως 4 -ei 0, abl. -η (nom. -η) 0 -a 3, -η (nom. -ης) 1 -a 0, acc. -ον 10 -um 15, -αν (nom. -ας) 3 -am 0, -ην (nom. -ης) 16 -am 0 -em 2, -αν (nom. -α) 0 -am 4, -ην (nom. -η) 8 -am 1, -ιν 4 -im 4, -ιδα 9 -idem 0, -α 26 -em 0, -εα 8 -eum 0, plur. nom. -ες 7 -ēs 0, -ας 6 -es 0 locis;

in Thebaide in sing. nom. -ος 50 -us 198, -ον 5 -um 0, -ας 28 -a 0, -ης 41 -a 1, -η 78 -a 17, -ων 133 -o 0, voc. -η (nom. -η) 9 -a 0, gen. -ης 29 -ae 10, -ος 19 -is 41, -εως 32 -ei 1, dat. -ει 0 -eo 1, abl. -η (nom. -η) 2 -a 5, -η (nom. -ης) 1 -a 0, acc. -ον 48 -um 70, -αν (nom. -ας) 18 -am 1, -ην (nom. -ης) 41 -am 1, -αν (nom. -α) 6 -am 24, -ην (nom. -η) 52 -am 5, -ιν 19 -im 1, -ιδα 14 -idem 0, -υν 6 -ym 0, -α 112 -em 2, -εα 66 -eum 0, plur. nom. -ες 21 -ēs 0, acc. -ας 28 -es 0 locis;

in Achilleide in sing. nom. *-ος* 21 *-us* 20, *-ον* 5 *-um* 0, *-ης* 21 *-a* 0, *-η* 8 *-a* 4, *-ων* 7 *-o* 1, gen. *-ης* 1 *-ae* 4, *-ος* 4 *-is* 6, *-εως* 2 *-ei* 0, abl. *-η* (nom. *-η*) 0 *-a* 2, *-η* (nom. *-ης*) 2 *-a* 0, acc. *-ον* 4 *-um* 6, *-ην* (nom. *-ης*) 7 *-am* 0, *-αν* (nom. *-α*) 1 *-am* 3, *-ην* (nom. *-η*) 3 *-am* 3, *-ιν* 4 *-im* 0, *-ιδα* 2 *-idem* 0, *-α* 7 *-em* 0, *-εα* 9 *-eum* 0, plur. nom. *-ες* 7 *-ēs* 0, acc. *-ας* 8 *-es* 0 locis;

Martialis in sing. nom. *-ος* 24 *-us* 133, *-ον* 4 *-um* 0, *-ας* 24 *-a* 2, *-ης* 35 *-a* 1, *-η* 44 *-a* 5, *-ων* 30 *-o* 13, voc. *-η* (nom. *-η*) 8 *-a* 0, gen. *-ης* 25 *-ae* 6, *-ος* 17 *-is* 26, *-εως* 3 *-ei* 0, abl. *-η* (nom. *-η*) 2 *-a* 1, *-η* (nom. *-ης*) 0 *-a* 3, acc. *-ον* 15 *-um* 38, *-αν* (nom. *-ας*) 10 *-am* 2, *-ην* (nom. *-ης*) 19 *-am* 0, *-αν* (nom. *-α*) 4 *-am* 6, *-ην* (nom. *-η*) 20 *-am* 4, *-ιν* 11 *-im* 2, *-ιδα* 14 *-idem* 0, *-υν* 6 *-ym* 0, *-α* 24 *-em* 3, *-εα* 6 *-eum* 0, plur. nom. *-ες* 6 *-ēs* 0, acc. *-ας* 17 *-es* 0 locis;

Iuvenalis in sing. nom. *-ος* 6 *-us* 29, *-ον* 0 *-um* 1, *-ας* 5 *-a* 1, *-ης* 22 *-a* 1, *-η* 9 *-a* 1, *-ων* 15 *-o* 1, voc. *-η* (nom. *-η*) 2 *-a* 0, gen. *-ης* 11 *-ae* 2, *-ος* 2 *-is* 14, abl. *-η* (nom. *-η*) 6 *-a* 1, *-η* (nom. *-ης*) 0 *-a* 1, acc. *-ον* 5 *-um* 18, *-αν* (nom. *-ας*) 2 *-am* 0, *-ην* (nom. *-ης*) 7 *-am* 1, *-αν* (nom. *-α*) 0 *-am* 4, *-ην* (nom. *η*) 6 *-am* 1, *-ιν* 0 *-im* 2, *-ιδα* 3 *-idem* 1, *-α* 12 *-em* 4, *-εα* 3 *-eum* 0, plur. nom. *-ες* 5 *-ēs* 0, *-ας* 3 *-es* 0 locis.

In summa adhibuerunt terminationes

Grattius		15	Graecas	7	Latinas
Manilius		106	„	179	„
Priapeorum auctores		26	„	24	„
Germanicus in	Phaenomenis	66	„	33	„
	fragmentis	7	„	4	„
	epigrammatis	2	„	1	„
Phaedrus		6	„	31	„
Seneca in	tragoediis	411	„	334	„
	epigrammatis	11	„	25	„
	Apocolocyntosi	2	„	7	„
Octaviae auctor		6	„	6	„
Columella		20	„	17	„
Persius		12	„	7	„
Lucanus		305	„	215	„
Petronius in	satura	30	„	16	„
	fragmentis	1	„	4	„

Calpurnius	58	Graecas	24	Latinas
Laudis Pisonis auctor	—	„	2	„
Aetnae auctor	20	„	30	„
Valerius Flaccus	564	„	311	„
Silius Italicus	370	„	395	„
Iliadis Latinae auctor	123	„	125	„
Statius in Silvis	226	„	111	„
Statius in Thebaide	859	„	379	„
Statius in Achilleide	123	„	49	„
Martialis	368	„	245	„
Iuvenalis	124	„	83	„
omnes poetae	3861	„	2663	„

E centenis nominibus Graece flexerunt

Grattius 68, 2, Manilius 37, 2, Priap. auct. 52, 9, Germanicus in Phaen. 66, 7, in fragm. 63, 6, in epigr. 66, 7, Phaedrus 16, 2, Seneca in trag. 55, in epigr. 30, 6, in Apocoloc. 22, 2, Octaviae auct. 50, Columella 54, 1, Persius 66, 7, Lucanus 58, 7, Petronius in sat. 65, 2, in fragm. 20, Calpurnius 70, 7, Laudis Pisonis auct. 0, Aetnae auct. 40, Valerius Flaccus 64, 7, Silius Italicus 48, 4, Il. Lat. auct. 45, 3, Statius in Silv. 67, in Theb. 69, 4, in Ach. 71, 5, Martialis 60, Iuvenalis 59, 9, omnes poetae 59, 2.

Ut denique facilius intellegamus, quae terminationes maxime tutae fuerint a mutatione, quae contra potius adaptatae sint Latinorum declinationi, redegi eas in ordinem secundum eum numerum, quo indicatur, quot inter centum locis Graecorum usus servatus sit.

Si centum igitur locos spectamus, invenimus

locis:	Graecam terminationem:		locis:	Graecam terminationem:	
100	υν	acc.	95, 4	ην	acc. (nom. ης)
100	εα	acc.	95, 1	ιδα	acc.
99, 4	ων	nom.	90, 1	α	acc.
98, 8	ες	nom. pl.	89, 7	η	voc. (nom. η)
97, 2	ας	acc. pl.	84, 9	αν	acc. (nom. ας)
96, 4	ης	nom.	83, 4	η	nom.

locis:	Graecam terminationem:		locis:	Graecam terminationem:	
81, 4	ας	nom.	34, 5	η	abl. (nom. η)
78, 9	ην	acc. (nom. η)	28, 3	ον	acc.
77, 6	εως	gen.	26, 3	ος	gen.
68, 0	ον	nom.	18, 8	ος	nom.
62, 5	η	abl. (nom. ης)	11, 3	αν	acc. (nom. α)
62, 1	ης	gen.	0, 0	ει	dat.
51, 2	ιν	acc.			

Caput II.

Quibus causis poetae Romani ut terminationes Graecas servarent commoti sint.

Peracto primo capite, in quo de numero nominum Graecorum more terminatorum et de locis, quibus inveniuntur, satis disseruisse nobis videmur, pergamus ad alterum, in quo conabimur nonnulla afferre de causis, quibus poetas commotos esse putemus, ut Graecas terminationes servarent. Sed iam Sniehotta [1]) de his rebus ita egit, ut mihi id tantum reliquum sit, ut rationes, quas ille proposuit, fere in eam aetatem conferam, quam dissertatio mea complectitur. Ac primum quidem ea nomina, quae Latinam alteram declinationem sequi solent, tractemus.

§ 5.

De nominibus Latinam alteram declinationem sequentibus.

1. Sniehotta [2]) demonstravit „nomina geographica — omnia quidem Cycladum, ceterorum Graecorum locorum pleraque — ubique Graecas servasse terminationes". Hac, quae sequitur, disputationis parte conquiram, quomodo poetae aetatis posterioris illam regulam secuti sint. Ac primum quidem nomina urbium et insularum, si quidem significant urbes Graeciae ipsius et insulas Cycladum, ad unum omnia Graecam

1) Sniehotta l. c. p. 41—59.
2) Sniehotta l. c. p. 44 sqq.

terminationem praebere invenimus. Quem usum poetas etiam ad plerasque reliquas urbes et insulas detulisse intellegitur ex hoc indice nominum urbium et insularum, quae Graecorum more finiuntur:

Canopos (Lucan. VIII 181) *Carystos* (Senec. Tro. 836 Luc. V 232 Stat. Silv. I 5, 34, II 2, 93 Mart. IX 75, 7) *Caunos* (Stat. Silv. I 6, 15) *Chios* (Lucan. VIII 195 Stat. Silv. II 2, 93, IV 2, 28) *Cnidos* (Priap. LXXV 14) *Coptos* (Stat. Theb. I 265) *Corinthos* (Senec. Med. 35 Thy. 629) *Cypros* (Manil. IV 635 Colum. X 187 Lucan. IX 117: *-us* Um Mart. VIII 45, 7) *Damascos* (Lucan. III 215: *-us* G₁ Cp Stat. Silv. I 6, 14) *Delos* (Aetn. 5 Stat. Ach. I 206, 679) *Ephesos* (Mart. X 68, 1) *Epidamnos* (Lucan. II 624: *-us* Vp) *Epiros* (Manil. IV 690 Stat. Ach. I 420: *-us* Q) *Genabos* (Lucan. I 440) *Gnosos* (Luc. III 185) *Haliartos* (Stat. Theb. VII 274) *Herbesos* (Sil. It. XIV 264) *Ilios* (Germ. epigr. I 5) *Imbros* (Val. Flacc. II 443) *Iolcos* (Senec. Tro. 819 Colum. X 368) *Isthmos* (Senec. Phoen. 375 Med. 45 Thy. 112 H.O. 83 Lucan. I 101 Stat. Silv. III 1, 142, IV 3, 60 Theb. I 120, II 183, IV 62, VI 14) *Lemnos* (Priap. LXXV 11 Senec. H.O. 1362 Val. Flacc. II 79, 95, 431, IV 440 Stat. Theb. V 50, 184, 185, 462, 719 Ach. I 206, 678) *Lesbos* (Senec. Tro. 226 Lucan. V 744, VIII 108, 131, 139, 640 Petron. 133, 3, s Val. Flacc. III 7) *Lyrnessos* (Senec. Tro. 221) *Mallos* (Lucan. III 227) *Miletos* (Mart. VIII 28, 10 Iuv. VI 296) *Mycalesos* (Stat. Theb. VII 272) *Myconos* (Stat. Ach. I 205) *Naxos* (Senec. Oed. 488 Stat. Theb. VII 686 Ach. I 678) *Neritos* (Senec. Tro. 856) *Ninos* (Luc. III 215: *-us* P) *Olearos* (Stat. Ach. I 677) *Olenos* (Senec. Tro. 826 Stat. Theb. IV 105) *Orchomenos* (Stat. Theb. IV 295) *Panhormos* (Sil. It. XIV 261) *Panos* (Manil. IV 804) *Paphos* (Priap. LXXV 14 Sil. It. VII 457) *Paros* (Stat. Theb. V 182 Ach. I 677) *Peparethos* (Senec. Tro. 842) *Pharos* (Luc. X 92, 356) *Pharsalos* (Luc. VI 350) *Pheneos* (Stat. Theb. IV 291) *Pteleos* (Lucan. VI 352) *Pylos* (Stat. Theb. IV 125, 126 Ach. I 442) *Rhodos* (Manil. IV 764 Priap. LXXV 8 Lucan. V 51 Aetn. 6 Stat. Silv. I 1, 104 Mart. IX 20, 6, X 68, 1, XIV 68, 2 Iuv. VI 296) *Samos* (Priap. LXXV 2) *Sciathos* (Val. Flacc. II 8) *Seriphos* (Stat. Ach. I 205) *Sestos* (Senec. Phoen. 611 Val. Flacc. I 285 Stat. Ach. I 204) *Tarsos* (Lucan. III 225) *Tartessos* (Sil. It. III

399, V 399) *Tenedos* (Senec. Tro. 224 Petr. 89, 29) *Thapsos* (Sil. It. XIV 206) *Thasos* (Petr. 133, 3, 3 Stat. Silv. I 5, 34, II 2, 92 Theb. V 182) *Trogilos* (Sil. It. XIV 259) *Tyros* (Lucan. III 217 Sil. It. XIV 659 Stat. Silv. III 2, 139 Mart. VI 11, 7, X 16, 7) *Zacynthos* (Sil. It. I 290 Iuv. XV 114).

Latina terminatione haec pauca affecta sunt:

apud Grattium: *Azorus* (urbs Thessaliae), apud Valerium Flaccum: *Lampsacus* (urbs Mysiae), apud Silium Italicum: *Ebusus* (insula Pityusa)[1] *Helorus* (urbs Siciliae) *Lindus* (urbs Rhodi) *Misenus*[2]) (urbs et promunturium Campaniae) *Thapsus* (urbs Africae III 261 — sed XIV 206 idem poeta urbem Siciliae appellat *Thapsos*), apud Statium in Silvis: *Epidaurus* (urbs Dalmatiae) *Pharus* (urbs Aegypti).

Similiter se habent geographica nomina fluviorum marium montium. Horum quoque Latinam terminationem plerumque ea sola habent, quae aut erant satis nota et multum usitata, ut: *Oceanus Hellespontus* — *Caucasus Olympus Pindus*, aut non erant Graeciae ipsius ut: *Aponus Apsus Anapus Durius Eridanus Euarchus Gerus Galaesus Hebrus Hermus Metaurus Tagus Hiber Hister Menander* fluvii et *Ambenus Garganus Haemus Pelorus* montes.

Cetera nomina fluviorum marium montium terminationem Graecam praebent:

Alpheos (Senec. Thy. 117, 131 Luc. III 177 Val. Flacc. VIII 91 Stat. Theb. I 272) *Amphrysos* (Luc. VI 368: *-us* MV) *Anauros* (Luc. VII 370) *Apidanos* (Luc. VI 373: *-us* $M_1 Z_1 p_1$) *Asopos* (Luc. VI 374 Stat. Theb. VII 315, IX 449: *-us* Pμ *-us* ex *-os* L^{c}) *Bactros* (Luc. III 267) *Bosporos* (Luc. V 436 Petron. 123, 242 Val. Flacc. IV 345) *Cephisos* (Luc. III 175) *Cocytos* (Sil. It. XIII 566 Stat. Theb. VIII 30) *Elisos* (Stat. Theb. VIII 766,

---

[1]) Cf. Román y Calvet, Los nombres de las Islas Pythiusas p. 17.

[2]) Hanc femininam formam, quam structura versus VIII 538:

Phlegraei legere sinus, Misenus et ardens

propter vocalem sequentem postulavit, Silius Italicus adhibuit secutus Vergili exemplum Aen. VI 234:

monte sub aerio, qui nunc Misenus ab illo | dicitur

Neque in accusativo formando Silium ab hoc huius nominis usu declinavisse demonstrat versus XII 155:

Necnon Misenum servantem Idaea sepulcro.

XII 631) *Euenos* (Senec. H.O. 501 Luc. IV 366: *-us* p) *Euxinos* (Manil. IV 755: *-us* L) *Ilisos* (Senec. Phaed. 13) *Ismenos* (Senec. H. f. 334 Phoen. 116 Oed. 42 H.O. 141 Stat. Theb. VII 800, IX 226, 317, 404, X 27) *Sebethos* (Stat. Silv. I 2, 263) *Spercheos* (Luc. VI 367: *-us* V Stat. Theb. IV 837: *Spercheusque* P *-iusque* ω *-eosque* ς Kohlmannus Ach. I 102, 239, II 145) *Titaressos* (Senec. Tro. 847 Luc. VI 376) — *Hymettos* (Sil. It. II 218 Mart. VII 88, 8) *Lycabesos* (Stat. Theb. XII 621).

Excepta sunt nomina Graecorum fluviorum:

Achelous (Senec. H.O. 300, 496 Stat. Theb. II 731, VII 553) *Charadrus* (Stat. Theb. IV 711) *Erasinus* (Stat. Theb. I 357, IV 122, 712) *Inachus* (Sen. H.O. 139 Val. Flacc. V 209 Stat. Theb. I 357, II 218, IV 712, V 748, VI 275, VII 553) et freti *Euripus* (Sen. H. f. 378 H.O. 779 Lucan. V 235 Val. Flacc. I 454) et montium: *Acrocorinthus* (Stat. Theb. VII 106) *Maenalus* (Gratt. 100).

Imprimis mirum videtur, quod nomen *Acheloi* nobilissimi fluminis Graeciae Latinam terminationem praebet, sed huius rei causam fuisse puto euphoniam, ne duabus insequentibus *o* vocalibus aures audientis offenderentur. Quae euphonia poetas commovit, ut nonnullis personarum quoque nominibus Graecam terminationem tribuerent. Sniehotta[1]) diligenter demonstravit poetas propter veterem concentum *y* et *u* vocalium cavisse, ne his vocalibus iuxta positis uterentur. Nunquam igitur antiquitus poetas *Tityus* vel *Tityum*, sed semper *Tityos* et *Tityon* dixisse. Eadem causa fortasse effecit, ut Martialis *Mistyllos* (I 50, 1 cocus Aemiliani) et Silius Italicus *Zacynthos* (I 275 comes Herculis) diceret. Ad hoc autem nomen terminandum forsitan id aliquid momenti habuit, quod apud eundem poetam insula eiusdem nominis Graeci invenitur. Etiam post antecedentem *e* vocalem (sed non post *oe* et *ae*) semper fere Graecam terminationem *-os* servatam videmus, fortasse ut omnis cum terminatione *-ēus* similitudo vitaretur. Sic legimus non solum apud Senecam Lucanum Valerium Flaccum Statium: *Alpheos* et apud Lucanum et Statium: *Spercheos*, quorum sane Graeca terminatio significatione ipsa geographica est probata, sed etiam in Iliade Latina: *Epeos* et in Stati Thebaide: *Euneos*, quamquam neutrum

[1]) Sniehotta l. c. p. 43.

opus ullum aliud nomen personale nomine *Tityos* excepto per *-os* terminatum praebent. Solum exceptum huius generis nominum inveni *Peneleus* in Iliadis Latinae versu 167, quo loco diaeresin vocalium terminationis versus ratio postulat. Praeter nomina personalia adhuc allata haec quoque Graece sunt terminata:

Atropos (Sil. It. XVII 120 Stat. Silv. III 3, 127, IV 4, 56; 8, 19, V 1, 178 Theb. I 111, 328, III 68, IV 190, 601 Mart. X 38, 13; 44, 6) *Cestos* (Mart. I 92, 1) *Encolpos* (Mart. I 31, 2: *-os* PQF *-us* ω, V 48, 2: *-os* QF [*-o* P] *-us* Eω) *Ionos* (Lucan. VI 402) *Iros* (Mart. VI 77, 1: *-us* EFω) *Leandros* (Mart. epigr. XXV b 1, XIV 181 tit.; 1) *Sauroctonos* (Mart. XIV 172 tit.) *Tartessos* (Sil. It. XVI 465, 509).

His paucis 11 nominibus personalibus, quae Graecorum usum servaverunt, obstant plus 300 nomina deorum heroum hominum, quae Latinam terminationem receperunt. Putabis igitur his paucis non sine causa Graecum exitum datum esse. Sed hae causae mihi non sunt satis perspicuae. Coniecerim tantum *Cestos* et *Encolpos* Graecam terminationem habere propterea, quod sunt nomina puerorum, quae non minus quam nomina paelicum Graecam rationem terminandi praetulisse videntur. Praeterea fortasse Silius Italicus Hispano cuidam dedit nomen Graece terminans *Tartessos* XVI 465, 509, quod urbem Hispaniae eadem nominis forma significavit III 399, V 399.

Adiciam ea, quae semper terminationem *-os* servaverunt, nomina siderum:

Carcinos (Luc.) *hydrochoos* (Germ.) *Phosphoros* (Germ. Senec. Stat. Silv.)

et eiusdem generis nomina appellativa et adiectiva:

cestos (Mart.) *chersydros* (Luc.) *cosmicos* (Mart.) *costos* (Luc.) *crystallos* (Luc.) *hemitritaeos* (Mart.) *lapathos* (Colum.) *lotos* (Sil. It. Mart.) *sophos* (Mart.) *thapsos* (Luc.) — *Chimerinos* (Mart.) *epitrapezios* (Stat. Silv.) *Oporinos* (Mart.) *polymyxos* (Mart.) *Therinos* (Mart.).

2. Accusativus[1]) horum nominum, de quibus agitur, non minus saepe quam nominativus Graecam terminationem servavit.

[1]) **Sniehotta** l. c. p. 46.

Haec omnibus locis hexametri, quibus insequens vocabulum a vocali oritur, metro postulatur, cum Latina terminatione *-um* adhibita elisio fiat, quam poetae imprimis in nomine externo quam diligentissime fugiebant. In fine autem versus et ante insequentem consonantem terminationes Graecae et Latinae metro plane sunt pares. Quod cum 90 tantum e 232 locis accidat, intellegimus saepius metricas rationes Graecam terminationem postulavisse. Quod eo declaratur, quod 40 nomina, quae syllabam terminationi antecedentem habent correptam, ut *Aeacon Bosporon Pegason*, neque in fine hexametri neque ante vocabulum a consonanti ortum poni, elisionem autem terminatione Latina adhibita usurpare non possunt, nisi nomen sequens a vocali correpta incipit. Etiam rarius elisio fit eorum circiter 30 nominum, quorum paenultima longa, antepaenultima brevis est, cum duas breves syllabas vel unam longam initium insequentis verbi facere necesse sit. In fine autem et in positione huius generis nomina poni possunt. Sed his quoque locis saepius Graecam terminationem, quae ante vocalem postulatur, servant.

Idem, quod de nominativo Graeco nominum geographicorum diximus, de accusativo valet. Huius quoque casus illa nomina ne metro quidem postulante Graecam terminationem praebent. In Graecis enim accusativis nominum urbium et insularum, qui inveniuntur:

Cyparisson (Stat. Theb.) *Eteonon* (Stat. Theb.) *Iolcon* (Manil. Senec. Luc. Val. Flacc.) *Oricon* (Luc. Sil. It.) *Petason* (Calp.) *Pylon* (Senec.) *Schoenon* (Stat. Theb.) *Scolon* (Stat. Theb.) *Seston* (Luc. Val. Flacc.) *Solimon* (Sil. It.) *Teumeson* (Stat. Theb.) *Tyron* (Sil. It. Mart.) — *Abaton* (Luc.) *Chion* (Germ. Phaen.) *Cypron* (Sil. It. Mart.) *Gnidon* (Luc.) *Lemnon* (Sen. Val. Flacc. Stat. Theb.) *Lesbon* (Luc.) *Neriton* (Sil. It.) *Paphon* (Stat. Silv. Theb.) *Proconesson* (Val. Flacc.) *Rhodon* (Manil. Luc. Mart.) *Samon* (Stat. Theb.) *Scyron* (Stat. Ach.) *Tenedon* (Manil. Stat. Theb.)

duo tantum sunt, quibus propter metricam formam (– ⏑ ⏑) Graeca terminatione opus est. Sed reliqua quoque nomina Graece terminata plerumque aptiora sunt ad versum efficiendum quam Latine formata.

Similiter res se habet in nominibus fluviorum:

Acheloon (Stat. Theb.) *Alpheon* (Sil. It. Stat. Theb.) *Amyron* (Val. Flacc.) *Asopon* (Stat. Theb.) *Bosporon* (Lucan. Val. Flacc.) *Callichoron* (Val. Flacc.) *Charadron* (Stat. Theb.) *Cocyton* (Stat. Theb.) *Inachon* (Stat. Theb.) *Ismenon* (Senec. Stat. Theb.) *Isthmon* (Senec. Val. Flacc. Sil. It.) *Maeandron* (Luc.) *Pactolon* (Luc.)

et montium:

Caucason (Stat. Theb.) *Cytoron* (Val. Flacc.) *Erymanthon* (Stat. Silv. Theb.) *Hymetton* (Val. Flacc. Sil. It.) *Maenalon* (Priap. Stat. Theb.) *Parnason* (Senec. Stat. Theb.) *Sipylon* (Stat. Theb.) *Stymphalon* (Stat. Silv. Theb.) *Taenaron* (Luc. Val. Flacc.) *Taygeton* (Val. Flacc.).

Contra nomina personalia, quae semper Graecum accusativum adhibent, omnia fere sunt talia, ut ipsa eorum metrica ratio Graecam formam postulet:

Aeacon (Stat. Silv.) *Aeolon* (Stat. Theb.) *Antiphon* (Il. Lat. Stat. Theb.) *Cydimon* (Stat. Theb.) *Cyllaron* (Senec. Val. Flacc. Mart.) *Daedalon* (Mart.) *Dercylon* (Gratt.) *Euneon* (Stat. Theb.) *Iphiton* (Stat. Theb.) *Nyctilon* (Calpurn.) *Phaedimon* (Stat. Theb.) *Pittacon* (Iuv.) *Tantalon* (Stat. Theb.) *Thestylon* (Mart.) *Troilon* (Stat. Silv.).

In 9 nominibus, quae restant, duo sunt: *Polyidon* (Il. Lat.) et *Polyphemon* (Mart.), quae eo loco versus, quo exstant, aliter nisi Graece terminata inseri non potuerunt. Praeterea Graecam declinationem secuta sunt nomina puerorum: *Ceston* (Mart.) *Hyacinthon* (Mart.) *Phileton* (Stat. Silv.) et titulus tragoediae Pacci *Alcitheon* (Iuv.). Petronius adhibuit in prosa oratione accusativos: *Ascylton Encolpion Polyaenon* interdum fortasse, ut Graeca terminatio rhythmi efficiendi causa elisionem impediret[1]. Solus accusativus *Enceladon* ab Aetnae auctore adhibitus non habet explicationem.

Accusativi *Ascheton* (Stat. Theb.) et *Pegason* (Germ. Phaen.), quae sunt nomina equorum, metri causa Graece sunt facti.

De *Linon* et *Eiarinon* formis infra agetur.

Forma *Sirion* excepta, quae in Germanici Phaenomenis 335 metro postulatur, accusativo Graece declinato nominativum sequuntur nomina astronomica: *hydrochoon* (Germ. fragm.), cuius

[1] Exempli causa cf. 80, 6, 5: *ĕt frātr(em) Ăscȳltōn ēlēgĭt.*

nominativus semper Graece exit, *Arcton* (Manil. Germ. Phaen. Luc. Val. Flacc. Stat. Theb.) *horoscopon* (Manil.) *Scorpion* (Manil. Germ. Senec. Luc.), quae nominativum interdum Latine finiunt.

Appellativorum Graecus accusativus saepius probatur vel imitatione nominativi: *ceston* (Stat. Theb. Mart.) *coryton* (Stat. Theb.) *loton* (Sil. It.) *lygdon* (Mart.) *phaselon* (Stat. Silv. Mart.) vel metri necessitudine: *cercopithecon* (Mart.) *colosson* (Mart.) *crocodilon* (Iuv.) *distichon* (Mart.) *hippodromon* (Mart.) *hymenaeon* (Stat. Silv.) *monaulon* (Mart.) *paliuron* (Col.).

Sunt autem accusativi Graeci nominum, quorum nominativus poetis huius aetatis non est usui, qui versus, in quo exstant, structura non postulantur: *cherson* (Mart.) *chironomon* (Iuv.) *galliambon* (Mart.) *iambon* (Stat. Silv.), quorum alia sunt apud Romanos minus usitata et pro nominibus externis habita, alia termini technici poetarum sermonis.

3. Imprimis idonea, quae usum poetarum illustrent, mihi videntur ea nomina, quorum invenitur vel nominativus vel accusativus hic Latine illic Graece formatus. Neque desunt, quae in utroque casu terminando inter Graecorum et Romanorum rationes fluctuant.

Statius enim in Thebaide terminatione seiunxit fratrem Danai, qui *Aegyptus* (VI 292), a terra, quae *Aegyptos* (VI 708) nominatur. Sed etiam, si hoc nomine terra appellatur, inter Graecam et Latinam terminationem alternatur. Latina enim forma tradita est duobus locis (Octav. 522 Luc. VIII 871), Graeca autem praeter locum supra laudatum invenitur quattuor locis (Luc. VIII 444 Iuven. XV 2, 45, 116), quibus codicum lectiones sunt incertae. Tamen Graecam terminationem tenendam esse puto, quod accusativus quoque et per *-um* et *-on* terminatus invenitur. Praeterea facio cum Skutschio, qui censet in Lucani versu VIII 444 concentum *Syrtibus* — *Aegyptus* a poeta evitatum esse. Accusativum Latinum *Aegyptum* adhibuit Manilius IV 626 et Lucanus VII 711, IX 164, X 435. Sed his tribus locis Lucani memoria librorum est incerta, cum nonnulli Graecam formam praebeant, quae sola tradita in Lucani versu X 359 vocali insequenti postulatur. In eiusdem poetae versu VII 711 Latinae formae praesidio est accusativus *Libyam*, qui sequitur.

Hesperos nomen est stellae, quod Graece terminatur a Manilio (I 178) Germanico (fr. IV 74) Statio (Silv. II 6, 37 Theb. VI 581). Latine autem exit apud Senecam Columellam Aetnae auctorem Silium Italicum. Huius poetae Punicorum in versu XI 268 cod. S praebet terminationem *-os*, tamen *Hesperus* scribendum esse puto sicut XII 647, cum Graeca forma *Hesperos* apud Silium nomen sit Gaditani cuiusdam (XVI 465, 491, 520), cuius nominis accusativum quoque Graece declinavit *Hesperon* XVI 504 et 511. Seneca autem in Agamemnonis versu 821 scripsit *Hesperum*, quam Latinorum rationem et in nominativo terminando eum secutum esse supra vidimus.

Latinum nominativum *Parnasus* legimus apud Silium Italicum (XV 311) et Statium (Theb. I 118), Graecum *Parnasos* apud Senecam (Oed. 281)[1]) et Lucanum (III 173, V 72, 131), sed omnibus his locis nonnulli quidem codices Latinam terminationem praebent. Accusativus Graece flexus postulatur vocali insequenti in Stati Thebaidis versu VII 346 et in Senecae senario Phoen. 129:

quique Elin et Parnason et Boeotios.

Neque minus necessaria Latina huius casus forma est in senario Phaedri fab. Perott. 6, 2:

Qui Delphos et formosum Parnasum incolis

propter elisionem structura versus postulatam.

Bacchus a Statio (Theb. IV 739 Ach. I 616) *Euhius* appellatur, *Euhios* a Columella X 424. Etiam accusativum huius nominis et Graece et Latine declinatum invenimus. Nam *Euhion* apud Persium I 102 vocali insequente postulatur, *Euhium* Petronius scripsit in pedestri sermone 41, 6, 2.

Haec quattuor sunt nomina, quae et in nominativo et in accusativo vel Latine vel Graece flectuntur. Sequuntur ea, quorum nominativus solus est incertus. Ac primum quidem in his sunt nonnulla, quae se duplicem intellectum habere duplici nominativi terminatione indicant.

Sic est *Cyrnos* (Senec. epigr. II 2) Graecum nomen Corsicae insulae[2]), *Cyrnus* autem (Sil. It. XVI 342) nomen Hispani, cuius accusativus est *Cyrnum* (XVI 396).

[1]) Cf. cap. III § 9, 1.
[2]) Cf. cap. II § 8, 1.

Eodem modo seiungitur oppidum ad Propontidem situm, quod appellatur *Cyzicos* (Priap. LXXV 13), a rege vel Phrygum (Val. Flacc.) vel Dolonum (Sil. It.), cui nomen est *Cyzicus.*

Similiter apud Silium Italicum *Thapsos* est urbs Siciliae (XIV 206), *Thapsus* urbs Africae (III 261). Accusativo semper Latine formato *Thapsum* Valerius Flaccus III 191 appellat Cyzicenum quendam, Silius Italicus II 160 militem Hannibalis.

Saepius autem poetae euphoniae causa hanc vel illam terminationem praetulisse videntur.

Fluvius Phrygiae Latine et *Maeander* (Senec. H. f. 684 Luc. VI 475) et *Maeandrus* (Sil. It. VII 139) nominatur. Graeca autem forma *Maeandros* Seneca usus est in Phoenissarum versu 606, quo loco terminationem *-er*, quam altero loco adhibuit, vitasse videtur vocabuli *arvis*, quod sequitur, causa, quod syllabae *-er ar-* insequentes non suaviter ad aures acciderent. Ceterum Graeca terminatio *-os* repetenda est inde, quod nomen fluvii est nomen geographicum. Eodem modo terminatus est accusativus *Maeandron* a Lucano III 208, quam formam vocalis quoque quae sequitur postulat.

Pactolus flumen, quae forma Latina invenitur apud Senecam (Phoen. 604) et Iuvenalem (XIV 299), Graecorum more nominatur *Pactolos* a Seneca in Oedipodis versu 467, quo loco eundem exitum substantivi et adiectivi vitare voluisse videtur:

Divite Pactolos vexit te Lydius unda.

Graece etiam terminatur accusativus *Pactolon* apud Lucanum III 210.

Statius in Silvis praeter Graecam formam *Pergamos* (III 4, 106) adhibuit Latinam *Pergamus* in versu I 4, 100 una cum nomine item Latine terminato *Epidaurus*. Accusativus in eodem opere III 4, 68 et in Aetnae versibus 18 et 591 formatus est *Pergamon*, cum altera forma metro non conveniret.

Scyros insulae nomen secundum regulam de geographicis nominibus supra allatam Graece est terminatum a Seneca (Tro. 226) et a Statio (Ach. I 285, 658, 692, 696, II 22, 45). Etiam in Senecae Troadum versu 339, quo loco codex E *-us*, A *-os* praebet et Leo Latinam formam in textum recepit, variationem putes errorem codicum, nisi cum Skutschio Latina forma tuenda est, ut triplex repititio syllabae *-os* vitetur:

Hos Scyrus animos?

Accusativum quoque Statius Graece flexit *Scyron* (Ach. II 93), quam formam versus postulat.

Similis videtur fuisse causa, quae Germanicum commoverit, ut quamquam in versu 668 scripsit *hydrus*, in versu 432:

formatus sideris hydros

Graecam servaret terminationem.

Latinus nominativus *Antiphus* invenitur in Iliadis Latinae versibus 193, 244, 366 et Stati Thebaidis VII libri versu 755. Idem autem Statius in eiusdem operis libri IX versu 252 Graecam *Antiphos* adhibuit formam, quam insequens accusativus metri causa Graecorum more terminatus *Antiphon* effecisse videtur.

Statius scripsit *corytos* in Thebaidis libri IV versu 269 sed *corytus* in eiusdem operis libri VII versu 660, quo loco concentus nominum *corytus et arcus* terminandi rationem destinavisse videtur. E contrario Silius Italicus scripsisse videtur *gorytos*, ne plures *-us* terminationes coacervaret in versu VII 443:

parvulus ex humero gorytos et aureus arcus.

Accusativus, qui invenitur, Graecum praebet exitum in Stati Thebaide IX 730: *coryton.*

Magnus restat numerus nominativorum, quorum formas alternantes nulla causa nisi fortasse maiore vel minore scriptoris studio atque amore Latini vel Graeci usus postulari puto.

Nam Graecam formam *Myrtilos* habent Germanicus (Phaen. 160, 181, 183, 711) et Statius (Theb. VI 285), Latinam Seneca solus (Thy. 140).

Nominis *Ornyti* Latina forma designavit Calpurnius pastorem (I tit.), Statius Argivum quendam (Theb. XII 142, 207), Graeca Silius Italicus militem Carthaginiensem (XIV 478).

Saguntos feminini generis forma semper Graece (Sil. It. I 502, 573, II 446, III 178, IX 186), neutrius generis Latine desinit *Saguntum* (Luc. III 350 Sil. It. XVII 328), quibus duobus locis syllaba *-um* ultimam hexametri thesin explet.

Manilius dixit et *Scorpios* et *Scorpius*, ceteri poetae Germanicus Seneca Lucanus Martialis Graecam formam solam servaverunt. Accusativum Manilius Germanicus Seneca Lucanus metri causa semper declinaverunt *Scorpion.*

Taenari montis nomen Latine formatum invenitur apud Senecam (H. f. 663), Graece terminatum in Priapeis (LXXV 3)[1] et apud Statium (Theb. II 44). Accusativus nisi *Taenaron* flexus ad hexametrum pangendum (Luc. IX 36 Val. Flacc. I 365) idoneus non est.

Item legitur et apud Senecam (Phoen. 602) et Silium Italicum (VII 210) *Tmolus*, sed in Stati Thebaide (VII 686) *Tmolos*, et apud Senecam Lucanum Statium Martialem 7 locis *Xanthus*, sed in Aetnae versu 5 *Xanthos*.

Neque magis perspicuum est, cur *Absyrti* nominis Lucanus Graeca forma usus sit (III 190)[2], Valerius Flaccus autem Latina (V 457, VI 171, 517, VIII 261, 369), vel qua re commotus Seneca *Aeacos* dixerit (H. O. 1558), Statius (Silv. II 1, 219) autem et Iuvenalis (I 10) *Aeacus*. Ut vero accusativum Statius (Silv. III 3, 16) Graece flecteret *Aeacon*, metrum postulabat dactylicum.

Plurimi poetae Manilius Germanicus Seneca Lucanus Valerius Flaccus Martialis Graecam servaverunt formam *Arctos*, quam Statius quoque in Thebaide adhibuit (III 685, VIII 408, XII 653), qui in Silvis, si forma recte tradita est, Latinam praetulit *Arctus* (IV 3, 153), qua etiam Iliadis Latinae auctor (866) usus est. Accusativus semper est Graecus *Arcton*.

Manilius denique dixit et *horoscopos* (III 389, 518, 608) et *horoscopus* (II 829, III 200, 440, 504), sed accusativum propter insequentem vocalem semper flexit *horoscopon* (III 190, 205, 538).

Iam adeamus ad accusativi duplices formas tractandas, quarum diversitates plerumque metri ratione sunt effectae.

Nam Senecae in Herculis Oetaei versu senario 23 Latinam formam *Cerberum* adhibere licuit, Statio autem in Silvarum hexametro V 2, 95 propter insequentem vocalem Graece *Cerberon* erat flectendum.

Ut Petronius in saturarum versu hendecasyllabo 93, 2, 9 Latino accusativo usus est *cinnamum*, ita Lucanus X 167 metri causa dixit *cinnamon*.

Aeque res se habet in Graeco accusativo *Epicuron* (Priap.

[1]) Cf. cap. II § 8, 3.
[2]) Cf. cap. II § 8, 3.

XII 15), qui Latine declinatus *Epicurum* non solum invenitur in Petroni prosa oratione 104, 3, $_{2}$, sed etiam apud Iuvenalem XIII 122.

Noton quoque accusativus Graecus omnibus locis, quibus invenitur, metro postulatur (Luc. V 542, VII 364, IX 539, 695, X 243). Omnibus ceteris locis exstat *notum* apud Lucanum (II 460, V 609, VI 294) Calpurnium (I 74) Statium (Silv. III 2, 45).

Eodem discrimine separatur Latina forma *Tartarum* (Senec. Med. 632 Phoen. 145) a Graeca *Tartaron* (Manil. II 46 Stat. Silv. II 7, 117).

Similiter Petronius in pedestri sermone praeter Latinum accusativum *Eumolpum* Graecum *Eumolpon* adhibuisse videtur, ut clausulas rhythmicas redderet. Quem in finem conferas 102, 2, $_{1}$: *in hoc perīcŭl(um) Eūmŏlpŏn ărcēssŏ.*

Quam Graecorum imitationem eo magis miror, quod alio loco 70, 13, $_{2}$ dixit *Ephesum*, quamquam huius nominis geographici et nominativus et accusativus Graece exire solebat, sicut apud Lucanum VIII 244 legimus *Epheson.*

Latinam formam semper praebet accusativus *Olympum* apud Lucanum (IV 639), auctorem Laudis Pisonis (231), Valerium Flaccum (I 25), Silium Italicum (III 671, XI 457) Iliadis Latinae auctorem (863), Statium (Silv. III 2, 66). Tamen in Germanici fragmento IV 132 fortasse cum Breysigio *Olympon* scribendum est, quod codices ipsi probare videntur praebentes: *olympon* o *olympo* AMA*S *oly(i)mpum* Pς. Praeterea poeta in versu:

magnum perrumpet Olympon

fortasse syllabam *-um* crebrius repetitam vitare voluit. Accedit, quod supra diximus de similitudine *y* vocalis cum *u.*

Nonnullos quoque invenimus locos, quibus analogia quaedam terminandi rationem destinavisse videtur. Praeter Graecam enim formam *Corinthon* (Stat. Theb. I 334 Mart. IX 59, 11, X 68, 11 Iuv. VIII 113) Latina exstat *Corinthum* non solum apud Petronium in pedestri sermone 50, 4, $_{4}$, sed etiam in Manili versu IV 611:

Illyricum Epirumque lavat claramque Corinthum,

ubi duo nomina in *-um* exeuntia, quae antecedunt, *Corinthi*, qui sequitur, accusativum in suam formam redegisse videntur.

Accusativus *Phari* insulae semper est *Pharon* (Luc. VIII, IX, X libri compluribus locis, Val. Flacc. VII 85 Stat. Theb. XII 516 Iuv. VI 83, XII 76). Sed in fine versus 499 libri VIII Lucani scripsit Hosius: *Nilumque Pharumque.* Quam scripturam probo, nam quamquam codices VPUG praebent *pharon*, tamen censeo analogiam et fortasse etiam sonum elegantem postulare, ut ambo nomina insequentia eandem habeant terminationem. Cum autem Graeca forma *nilon* a codicibus P et G solis hoc loco tradatur et decem aliis locis Latina forma *Nilum* certa sit, hanc his rebus comprobatam, ut Latine flecteretur quod sequebatur *Pharum*, effecisse puto.

Graecum accusativum *Tityon* (Aetn. 80 Stat. Theb. I 710, IV 538, VII 352) esse usitatum supra vidimus. Tamen Valerius Flaccus III 226 scripsit *Tityum* fortasse nominis, quod antecedit, *Saturnum* exemplo commotus.

Nullam invenire possum causam, qua commotus Silius Italicus in Punicis V 204 adhibuerit Latinam formam *Delum*, quamquam hic accusativus omnibus ceteris locis Manili Senecae Stati Martialis Graece est declinatus. Quamobrem auctore Foerstero putare malim etiam Silium Italicum Graecam formam *Delon* adhibuisse, praesertim cum, id quod valde memorabile est, idem poeta in Punicis XI 470 Graecum accusativum servaverit *ponton*, cum ceteris permultis locis semper inveniatur forma *pontum*, de qua ne in codicibus quidem ullus error est.

Denique nonnulla verba faciam de Graecis nominativis nonnullis, quorum accusativus Latine exit. Quae dissimilitudo saepius referenda est ad id, quod alius casus invenitur apud alium poetam.

Sic Lucanus VIII 181 scripsit *Canopos*, Manilius I 216 *Canopum*, Manilius IV 755 *Euxinos*, Lucanus IX 960 *Euxinum*, Statius Ach. I 420 *Epiros*, Lucanus II 646, V 9, 496 et Silius Italicus XV 298 *Epirum*. Sed huius nominis utraque forma apud eundem quoque exstat Manilium, qui IV 690 *Epiros*, IV 611 *Epirum* scripsit, quam Latinam formam versus fortasse sonitus postulabat:

Illyricum, Epirumque lavat, claramque Corinthum.

Nominis, cuius nominativus Graecus *Caunos* in Stati legitur Silvis I 6, 15, Latino accusativo *Caunum* Silius Italicus

IV 233 usus est, ut Latina forma elisionem versus contextu necessariam admitteret.

4. Transeo ad nominativum et accusativum Graece per *-ον*, Latine per *-um* terminantem ac primum nomina urbium et insularum perlustrabo. Horum Graecam terminationem servaverunt metri causa nominativi *Dorion* (Lucan. IV 352 Stat. Theb. IV 182) et *Engyon* (Sil. It. XIV 249), accusativi *Aegion* (Stat. Theb. IV 81) *Auximon* (Luc. II 466) *Byzantion* (Luc. IX 958) *Scylaceon* (Val. Flacc. III 36), cum vocalis sequatur, praeterea *Lilybaeon* (Sil. It. XIV 75) et *Pteleon* (Stat. Theb. IV 181), quorum ultima syllaba positione producta est. Eundem exitum vocali insequenti postulatum praebent in hexametro versu posita nomina *Ilion* nom. (Sil. It. XIII 43 Il. Lat. 153, 1056) et acc. (Stat. Ach. I 959) et *Pergamon* nom. (Mart. XIV 51, 1) et acc. (Aetna 18, 591), quae in senariis versibus Latine exeunt. Quorum enim quattuor locis Graeca terminatio adhiberi non potest, quod versus ratione elisio terminationis *-um* postulatur (*Pergamum*: Senec. Tro. 14 Ag. 421 *Ilium*: Senec. Tro. 911, 1053). Ceterum nominis *Ilii* ultima syllaba *-um* explet senarii vel sextam arsin (Phaedr. III 10, 4 Senec. Tro. 22, 31 Ag. 190, 921) vel quartam positione productam (Senec. Tro. 235, 412). Praeterea Latinam acceperunt terminationem oppida Siciliae *Ergetium* (Sil. It. XIV 250) *Hadranum* (Sil. It. XIV 250) *Netum* (Sil. It. XIV 268) et insula *Gaulum* (Sil. It. XIV 274), quae terminatio necessaria est vocali insequenti in *Hadrani* et *Neti* nominibus.

Ceterorum nominum terminationem Graecam postulat vocalis, quae sequitur, in versibus dactylicis:

Dindymon nom. (Stat. Silv. I 1, 10) *Erotion* nom. (Mart. V 34, 3, X 61, 1) *Gargaron* nom. (Germ. Phaen. 585) *Pelion* nom. (Luc. VI 336, 411 Val. Flacc. II 6 Stat. Theb. X 852 Ach. I 107, 151, 249, 577, II 57) et acc. (Aetna 49 Stat. Silv. III 2, 65 Theb. VIII 79 Ach. I 39, 194 Mart. VIII 36, 6) *Rhoetion* acc. (Luc. IX 963) *Sunion* nom. (Stat. Theb. XII 625);

in versibus anapaesticis:

Senec. Phaed. 27: *Suníon urgét. si quém tangít*
„ Thy. 812: *Thressá premitúr Pelíon Ossá*
„ H.O. 1152: *nunc Théssalicám Pelíon Ossám*
„ Ag. 346: *Pelíon Ossá, pinífer ambós.*

Metrica causa, cur servaretur terminatio Graeca, non erat in prosa oratione: *elegidarion* acc. (Petron. 109, 8, 5) neque iis locis, quibus *-on* syllaba posita est in fine hexametri: *amomon* acc. (Luc. X 168) *cyperon* nom. (Petr. 127, 9, 4) *hexaclinon* acc. (Mart. IX 59, 9), vel producta est insequenti consonanti sive in hexametro: *Deltoton* nom. (Manil. I 353) et acc. (Manil. V 715 Germ. Phaen. 235) *Dodecatemorion* nom. (Manil. II 741) et acc. (Manil. II 700, 736) *peucedanon* nom. (Luc. IX 919); sive in senario: *Pelion* nom. (Senec. H. f. 971), acc. (Senec. Med. 609) *Sigeon* nom.[1]) (Senec. Tro. 932); sive in hendecasyllabo: *eschatocollion* acc. (Mart. II 6, 3).

Probabile est Martialem Graecam formam *Erotion* V 37, 14 hoc quoque loco servavisse commotum illis duobus locis supra allatis, quibus *-on* in hexametro ante vocalem positum metro postulatur. Cum alterius feminae nomen *Charmenion* etiam vocativum Graecum praebeat in libri X epigrammatis 65 senariis 2 et 15, quibus locis consonanti insequente Latina terminatio *-um* versus structurae nulli offensioni fuisset, puto Martialem ratione firma commotum haec meretricum nomina non mutavisse.

Seneca in Troadum versu 829 sapphico minore:

Pelion regnum Prothoi superbum

Graecam formam scripsisse videtur, cum quod semper illam servavit, tum, ne syllaba *-um* ter repetita cacophonia fieret. Imprimis poetae, ne in eiusdem versus arsibus easdem syllabas iterarent, veriti esse videntur.

§ 6.
De nominibus Latinam primam declinationem sequentibus.

Latinam primam, quae vocatur, declinationem sequi solent ea nomina, quorum nominativus Graecus in *-ης* vel *-ας* genetivo in *-ου* excurrente et in *-η* vel *-α* exit. Cur horum nominum poetae nonnullas Graecas formas servaverint, hoc capite inquirere conabor.

---

[1]) Seneca corripuisse videtur *e* vocalem, quae posita est in quarta versus thesi, quo loco semper syllabam exhibet brevem. Cf. Leo in editionis indice tom. II p. 403.

1. Atque saepissime metricae sunt causae, quae ut Graecorum terminationes -ης et -ας[1]) aut servarentur aut cum Latina -*a* mutarentur effecerunt. Nam in 191 nominibus Graecis huius generis, quae apud poetas, quos perlegimus, inveniuntur, 80 sunt, quorum terminationi duae syllabae correptae antecedunt: *Boreas Amphidamas Lapithes Oedipodes* similia. In dimidia igitur fere parte omnium nominum Latina terminatio et nominativi et vocativi quominus in hexametris quidem versibus adhiberetur, structura verborum ipsa impedivit, nisi poetae elisionem adhibere voluerunt. At contra nonnulla alia sunt nomina, apud poetas, quos tractavimus, octo, ut *Glaucia Marsya*, quorum paenultima brevis, antepaenultima longa est, ut Graeca terminatione servata cretica fiant, quibus in hexametro locus non est. His autem iisdem nominibus in senariis versibus saepius longa terminatione opus est, quo fit, ut apud Martialem X 62, 9 *Marsyas* legatur. Etiam vocativus *Phĭlōctētē* (Manil. V 300), quae forma neque ad Graecorum neque ad Latinorum declinandi regulam exaequata est, sua ipsius natura est postulatus, cum Latina brevi terminatione affectus in hexametro collocari non possit. Omnino plurimis locis ratio metrica vel insequentium vel antecedentium verborum causa est, cur aut Graeca terminatio servetur aut — multo sane paucioribus locis — Latina recipiatur. Exemplum huius rei praebet Seneca nomine *Laertae*, quod semel Graece:

Thy. 587: *régna Láertés Ithacá treménte*,

semel Latine terminatum:

Tro. 699: *annosque, dum te recipit, extendat suos*
Laérta: síc te iúvenis áspiciát tuús

ad versum efficiendum est idoneum.

Paucis illis locis, quibus metrica necessitas non exstat, analogia vel eiusdem nominis alio loco metri causa Graeca vel Latina terminatione affecti vel alterius eiusdem generis efficit, ut haec vel illa terminatio adhibeatur.

2. Nominum in -*as* exeuntium accusativus Graecorum more per -*an* terminatus metro tum postulatur, cum elisio ante sequentem vocalem est vitanda, quod 25 tantum locis factum

[1]) Sniehotta l. c. p. 52 sqq.

est omnium 75, quibus ea terminatio invenitur. Ceteros locos, quibus *-an* ante consonantem insequentem vel in fine versus est positum, per analogiam effectos esse puto, cum poetae non solum nonnullorum, sed etiam omnium huius generis nominum accusativum Graece declinavisse videantur, nisi qua certa causa obstabat. Quam ob rem puto in Lucani versu V 705, in quo Hosius *boream* recepit, Graecam formam *borean*, quam praebent codices PZUG, esse praeferendam, praesertim cum in ceteris 7 locis, quibus *borean* exstat, duo sint, quibus insequens verbum a consonanti incipit.

Latina terminatione *-am* poetae vicies usi sunt, sed semel tantum (Sil. It. II 111) metro postulatur, cum elidenda sit. Ceteris locis aliae causae respiciendae sunt. Ac primum quidem in nominibus Latine flexis satis multa sunt, quae non a Graecis, sed a barbaris linguis deprompta sunt: *Acherram Bagam Micipsam.* Ad haec accedit *Lucam*, qua forma iam Vergilius usus est[1]), et *Habinnam*, quam Petronius in pedestri sermone adhibuit; qui in eodem contextu etiam *Licham* Latine flexit, cum Seneca et Statius declinaverint *Lichan.*

Deinde Manilius Latinam formam praetulisse videtur; nam apud hunc solum legimus *Aeneam* IV 24, Silius autem Italicus Statius Iuvenalis semper *Aenean* scripserunt. Praeterea Manilius in versibus I 314, 372, 566 *boream* declinavit, Graecam autem formam *borean* uno tantum loco IV 646 adhibuit idque propter vocalem sequentem. Eandem rationem sequi videtur Calpurnius, qui eadem causa commotus versibus III 8 et 91 Graecam formam *Lycidan* servavit, ceterum autem Latine *Lycidam* et *boream* declinavit.

Varius est accusativus nominis *Idae.* Apud Valerium enim Flaccum VI 382 *Idam* unica forma huius generis Latine declinata est, quae invenitur. Statius autem in Thebaidis versibus V 405, VII 588, IX 755 praetulit Graecum accusativum *Idan*, quem omnibus locis optimus codex P praebet.

3. Ut nominum, quorum nominativus in *-ης* exit, accusativus Graecorum more in *-en* desinens conservetur, metri ratio iis locis postulat, quibus vocalis sequitur. Qui loci sunt 36,

[1]) Sniehotta l. c. p. 29.

Graeca vero terminatio omnino invenitur 226 locis. Metri igitur rationem non magnum habere momentum concedendum est, etiamsi eos locos respicimus, quibus nominis cuiusdam Graeca forma ante consonantem vel in fine versus ideo servata est, quod alio eiusdem poematis loco metro postulata est. Immo vero accusativi Graecam formam non minus acceptam poetis fuisse quam nominativi supra tractatam statuemus. Latina contra terminatio *-am* nominum quidem propriorum rarissima est. Saepius autem Latinae tertiae declinationis terminatio *-em* invenitur, imprimis in Senecae et Stati codicibus. Neque puto has scripturas semper esse errores scribarum, quapropter comprobare non possum, quod Friedlaender[1]) dixit de nominis *cometae* accusativo: „*em* statt *en* ist ein Fehler, zu dem die Abschreiber neigen". Et quamquam non ausus sum corrrectiones huius terminationis a viris doctis factas mutare, tamen arbitror illis iam temporibus, de quibus agimus, fluctuationem quandam *-em* et *-en* terminationum non esse negandam, quippe quam nomina Latinam tertiam declinationem secuta saepius praebere supra viderimus.

Nulla terminatione nisi *-em* affectos invenimus accusativos *Aprem* (Val. Flacc. VI 638) *Brontem* (Stat. Silv. I 1, 4) *Panchatem* (Sil. It. XVI 388) *Zetem* (Val. Flacc. VI 572). Horum nominum *Apres* (Colchus) et *Panchates* (equus) non a Graecis deprompta esse videntur. Accusativo *Zetem* Valerius Flaccus in versu VI 572:

at Latacum Zetemque Daraps . . .

fortasse propterea usus est, quod duo nomina insequentia similiter terminari voluit. De forma *Brontem* paulo infra videbimus. Invenitur enim in uno versu cum *Steropem*, quod nomen eorum est, quorum accusativus vel in *-em* vel in *-en* desinit, nam Valerius Flaccus I 446 *Steropen* dixit. In versu igitur Stati Silvarum I 1, 4:

effigies lassum Steropem Brontemque reliquit

prioris nominis terminationem *-em* propterea praelatam esse puto, quod nomen insequens a labiali littera incipit, ante quam transitus *n* antecedentis in *m* nihil habet inauditi. Secundum

[1]) Iuvenalis p. 331.

Steropem hac interpretatione comprobatum accusativus *Brontem* formatus est. Enuntiatione autem hae formae et Graecae *Steropen Bronten* inter se non multum differebant.

In nominibus, quorum accusativus dubius est, etiam numerandum est *Aeacides*, cuius accusativum *Aeaciden* et Statius in Achilleide et Silvis et Iliadis Latinae auctor in versu 914 adhibuit, qui in eiusdem carminis versu 967 *Aeacidem* adhibuit formam, in quam terminatio praecedentis vocabuli *instantem* vim habuisse videtur.

Praeterea alternant accusativi *Amphitryoniaden Atriden Tydiden* plerumque adhibiti cum Latinis *Amphitryoniadem* (Sil. It. XV 79) *Atridem* (Oct. 816) *Tydidem* (Manil. I 763). Triplicem accusativum invenimus *cometae* nominis: *cometen* (Luc. I 529 Aetn. 242 Iuv. VI 407) *cometam* (Oct. 232) *cometem* (Calp. I 78 Sil. It. IX 444).

Duo tantum sunt loci, quibus nominis proprii accusativus *-am* terminatione formatus est: Senecae Oedipodis versus 1003 et Stati Thebaidis versus XI 666: *Oedipodam*, iisque locis ideo est adhibitus, ut elisio fieri posset.

Omnia reliqua nomina, quae accusativum Latinum in *-am* exeuntem fecerunt, appellativa sunt: *chartam margaritam metretam saperdam*, contra quae stant Graece flexa: *cerasten* (Stat. Theb. XI 65) et *choraulen* (Petr. 53, 13, 8), quae minus sunt usitata.

4. Nominativus Graecus in *-η* desinens[1]) longe plurimis locis, quibus a poetis Latinis servatus exstat, metro vel versuum ratione postulatur. Quod enim ad hexametrum attinet, plus tertia pars omnium huius generis nominum (77 inter 207) sua ipsorum structura non idonea est, quorum alia terminatio atque Graeca sine elisione in versum recipiatur, cum duae syllabae antecedentes breves sint, velut *Cymodoce Danae*. Eadem causa poetae vel commoti sunt, ut quibusdam nominibus, quorum nominativus Graecus et in *-α* et praecipue in carminibus epicis in *-η* exit, semper hanc terminationem tribuerent:

Andromede (Germ. Phaen. 201, 640) *Ephyre* (Sil. It. XV 310) *Melie* voc. (Val. Flacc. IV 119) *Ocalee* (Stat. Theb. VII 260)[2])

---

[1]) Sniehotta l. c. p. 49 et 50.

[2]) Klotzius et Kohlmannus scripserunt *Ocalea*. Ille adnotavit:

Olenie (Manil. V 130) *Ortygie* (Sil. It. XIV 515) *Paphie* (Stat. Silv. III 4, 82) *Tegee* (Stat. Theb. XI 177). Quarum formarum nonnullae iam apud priores inveniuntur, ut Ovidio usui sunt *Ephyre* (met. II 240) *Melie* (amor. III 6, 25) *Ortygie* (met. XV 337 fast. IV 471). *Amymone* quoque nomen (Val. Flacc. IV 374 Stat. Theb. VI 288) tantum Graeca terminatione affectum hexametro inseri potuit.

Contra ea sunt nomina, quorum tres syllabae terminantes Graecorum ratione servata creticum efficiunt: *Arĕte Myrtale Polyxene Theophile Thessale*, quibus in hexametro positis Latina terminatione opus est, cum ad senarium efficiendum Graecus exitus magis sit idoneus. Quapropter Seneca in versibus Troadum senariis 195 et 942 *Polyxene*, Iuvenalis in hexametro X 262 *Polyxena* scripsit.

Sed etiam intra hexametrum ipsum terminandi ratio varia est, prout versus postulat, id quod optime illustratur versibus Manili IV 634:

Et genetrix Crete civem sortita Tonantem

eiusdemque libri v. 785:

Ipse venit geminus; celeris hinc Creta sagittas.

Omnino poetae, nisi causa metrica obstabat, plerumque Graecam terminationem servaverunt. Elisionem quoque eiusmodi causam esse verisimile est. Skutschium enim secutus puto poetas *ă* correptam quam *ē* productam litteram elidi maluisse, nam septies terminatio *-a* in elisione posita est, semel tantum *e*: *Cyane* apud Silium Italicum XIV 515. Quae res imprimis demonstratur usu, quem Seneca in Hercule Oetaeo secutus est, cuius in versu 1445 *Oete* non elisa, in versu 862 *Oeta* terminatione elisa invenitur, manifestius etiam Sili Italici, qui XIV 578 scripsit *Aetne*, quamquam hoc loco terminatio *-a* in ultima versus syllaba posita non minus apta fuisset, in synaloepha autem versus XIV 58 formam *Aetna* praetulit. Quam ob rem in tabula, qua terminationes metro postulatas cum ceteris com-

---

„*Ocalea* Kohlmannus (quamquam Ὠκαλέη non inauditum) *oebalidae* ex *oeclaliae* Pr *ocale(a)e* vel sim. ω“, hic: „*oeclaliae* P pr. m. *oebalidae* P sec. m. *oecaleae* B edd. *ocaleē* G² *ocaloe* S *oecalea* H *Ocalea* scripsi coll. Hom. Il. II 501“. Equidem eodem Homeri loco nisus et plurimorum codicum vestigia secutus puto *Ocalee* legendum esse.

paraturus sum, eiusmodi formas Latinas in eorum numero habebo, quae metro sunt postulatae.

Pauca sunt ea nomina, quorum Latina terminatio neque versus ratione neque elisione est effecta. Exstat enim apud Silium Italicum XIV 220 *Acesta*, apud Lucanum VI 295 *Aetna*, apud Senecam *Hecuba* (Ag. 648) et *Helena* (Tro. 863, 1136), cuius nominis Graecae formae rarissime inveniuntur, in Stati Thebaidis IX 341 et XII 146 *Lerna*, quem Latinum nominativum omnes poetae, quos tractamus, adhibuerunt [1]).

Omnia autem fere nomina appellativa, numero 25, semper Latinam terminationem receperunt, tria tantum: *haphe* (Mart. VII 67, 5) *ode* (Stat. Silv. IV 5 tit.; 7 tit.) *scytale* (Lucan. IX 717) primariam formam servaverunt, sive quia metrum postulabat, sive quia minus erant usitata et popularia.

5. Cum genetivi Graeca terminatio *-es* eadem mensura sit atque Latina *-ae*, metri causa, qua efficiatur, ut Graeca servetur terminatio, iis tantum locis exstat, quibus vocabulum, quod sequitur, a vocali vel *h* oritur. Sed inter 186 locos, quibus Graecorum ratio servata est, modo 40 sunt, quibus vocalis sequitur. Metri igitur rationem primam causam Graecae terminationis servandae putare non possumus. Maiore autem iure licet contendere genetivum saepissime nominativi exemplum secutum esse. Nam inter 49 nomina, quorum nominativus semper Graece exit, 45 sunt, quorum genetivus eadem ratione terminatus est. Quattuor qui ab hac lege discesserunt, sunt: *Andromedae Ariadnae Ortygiae Tegeae.* Sed nominativus *Andromede* (Germ. Phaen. 201, 640) semper est metro postulatus, neque plus momenti ad genetivum formandum habet nominativus *Ariadne*, cum in prosaico contextu exstet Petroni 138, 6, 1.

[1]) Martialis X 30, 8 Latina forma usus est *Caieta.* Sed hoc nomen, quamquam Vergilius Aen. VII 2 Aeneae nutricem eo appellat, tamen in Graecis nominibus non numerandum est, cum Vergilius id de *Caieta* urbe depromens finxerit. Quamobrem in Ovidi quoque metamorphoseon versu XIV 443, in quem editores priores Graecum accusativum *Caieten* intulerant, recte recentiores Latinam formam restituerunt. Etiam Graeco nominativo *Καιήτη*, qui apud Diodorum Siculum IX 56 invenitur, urbs significatur. Cf. Georges l. c. p. 107. Pauly-Wissowa, Realenzyklopädie, vol. III, p. 1323.

Nominum *Ortygiae* et *Tegeae* terminatio genetivi a poetis facta est secundum eam legem, qua, ut supra diximus, semper nominum, quorum nominativus Graecus in *-α* exit, genetivum Latine flexerunt. Illorum quoque nominum Graeci nominativi sunt *Ὀρτυγία* et *Τεγέα*, qui metri causa facti sunt *Ortygie* a Silio Italico XIV 515 et *Tegee* a Statio Theb. XI 177. Ceterum alia quaedam causa fuisse videtur, qua commotus Statius Latinum genetivum adhibuit *Tegeae*. Idem enim poeta Graecam formam non aspernatus est, quam in Thebaidis quidem versu VII 5 vocali postulatam, altero loco IX 846 per analogiam factam servavit. Tamen invenimus Latinam formam in Silvarum versu I 4, 21:

aut mitem Tegeae Dircesve hortabor alumnum,

quam fortasse Graeco insequenti nomini obicere voluit, ne utriusque nominis Graeca genetivi terminatio *-es* in arsi posita male sonaret[1]).

Item ea nomina, quorum nominativus semper Latinorum ori adaptatus est, etiam genetivum Latine flexerunt, praesertim cum omnia fere *Lerna Nympha* exceptis appellativa sint. Unum exceptum invenimus genetivum *Mycenes* apud Valerium Flaccum V 645, cuius nominativus, ut Latine terminaretur, ratio metrica postulabat versus alterius carminis Priapeorum LXXV:

Iúnoní Samos ét Mycéna dítis.

Eorum denique nominum, quorum nominativus modo Graecam modo Latinam terminationem praebet, genetivus aut eodem modo fluctuat, aut solam Graecam aut solam Latinam rationem sequitur. Graecam terminationem semper servaverunt formae *Antiopes* (Mart. I 92, 6) et *Dodones* (Luc. III 441). Sed nominativi horum nominum Latina forma non invenitur nisi iis locis, quibus pendet vel ex versus structura (*Dodona* apud Lucanum VI 427 et Statium Theb. III 106) vel ex elisione (*Antiopa* apud Persium I 78). Praeterea Graecam formam *Dodones* vocalis postulat, quae sequitur.

E contrario genetivorum *Aetnae Cretae Hecubae Helenae Spartae* nominativi Graeca forma satis est inusitata neque plerumque nisi metro postulata adhibetur.

[1]) Cf. p. 144.

Restant ea nomina, quorum genetivus — nominativo vel Graece vel Latine terminato — aliis locis in *-es* aliis in *-ae* desinit. Quo modo Valerius Flaccus II 406 *Thraces*, Statius autem in Thebaide V 435 *Thracae* declinavit. Seneca quoque in Herculis Oetaei versibus 1428 et 1863 *Alcmenae*, in versu 1825 *Alcmenes* scripsit, sed hoc loco verbum insequens a vocali incipit. Eadem causa Graeca forma *Libyes*, quae sex locis invenitur, quinquies postulatur. Semel tantum (Lucan. I 206) consonans sequitur, sed etiam hoc loco, quamquam codex B_1 *libyae* praebet, Graeca forma servanda est, ut homoeoteleuton cum adiectivo, quod antecedit, *aestiferae* evitetur. Similiter res se habet in genetivo nominis *Nemeae*. Nam Valerius Flaccus Latine dixit *Nemeae* in versu

VIII 125: *talis ab Inachiis Nemeae Tirynthius antris*,

sed Graece *Nemees* propter insequentem vocalem in versu

II 495: *quale laborantis Nemees iter aut Erymanthi.*

In reliquis quoque septem locis, quibus *Nemees* invenitur (Stat. Silv. III 1, 30, IV 6, 41, V 3, 52 Theb. V 581 Mart. epigr. VI b 1, V 65, 2, IX 71, 7) tres sunt, quibus vocalis sequitur. Euphoniae vel analogiae causas quasdam aliquid valuisse puto in Martialis versibus

V 65, 2: *Alcidae Nemees terror*[1] . . .

et IX 71, 7: *quid meruit terror Nemees, quid portitor Helles*[2]).

Accedit, quod et Statius in Silvis quidem et Martialis semper nominativum Graece terminaverunt.

Denique nolo omittere eos 22 genetivos, quorum nominativi apud poetas huius aetatis non exstant. Horum 17 Graecam terminationem *-es* servaverunt, appellativa et feminae Romanae nomen *Lyciscae* (Iuv. VI 123) Latinam supposuerunt *-ae*, unum nomen utraque terminatione usum est: *Hesionae* (Il. Lat. 626) et *Hesiones* (Lucan. IX 970).

Concedendum igitur est poetas plerumque genetivi terminationem cum nominativi forma exaequavisse, eorum vero nominum, quorum nominativus dubius erat vel deerat, genetivi Graecam formam praeoptavisse.

---

[1]) Cf. p. 144.

[2]) Cf. etiam cap. II § 8, 2.

6. Metri necessitate accusativi[1]) nominum, quorum nominativus Graecus in -η exit, terminatio Graeca *-en* postulatur, si ante vocalem insequentem posita est, ut hiatus evitetur. Quominus autem hanc causam magnum momentum ad Graecam terminationem servandam attulisse putemus, id impedit, quod inter 243 locos, quibus -ην servatum est, 53 tantum sunt, quibus vocalis sequitur. Eo plus ut ad genetivum ita ad accusativum terminandum conferre intellegemus nominativi vel nonnunquam alterius casus formam. Sexagies enim terminationem Graecam servaverunt accusativi eorum nominum, quorum omnes reliqui, qui inveniuntur, casus Graece sunt declinati. Sed Graeca forma ita placuit poetis, ut ea etiam afficerent accusativos 19 nominum, quorum alii casus non inveniuntur. Neque aliter flexit Silius Italicus I 27 *Mycenen*, cuius de Latino nominativo supra (p. 151) monui.

Praeterea in accusativo semper graecissaverunt nonnulla nomina, quorum nominativus inter Latinorum et Graecorum usum fluctuat. In hoc genere numerandae sunt hae formae:

Alcmenen praebet Seneca, qui in nominativo quoque semper Graecam terminationem servavit.

Creten invenimus apud Manilium IV 788, qui nominativum variat, et in Priapeorum carmine LXXV, quod Graecis formis abundat.

Nemeen exstat apud Valerium Flaccum III 511, qui nominativum non adhibuit, genetivum et *Nemees* et *Nemeae* declinavit, hoc loco autem Latinam formam *Nemeam* evitasse videtur, quod antecedit *quam*. Eadem forma vocali insequenti postulata usus est Statius Thebaidis locis IV 646, 664, VI 88, quorum per analogiam reliquos quoque locos IV 688, VI 368, 385 flexit. Sed mirum est, quod ille poeta non accusativum *Nemean* adhibuit, tametsi nominativi semper servavit terminationem Graecorum more productam.

Oeten accusativum legimus apud Senecam et Lucanum, qui nominativum quoque Graecum servaverunt, nisi versus ratio obstabat, et in Stati Thebaide I 119, in qua nominativus omnino non invenitur.

---

[1]) **Sniehotta** l. c. p. 53.

Idem dicendum est de accusativo *Thracen* (Stat. Theb. V 84, VII 180), cuius nominis nominativus Graecus in Silvis quidem et in Achilleide, sed non in Thebaide exstat, in qua genetivum modo Latine terminatum *Thracae* invenimus.

Saepius autem haec nomina, quorum nominativus modo Latinam modo Graecam rationem sequitur, etiam accusativum duplici modo terminatum ostendunt.

Nam praeter Graecam formam *Hesionen* invenimus Latinam *Hesionam* apud Valerium Flaccum IV 164, qua ei ad elidendum opus erat.

Latina forma *Niobam* uno loco eoque sermonis pedestris in verbis, quae Petronius 52, 2, 2 ineruditum Trimalchionem dicentem facit, nobis occurrit. In versibus autem semper accusativus Graecus *Nioben* nominativi usum secutus est.

Aetnae nominis accusativus plerumque Latine est flexus (novies). *Aetnen* nisi in Statianae Achilleidis versu I 490 non legimus. Quamquam hoc quoque loco codices Q et C *ęthnam* tradunt, tamen Graecam formam servandam censeo, ne nominis substantivi in fine versus positi terminatio eadem sit atque adiectivi *igniferam* ante caesuram collocati. Quae forma praeter nominativum *Aetne* (Silv. III 1, 130) sola est huius quidem nominis, quam Statius Graece flexit, nam in eius operibus genetivus est *Aetnae* (Ach. I 824) ablativus *Aetna* (Theb. I 458, V 50, VI 716) accusativus *Aetnam* (Theb. X 917, XI 8).

Latinam formam *Hecubam* auctor Iliadis Latinae in versu 546 adhibuit, quamquam nominativum servavit *Hecabe*. Graecus accusativus *Hecaben* dubius est in versibus Martialis

III 32, 3: *Possum Hecaben, possum Nioben, Matronia, sed si*
III 76, 4: *Cum possis Hecaben, non potes Andromachen.*

Cum amborum versuum argumentum sit simillimum, puto eandem quoque nomina terminandi rationem vindicandam esse. In posteriore versu tradunt codices B *hecaben* EAF *haec aben* QVC *hecuben* G *hecubē* P *ecuben* TO *hecubam*, quo apparet *Hecaben* codicibus optime confirmatum esse, quam formam etiam Lindsay in textum recepit, praesertim cum de *Andromachen* nomine, quod sequitur, nulla sit dubitatio. Atque notum est partes pentametri saepe et libenter a poetis eadem terminatione finiri. Qua re commotus arbitror priore quoque illo loco Graecas

nominum formas tuendas esse, etiamsi earum traditio minus est certa, cum codices Gς *hecubē* Qω *hecubam* et Qω *nioben* PXABFG *niobam* praebeant.

Graecus accusativus *Sparten*, quem in Stati Thebaide I 262 legimus, convenit cum nominativo *Sparte* ab eodem poeta adhibito. Eadem nominativi forma ubique Seneca usus est, qui accusativum Latine flexit *Spartam* in Phoenissis 128 et Agamemnone 281. Codex A quidem utroque loco terminationem *-en* vel *-em* praebet, sed in Agamemnonis saltem versu formam *Sparten* nullo pacto adhiberi posse puto, cum *-ne* particula sit adiecta. Latinam porro rationem praetulit Silius Italicus IV 365, qui nominativo caret.

Iam ea nomina enumerabo, quorum accusativi ut hic Latine illic Graece formarentur, nusquam ullam causam neque metri neque euphoniae inveni.

Andromachae nominis accusativus, quod Latinae formae *Andromacham a* vocalis ter repetita male sonat, usitatus est *Andromachen*, quem Seneca quoque in Troadum senario versu 804 tutatus est. Tamen eidem loco versus eiusdem tragoediae 576 Latinam formam *Andromacham* inseruit.

Helenam scripsit auctor Iliadis Latinae in versibus 317 et 343, quamquam in versu 638 nominativus exstat *Helene*. Graecum accusativum Petronius solus servavit isque in pedestri sermone 138, 6, 4: *et Helenen huic donasset et deas*, quo loco rhythmum quendam invenire non possum.

Idam accusativum fecit Martialis IX 103, 7, qui nominativo quoque Latine terminato usus est. Statius autem Graecam nominativi formam, nisi metrum obstabat, praetulit, quo factum est, ut accusativum declinaret *Iden* (Theb. IV 104). In Sili Italici versu VII 465 terminatio est dubia.

Nymphae nominis et nominativum et ceteros casus non solum Statius, sed etiam ceteri poetae Latine flexerunt, quapropter mirum non est Statium accusativum *nympham* flexisse (Theb. IV 720). *Nymphen* autem scripsit Germanicus (Phaen. 322), qui alium huius nominis casum non adhibuit.

Sequuntur nomina *Libye* et *Andromede*, quorum nominativus metri causa semper est Graece terminatus, accusativus inter Latinam et Graecam flexionem fluctuat. Sic in Manili versibus

IV 596 et 779 *Libyam* invenimus, sed IV 661 *Libyen*, quo loco Graeca forma vocali comprobatur sequenti. Lucani quoque et Sili Italici huius nominis usus valde incertus est. Ille enim sexies Graecam et toties Latinam, hic ter Graecam et terdecies Latinam formam adhibuit. Semel tantum metrica causa subest: Luc. IX 415. Nonnullis autem locis Graeca terminatio postulata videtur causis euphoniae, quia syllaba Latinae terminationi similis prope est posita:

Luc. IX 351: *Terrarum primam Libyen — nam proxima caelo est*
386: *Per mediam Libyen veniant atque invia temptent*
523: *Sola virens Libyen. Nam quidquid pulvere sicco*
Sil. It. I 623: *Exactam ponto Libyen testantia rostra*
III 324: *Invento primam Libyen perfudit olivo.*

Nullam autem causam invenire possum in versibus his:

Luc. I 687: *Arentemque feror Libyen, quo tristis Enyo*
IX 690: *Itque super Libyen, quae nullo consita cultu*
Sil. It. III 682: *In Libyen niveis tranavit concolor alis.*

Sed Latinam quoque terminationem nonnunquam suam causam habere versus demonstrant, qui sequuntur, Lucani

VI 817: *Europam, miseri, Libyamque Asiamque timete,*

quo loco poeta concentum quendam efficit, et

VII 711: *Aegyptum Libyamque, et terras elige morti,*

in quo versu *Libyae* Latina terminatio exemplum antecedentis *Aegypti* sequitur.

Andromedae nominis accusativus aut Latinus est *Andromedam*, aut Graecus sed contraria forma nominativo oppositus *Andromedan*, quae forma cum Graecorum communi ratione convenit. Legimus hunc accusativum in Martialis versu epigr.

XXVII 10: *Hesionen solvet solus et Andromedan,*

quo loco comprobatur Graeca forma *Hesionen*, quae praecedit. Praeterea exstat apud Manilium V 545, quo in versu codex L praebet *andromedam*, quae forma certa est quattuor aliis locis eiusdem poetae: I 350, 356, V 23, 658 et in Germanici Phaenomenis 200, 357.

Lernae nominis nominativum, qui semper Latinus est *Lerna*, accusativus quoque secutus est, quem Statius *Lernam* flexit in Thebaidis versibus II 433, X 890, XII 160. Forma *Lernan a*

vocali insuper correpta[1]), quam Statius adhibuit in Thebaïdis versu XI 434:

Exuo regales habitus, tu Lernan et Argos
Solus habe!

nova est sed metro postulata, cum neque Latina neque integra Graeca terminatio ad versum pangendum esset idonea.

Nonnulla deinde proferam de terminatione *-em*, quam haec quoque nomina, de quibus agimus, non plane respuisse videntur. Nam iis locis, quibus codicum memoria est incerta, *-em* terminationem librariorum errore contineri facile est ad coniectandum. Aliter autem res se habet, si omnes codices consentiunt, ut Manilianis locis II 406, 507, 559, quibus codices tradunt *Erigonem*. Quam formam Scaliger et Bentleius correxerunt in *Erigonen*, Iacobus autem scripturam codicibus traditam rursus recepit, neque audeo disceptare, utrum hic vir doctissimus recte censuerit an Neuius[2]), qui dicit: „wenn Fr. Jakob im Manilius noch *Erigonem* hat, aber in den Anmerkungen[3]) *Erigonen* schreibt, so wird in einer neueren Ausgabe gewiss letztere Form aufgenommen werden“[4]).

Latinum denique accusativum per *-am* terminatum solum praebent omnia nomina, quorum nominativus Latinus est. Huc praeter appellativa pertinet forma *Telesinam*, quam Martialis II 49, 1 adhibuit. Accedit accusativus *Lyciscam* (Mart. IV 17, 1), cuius nominativus non exstat, sed genetivus Latine declinatus est ab Iuvenale VI 123. Eandem accusativi formam praebet *Prochytam* (Iuv. III 5), quamquam huius nominis nominativus apud Silium Italicum semper est *Prochyte*, apud Statium elisionis tantum causa *Prochyta.* Omnia quoque appellativa, quorum neque nominativus neque alius casus invenitur, accusativi Latina terminatione usa sunt.

---

[1]) Neue I³ p. 87.

[2]) Neue I³ p. 94.

[3]) Hoc dictum est de correctionibus Scaligeri et Bentlei a Iacobo allatis.

[4]) Quod factum est in editione, quam Breiterum curavisse supra dixi. Neque ille sine ulla causa Graecam formam praetulisse videtur, cum contra Iacobum codicem afferat, qui a lectione *Erigonem* abhorret. Adnotavit enim: 406: *erigonē* o 507: *erigonem* l *erigonē* g *erigonen* m 559: *erigonē* l *erigone* g *et rigone* m.

7. Ablativi terminationes graecissans *-e* et Latina *-ā* ad versum pangendum nihil inter se distant, quapropter metricae causae non sunt respiciendae. Sed aut graecissantis aut Latinae terminationis eligendae ratio eadem est, quam ad genetivum et accusativum horum nominum formandum plurimum valuisse vidimus. Itaque omnia nomina, quorum nominativus semper Graece exit, graecissantem quoque ablativum servaverunt uno solo excepto *Ithaca*. Eorum autem nominum ablativi, quorum nominativus vel Latine vel Graece terminatus est, genetivorum Latinam rationem secuti semper in *-ā* desinunt: *Aetna Alcmena Creta Helena Ida Lerna Oeta Sparta*. Accedit ablativus *Libya*, cuius nominis nominativus propter metri necessitatem semper est Graecus *Libye*, genetivus autem plerumque in *-ae* desinit. *Hesionae* nominis Baehrensius ablativum graecissantem *Hesione* in Iliadis Latinae versu 624 scripsit, quamquam omnes codices Latinam formam tradunt. Quam ut servandam esse putem, eiusdem nominis genetivus Latine terminatus, qui in proximo versu 626 legitur, me movet.

Nominum appellativorum ut nominativi et genetivi, ita ablativi semper Latine sunt flexi.

Eandem rationem sequuntur nominum in *-ης* terminantium ablativi *charta* et *gausapa*, quibus graecissantes obstant *ceraste* et *hydraule*. Eiusdem generis nomina propria omnia fere graecissaverunt. Latine formatos invenimus hos tantum ablativos: *Atrida* apud Senecam (Ag. 292) et in Iliade Latina (90, 327) *Maca* apud Silium Italicum (IX 89). Praeterea Seneca (Oed. 943) scripsit *Oedipoda*, Statius (Theb. VII 513) *Oedipode*. Omnino omnibus fere locis nonnulli codices graecissantem terminationem praebent. Ex quo effici potest graecissantem formam scribis fuisse tritiorem.

8. Accuratius diiudicari posse videtur de variis terminationibus *Europae* nominis, cuius nominativus quidem Graecus *Europe* semper significat illam virginem mythologicam apud Germanicum (Phaen. 537) et Martialem (II 14, 5, XIV 180 tit.); apud Silium Italicum (XIV 568) nomen est navis de illa depromptum. Latina autem forma *Europa* semper nostra pars orbis terrarum nominatur (Manil. IV 681 Senec. epigr. XIII 1, LXVI 1 Lucan. IX 415 Val. Flacc. II 615 Stat. Ach. I 397 Mart.

V 74, 1). Atqui in casibus obliquis eadem disiunctio Latinae et Graecae terminationis non iam servata est. Genetivi enim Latina forma *Europae* et terram significat (Senec. Tro. 896 Ag. 205 Luc. IX 413, 686 Stat. Ach. I 788, II 64) et virginem (Senec. H. f. 9) vel virginis templum (Mart. III 20, 12). Idem valet de Graeca *Europes*, quae apud Silium Italicum (I 200) ad terram, apud Martialem (II 14, 15) ad Europae templum spectat. Idem Martialis poeta in eadem re tractanda altero loco III 20, 12 *Europae*, altero autem II 14, 15 *Europes* declinavisse videtur, ut hoc in versu substantivi et adiectivi eandem terminationem evitaret:

lotus ad Europes tepidae buxeta recurrit.

In accusativi formis perspiciendis unum tantum locum exceptum videmus e lege, qua nominativi Graecae et Latinae formae disiunguntur. Nam Manilius II 490 heroidem apellavit *Europam*, quam auctor Octaviae (766) Aetnae (89) Statius (Ach. II 74) Martialis (epigr. XVI b 1, II 14, 3) nominaverunt *Europen*. Ceterum Latina forma nominis est geographici (Senec. Ag. 274 epigr. X 2 Lucan. II 674, VI 817, IX 872 Val. Flacc. IV 727, VIII 396 Stat. Ach. I 82, 410, 730). Neque aliter ablativus nominis, de quo agitur, quamquam semper ad terram pertinet, tamen praeter solitam Latinam formam, quam Seneca (epigr. LXV 3) et Lucanus (IX 958) adhibuerunt, Graecam quoque servatam admisit, quam invenimus apud Silium Italicum I 221. Sed etiam hoc loco codices FOV formam tradunt *europa*, quam iustiorem putarem, nisi idem poeta in eiusdem libri versu 200 paulo antecedenti genetivi quoque idem significantis ac tantundem valentis Graeca forma *Europes* usus esset.

9. Nominativi terminationem *-a* poetae nisi metri necessitudine coacti non produxerunt, cum omnia huius modi nomina syllabam paenultimam et antepaenultimam haberent correptam praeter nomen *Argiae*, cuius ut longa esset terminatio, eorum versuum, in quibus invenitur, continuatione non minus postulabatur.

Huius generis nominum accusativus per *-an* terminatus satis raro invenitur, nam 21 modo locis exstat. Horum unus est prosaicus Petroni (29, 9, 2), qui scripsit: *Iliada et Odyssian*, qua forma Varro (Sat. Men. 60) in eodem contextu usus erat.

In ceteris 20 locis 13 sunt, quibus Graeca terminatio vocali, quae sequitur, explicatur. Nisi talibus locis Seneca Graecam formam non adhibuit, quae idcirco in Herculis Oetaei versu 1735:

imposuit umeris Ossan Enceladus ferox

servata est, in eiusdem autem tragoediae versu 1152:

nunc Thessalicam Pelion Ossam

cum Latina est mutata. Statius in Thebaidis versibus II 203 XII 296 ante consonantem Graece *Argian* declinavisse videtur, quia alio loco IV 91 hanc formam servare vocali insequenti cogebatur. Praeterea in versu primo citato II 203 alter Graecus accusativus *Deipylen* aliquid valuisse videtur. Eandem enim rationem secutus et Germanicus (Phaen. 51) post Graecum accusativum *Helicen* alterum quoque servavit *Cynosuran* et Martialis (epigr. XXVII 10) post *Hesionen* flexit *Andromedan*, quam formam adversus nominativum a Graecis per -η terminatum iam Ovidius[1]) (met. IV 671, 757 Ars am. I 53) praetulit.

Euphoniae gratia accusativus *Hippodamian* factus esse videtur, cum *-am* syllaba bis repetita non suaviter ad aures accidat. Legimus hanc formam in Germanici Phaenomenorum versu 162, in quo praeterea antecedit adiectivum Latine flexum *raptam*.

Restant eiusdem generis, de quo agimus, Graeci accusativi *Aean* (Val. Flacc. V 425) et *Leucothean* (Stat. Theb. IX 402), de quibus nihil habeo, quod proferam.

Ut nominum, quorum nominativum Graeci per *-ă* terminant, accusativi Graecam terminationem *-an* interdum poetae Latinorum more corriperent, versus metrica ratio postulabat[2]). Tali modo declinatos inveni accusativos: *Aeginăn* in Stati Thebaide (VII 319) *Bessăn* in Senecae Troadibus (848) *Deidamiăn* in Stati Achilleide (II 82) *Ossăn* in carminis, quod inscribitur Aetna, versu 49 et in Hercule Oetaeo (1735).

§ 7.

De nominibus Latinam tertiam declinationem sequentibus ceterisque, quae restant.

1. Iam oritur quaestio, quibus causis commoti poetae Latini

[1]) Sniehotta l. c. p. 29.

[2]) Prisc. VII 2, 5 p. 2, 287, 15 K. — Neue I[3] p. 87.

Graecam terminationem eorum nominum, quae Latinam tertiam declinationem sequi solent, aut servaverint aut mutaverint. Ac primum quidem horum nominativum casum complectamur. Non mirum est Graecas terminationes *-as -is -s*, *-ax -yx -x*, *-an -in -en*, *-or -er* apud Latinos integras inveniri, nam permulta Latina nomina iisdem syllabis terminantur. Terminatio *-τωρ* sola est, quam Latini saepius eo commutaverunt, quod *o* vocalem corripuerunt. Hoc factum esse puto per analogiam casuum obliquorum, in quibus declinandis *o* vocalis et a Graecis saepius corripitur et apud Latinos plerumque Graeca terminatione servata brevis est. Neque nominativos Latinos ut *amŏr sorŏr errŏr oratŏr* in ea re aliquid valuisse negabimus. Item deinde poetae Latini aetatis, de qua quaerimus, ut Graecam terminationem *-ων* servarent, studuerunt. Pauca tantum nomina excepta sunt, in his appellativa *artemo draco petaso spado* — *leonis* autem nomen omnino non respexi —, quae quidem erant usitatiora apud Romanos, quam ut Graeca eorum origo iam intellegeretur. Idem valet de nomine dei, qui a Graecis Ἀπόλλων, a Romanis *Apollo* nominatur [1]), cuius genetivus quoque plane Latine *Apollinis* formatus est. De Latina forma *Agamemnŏ* a Seneca adhibita iam supra (p. 47) disputavi. Altero quoque loco, quo haec forma exstat,

Stat. Ach. 553: . . . *stimulatque Agamemno volentes*

metri causa littera *n* abiecta et *o* vocalis correpta est.

Idem fecit Martialis in versu V 47, 1:

Nunquam se cenasse domi Philo iurat, et hoc est,

sed in iambico nomine correptio multo minus mira est.

Praeterea *Creontis* nominis, cuius nominativum Statius omnibus 13 Thebaidis locis, quibus invenitur, Graecum servavit *Creon*, Seneca usus est Latina forma *Creo* [2]). Sed duobus tantum locis a metro postulatur, quibus terminatio ante vocalem insequentem elidenda est:

Med. 526: *Creo atque Acastus arma si iungant sua*

Oed. 399: *invisere umbras. Te, Creo, hic poscit labor.*

[1]) Sniehotta l. c. p. 17. — Georges l. c. p. 55. — Saalfeld, Tensaurus p. 93. — Charis. I 15 p. 1, 63 sq. K. — Neue I³ p. 254, 259.

[2]) Neue I³ p. 236.

Neque audeo statuere ceteris 7 locis Senecam analogia illorum duorum commotum nomen *Creontis* in fine senarii positum Graeca littera *n* privavisse.

Vocativos horum nominum et Graeci et Romani fere semper nominativis adaequaverunt. Exceptae sunt formae *Dyma* et *Alcidama*, quas per analogiam eorum nominum eandem nominativi terminationem *-as* praebentium declinatas esse puto, quorum genetivus Graecus in *-ου* exit. Quod indicatur illo Serviano ad Vergili eclogas III 74[1]): „Sciendum Graeca nomina in *as* exeuntia, sive crescant sive non crescant in genetivo, vocativum in *a* mittere, ut *Aeneas Aeneae o Aenea, Pallas Pallantis o Palla*, ut *non haec, o Palla, dederas promissa parenti* (Verg. Aen. XI 152)“. Quam vocativi flexionem iam a Graecis adhibitam Latinorum primus imitatus est Vergilius, id quod testatur Priscianus VI 10, 54 t. 2 p. 239 K: „Sciendum, quod in *as* desinentia masculina, si *nt* habeant in genetivo, vocativum in *an* volunt terminare more Graeco, vel similem hunc nominativo servare, ut *o Calchan* vel *o Calchas* et *o Pallan* vel *o Pallas*. Vergilius tamen auctoritate poetica *o Palla* protulit in XI (v. 97): *Salve aeternum mihi, maxime Palla;* in eodem (v. 169): *Quin ego non alio digner te funere, Palla* in hoc quoque Graecorum poetas secutus. Homerus in *M' ῥαψῳδίᾳ* (v. 231): *Πουλυδάμα, σὺ μὲν οὐκέτι μοι φίλα ταῦτ' ἀγορεύεις· Πουλυδάμα* dixit pro *Πουλυδάμαν*. Menander quoque in Dardano: *Δρία παῖ, δειπνοποιεῖσθαι τί δεῖ; παῖ Δρία* dixit pro *Δρίαν*“.

2. Inter genetivi Graecam terminationem *-os* et Latinam *-is* nihil interest, quod ad metri rationem spectet. Sed poetae huius aetatis Graecam formam tutati nihil aliud fecerunt, nisi quod poetae priores eos docuerunt, qui item saepius servaverunt Graecum exitum maxime eorum nominum, quorum stirps desinit in *-on* et in *-ad* vel *-id* ac praecipue patronymicorum femininorum. Tamen interdum euphoniam aliquid valuisse puto, velut in Valeri Flacci versu II 423:

. . . *domitis a Colchidos oris,*

quo loco poeta terminationem *-is* ter repetitam evitare voluisse videtur. Similes causae poetas fortasse commoverunt, ut eidem

---

1) Ed. Thilo 3, 1 p. 39.

nomini hic Graecam illic Latinam terminationem darent. Nam Valerius Flaccus in versibus

IV 555: *Pallados ipse ultro Pelias ad sidera tollit*
V 345: *Pallados hinc carae Proserpina iuncta Dianae*
VIII 224: *ipse autem invitae iam Pallados erigere aras*[1]),

quibus locis prope terminationem *i* vocalis exstat, Graecam formam genetivi servavit, in versu autem II 53:

. . . *quanta quotiens en Palladis arte*,

in quo id non fit, Latinam adhibuit.

Sed certam legem poetas non secutos esse versus comprobant e Stati Silvis allati

III 2, 137: *antiquae Babylonis opes* . . .
et V 1, 60: *si Babylonos opes* . . .

Dativi terminatio *i* aut producitur aut corripitur, prout metri ratio postulat.

Accusativi Graeca terminatio *-a*[2]) usitatissima est omnium terminationum Graecarum. Nam in 543 locis, quibus nominis Graeci accusativus formatus est, 36 tantum sunt, quibus Latina forma adhibita est. Ceteris 507 poetae graecissaverunt. Ac semper fere hic declinandi usus metri ratione postulatus est. Plus enim tertia pars omnium nominum est, quorum syllaba paenultima brevis, antepaenultima longa est, ut consonante quidem sequenti nisi Graece terminata metro dactylico non satisfaciant: *Agamemnona Hectora Leucada Pallada.* Nam Latina terminatione *-em* adhibita haec nomina cretice desinunt et ad versum hexametrum pangendum inutilia redduntur. Qua causa Iuvenalis commotus est, ut etiam Gallici nominis *Allobrox* accusativum flecteret *Allobroga* (VII 214). Item nominum *Stygis* et *Phrygis* accusativi semper sunt *Styga* et *Phryga,* quia syllaba praecedens qualiscumque est plerumque positione producitur. Sed ceterorum quoque nominum, quorum paenultima longa est, accusativi Graeca terminatio semper fere versus ratione postulata est, cum brevis syllaba sequeretur. Etiam

[1]) De sonitu quodam acri et tenui interdum in Latino sermone conspicuo cf. F. Skutsch, Die lateinische Sprache in „Kultur der Gegenwart" I 8², Berlin 1907, p. 449.

[2]) Sniehotta l. c. p. 52.

terminationem in synaloepha positam poetae Graece *-a* quam Latine *-em* facere maluerunt, qua re denique factum est, ut in fine quoque versus illam servarent. Sed in fine et in synaloepha Graeca terminatio vicies tantum ter invenitur. Nunquam autem terminatio *-a* positione producta est, ut accentum ferret, sed in arsi semper posita est terminatio Latina *-em*. Quam ob rem ea nomina semper Latine declinantur, quorum paenultima et antepaenultima syllaba brevis est: *Aethiopem* (Iuv. VIII 33) *Atlantiadem* (Priap. LXVIII 23) *Pelopem* (Stat. Theb. VI 122), quae ratio ne iis quidem locis mutata est, quibus terminatio ante vocalem insequentem elidebatur: *Aethiopem* (Iuv. II 23) *Erycem* (Stat. Theb. IX 128). Praeterea Latina terminatio accentu postulata est his locis: Colum. X 121: *Cithaeronem*, Sil. It. II 111: *Gisgonem*, XI 484: *Magonem*, Manil. I 736: *Phaethontem*, quae forma per tres syllabas enuntianda est.

Bis Latina terminatio *-em* consonante sequenti producta est, quod versus contextui longa syllaba opus erat: *Magonem* Sil. It. XI 600 et *Acamantem* Il. Lat. 538.

Restant 8 accusativi Latini nulla metrica causa postulati. In fine enim versus scripserunt Iuvenalis (VI 170) et Silius Italicus (XVII 76, 116) *Syphacem*, Manilius (V 97) *Bellerophontem*, Martialis (X 96, 3; 104, 6) *Salonem*, Iliadis Latinae auctor (446) *Thoonem*. In elisione eandem declinandi rationem secuti sunt Iuvenalis (XIV 214), qui *Telamonem*, et Phaedrus (V prol. 7), qui *Myronem* dixit.

Duo sunt nomina propria, quorum et Graeca et Latina accusativi forma invenitur. *Atlantis* enim nominis accusativum *Atlanta* flexerunt Lucanus I 555 IX 655 Statius Theb. VIII 315 Iuvenalis VIII 32 XIII 48. Eandem formam metri necessitate coactus adhibuit Silius Italicus in Punicorum versibus XVI 415 et 659. In fine autem versus XVI 452 et in elisione VII 434 idem poeta praetulit *Atlantem*. Neque poeta seiunxit montis nomen ab Hispani nomine, nam utriusque accusativus est duplex.

Eodem modo terminationem accusativi nominis *Hectoris* mutavit Seneca, qui in tragoediarum versibus anapaesticis, ut

Tro. 98: *Hectóra flemús*

ter Graecam terminationem, in senariis autem Latinam termina-

tionem adhibuit, quam bis elisit: Tro. 189 Ag. 548, quater in arsi posuit: Tro. 459, 602, 684, 907.

Eadem, quae de nominibus propriis diximus, valent de appellativis. Nominum: *aedona aera aethera castora dorcada iapyga lampada maenada rhetora* aliorum Graeca terminatio nominis ipsius structura, omnibus ceteris locis metri necessitate postulata est. In fine enim versus haec nomina plerumque Latinam formam praetulerunt, ut *phalangem* in Sili Italici Punicis V 184, et saepius *draconem* et *spadonem*, quae quidem nomina satis erant sermone Latino trita. Latinam terminationem *-em* accentu imposito postulatam praebent praeter *chalybem* et *chlamydem*, quae nomina saepius occurrunt, *lyncem* apud Persium I 101 et *panacem* apud Columellam X 103.

Martialis *rhetoris* et *trigonis* nominum accusativos duplici modo formavit. Et senarius quidem illius versus

III 25, 3: *roga, lavetur, rhetorem Sabineium*

Latinam formam, versus vero hexameter

II 64, 1: *Dum modo causidicum, dum te modo rhetora fingis*

Graecam formam postulavit. Inter versus autem

IV 19, 5: *Seu lentum ceroma teris tepidumve trigona*

et XII 82, 3: *Captabit tepidum dextra laevaque trigonem*

nulla est dissensio, nisi quod in illo versu *trigon* locum, quo pila ludebatur, in hoc pilam ipsam significat. Sed Skutschio assentior *dextrá laeváque trigóna* dissonum esse.

Eorum quoque nominum, quorum nominativus in *-is* exit, accusativus, si syllaba crescit, plerumque Graecam terminationem praebet. 113 enim locis accusativi huius generis per *-a*, quinquies tantum per *-em* flexi sunt. Huius rei causa petenda est inde quod omnium fere nominum paenultima syllaba brevis est, antepaenultima longa, velut: *Dorida Cepheida Colchida Laida aegida*, ut Latina terminatio creticum efficiens ad hexametrum faciendum consonanti quidem sequente nullo pacto adhiberi possit. Duo *Salamis* et *endromis* nomina sola sunt excepta.

Latinae declinationis pauca exempla Phaedri versu senario V prol. 7, cuius in fine *Zeuxidem* legimus, excepto metri ratione sunt postulata, cum duae breves syllabae terminationi antecederent. Quam ob rem flexit *Paridem* Iuvenalis VI 87,

Eupolidem Persius I 124, *Pieridem* Iliadis Latinae auctor 1067, *endromidem* Iuvenalis III 103. In fine autem pentametri Martialis IV 19, 4 et XIV 126, 2 Graecam formam praetulit *endromida* [1]).

Denique tractabo nominum, quorum nominativus in *-is* exit, alteram accusativi formam, quae nominativo syllabarum numero par est. Haec apud Graecos in *-in*, apud Romanos in *-im* desinit. Graecam terminationem 31 nomina 86 locis servaverunt, Latinam supposuerunt 9 nomina 53 locis. Ac primum quidem 36 locis vocalis insequens postulabat, ut Graeca terminatio *-in* adhiberetur Neque mirum est eundem poetam eiusdem nominis eadem forma etiam iis locis usum esse, quibus metri ratio habenda non erat. Huius rei exemplum praebet Germanicus, qui in Phaenomenorum versu 360:

auster pristin agit. duo sidera perlegit unum

elisionis evitandae causa Graecam formam adhibere cogebatur, quam propterea etiam in versu sequenti servavit:

namque aries supra pristin piscesque feruntur

neque in versu 381 mutavit.

Eadem de causa Statius accusativum *Chromin*, quo Thebaidis quattuor locis ante vocalem opus erat, unico loco IV 597, quo consonans sequitur, tutatus est.

Deinde nemo negabit exemplum multorum accusativorum, qui metri causa Graece declinati erant, alia quoque nomina eiusdem generis secuta esse. Quod factum esse videtur in Stati Thebaide, quo in carmine 20 accusativi per *-in* terminati exstant, quorum 12 metri necessitate sunt postulati, 8 per analogiam declinati. Hac Stati consuetudine commotus puto et in primi libri versu 718, ubi Kohlmannus scripsit *Osirim*, Graecam formam *Osirin* praeferendam esse, quam codices *ω* et veteres editiones tradunt [2]). Nam apparet librarios quam facillime et *-in* corrupisse in *-im* et compendium, quo *im* vel *in* indicatur [3]), falso rescripsisse, cuius rei et aliae terminationes testimonio afferri possunt.

---

1) Cf. adnotat. Friedlaenderi p. 32.

2) Klotzium quoque in editione, quam postea cognovi, idem arbitratum Graecum accusativum *Osirin* in textum recepisse non sine gaudio vidi.

3) Sniehotta l. c. p. 27 adnot. 2 et p. 30.

Accusativi, qui semper Latine flectuntur, sunt hi:

Abarim (Val. Flacc. Sil. It.) *Alabim* (Sil. It.) *Caralim* (Sil. It.) *Hipparim* (Sil. It.) *Isim* (Luc.) *Sagarim* (Mart.) *Syrtim* (Luc. Sil. It.) *Thybrim* (Luc. Stat. Silv. Sil. It.) *Tingim* (Sil. It.).

Pleraque igitur non Graeca, sed barbara nomina sunt, quorum Latina terminatio nonnunquam etiam elisione, qua opus erat, postulabatur.

Optime poetarum usus illustratur iis formis, quae modo Graece, modo Latine declinatae sunt.

Sic Martialis IV 75, 6 scripsit *Alcestin*, Iuvenalis autem VI 653 Latina forma *Alcestim* usus est, quod versus ratio elisionem postulabat.

Quam ut evitaret, Martialis IX 61, 2 Graece flexit *Baetin*. Statius vero in Silvis II 7, 35 formam *Baetim*, Silius Italicus in Punicis XIII 676 *Baetem* praetulerunt.

Item *Phasin* praeter Valeri Flacci versum VII 220 iis tantum locis exstat, quibus vocalis sequitur (Manil. V 45 Senec. Med. 451 Stat. Theb. V 458 Val. Flacc. II 379), *Phasim* autem Statius (Silv. I 6, 55) in fine versus, Valerius Flaccus (I 43, 87) ante consonantem scripserunt.

Tigridis quoque fluminis accusativum fecit *Tigrim* Lucanus (III 261, VII 433, VIII 214), *Tigrin* Seneca (Tro. 11) ante vocalem.

Tigridis bestiae accusativum Graecum *tigrin* praetulerunt Grattius 165, Valerius Flaccus VI 704, Statius Theb. VI 722, Latinum autem adhibuerunt Silius Italicus V 148 et Manilius V 708, qui hac terminatione iis locis, quibus metrum non obstabat, semper usus est.

Latine declinavit *Tanaim* praeter Manilium IV 677 Lucanus VIII 319. Altero autem loco IX 751 scripsit *Tanain*, fortasse eo consilio, ne verbum *missus*, quod sequitur, ab eadem littera inciperet, quo nomen Latine flexum desiisset. Praeterea huius nominis Graeca forma usus est Statius et in Thebaide XII 578, in qua eam semper exhibet, et in Silvarum versu I 6, 55:

credas ad Tanain ferumque Phasim,

ut nominum terminationem variaret, et Seneca in Troadum versu 9 ante vocalem, quocum Bothius congruentem reddidit Agamemnonis versum 679, in quo consonans sequitur.

Charybdis nominis Latinus accusativus *Charybdim* legitur apud Manilium IV 605, Lucanum IV 461, Iuvenalem V 102, neque causam invenire possum, qua commotus Silius Italicus, quamquam in Punicorum versu XIV 256:

Tauromenitana cernunt de sede Charybdim

eundem usum sequitur, in eiusdem operis versu II 308:

contorta e fundo revomentem transtra Charybdin

Graecam formam praetulerit.

Neque magis perspicua est causa, quae Valerium Flaccum commovit, ut in versu IV 77:

velocem roseis demittit nubibus Irim

Latinam formam adhiberet, Graecam autem eodem loco versus VII 186:

. . . *volucrem tunc advocat Irin.*

Quam Graecam formam Statius quoque in Thebaide servavit metri necessitate commotus in versu X 81, quem sequi voluit alterum locum IV 461:

nominibusque cient Pholoen Admetus et Irin,

ubi alter accusativus Graecus, qui antecedit, alicuius momenti fuisse potest. Latinum contra accusativum *Irim* legimus apud Silium Italicum IX 471, 529, 551 et in Iliade Latina 223.

Nonnulla denique restant nomina, quorum accusativus et per *-in* vel *-im* et per *-ida* vel *-idem* terminatus invenitur.

Ita Lucanus in fine versus V 236 hexametri posuit *Aulin*, Seneca autem *Aulida* flectere maluit in Agamemnonis senario 567:

tardamque ratibus Aulida: hanc arcem occupat,

quae forma etiam Statio aptior videbatur ad Thebaidis hexametrum VII 332 efficiendum:

Aulida qui Graeamque serunt viridesque Plataeas.

Elidis nominis accusativum variavit Seneca. Troadum enim versui adonio 850:

Elida claram

haec forma sola satisfecit, in Phoenissarum autem senario 129:

quique Elin et Parnason et Boeotios

alteram formam praetulit, quam Statius quoque adhibuit in Silvarum versu II 6, 47 ante vocalem.

Paridis nominis accusativus semper Latine flexus est, sed prout metri ratio postulabat, aut *Parim*, ut a Martiale XII 52, 10:

Absolvit Phrygium vestra rapina Parim

aut *Paridem*, ut ab Iuvenale VI 87:

utque magis stupeas, ludos Paridemque reliquit.

3. Eorundem nominum, quorum huius capitis primo loco nominativum et vocativum singularem, altero eiusdem numeri ceteros casus perlustravimus, iam plurales casus contemplemur[1]).

Ac nominativus quidem per *-es* *e* vocali Graecorum more correpta terminatus saepissime a metro postulatus est imprimis eorum nominum, quorum paenultima syllaba brevis, antepaenultima longa est, qua re, ut iam saepius demonstravimus, fieri non poterat, quin terminatione longa adhibita creticus ab hexametro efficiendo valde alienus efficeretur. Cum numerus horum nominum tantus sit, ut plus tertiam partem omnium expleat, nonnulla satis habeo exempla attulisse: *Atlantides Arcades Amazones Iazyges rhetores*, ad quae accedit *Phryges*, quod nomen plerumque syllabam antecedentem produxit. Neque fere alius casus est, cuius Graeca forma a metro postulata totiens aliis quoque locis adhibita sit. Nam satis multa nomina sunt, quorum duae syllabae terminationi antecedentes breves sunt, ita ut in hexametro quidem iis longa terminatione opus sit: *Argolides Iliades Alcyones Cappadoces Aethiopes Arabes Libyes* multa alia. Sed ne his quidem locis, ut eos omittam, quibus metri ratio aliorum quoque nominum longam terminationem postulat, poetae Latina terminatione *-ēs* longam syllabam effecerunt, sed ubique positione usi sunt, quamobrem etiam illo uno loco Iliadis Latinae 790:

Acrius adsurgunt Troes; at Achaica turba

fere necesse videtur Latinam terminationem *-ēs*, quam in editionibus invenimus, tollamus secundum codicum vestigia in pagina 59 allata pro *at* scribentes *sed*.

Nominativi potissimum exemplo effectum esse puto, ut accusativi[2]) quoque terminatio saepissime Graecam formam servaret. Sane quidem metrum dactylicum saepe eam postulavit imprimis eorum nominum, quorum nominativum quoque Latine terminatum ab hexametro abhorrere vidimus: *Arcadas*

[1]) Sniehotta l. c. p. 48 sq.
[2]) Sniehotta l. c. p. 48 sq.

Bistonas Colchidas. Libenter nimirum poetae eundem usum sequebantur, quocumque loco versui brevi syllaba opus erat. Qua re Graeca terminatio ita usitata reddebatur, ut poetae ea etiam in positione et in fine versus uterentur, quibus locis metro incolumi Latinam declinationem sequi potuerunt.

Inter Latinam et Graecam formam haesitant accusativi horum nominum:

Statius in Silvarum versu V 2, 123 et in Thebaidis versibus VII 94 et IX 845 Graecam formam *Arcadas* servavit, quae sola hexametri metro conveniebat. Latine autem flexum invenimus *Arcades* in Priapeorum versu XXXVI 5:

fronte crinitos Arcades vides Faunos,

quo loco fortasse consulto homoeoteleuton effectum est.

Quod Petronius in prosaico contextu 102, 14, 2 Latine dixit *Arabes*, cum in versibus Valeri Flacci VI 139 et Manili IV 654, 754 *Arabas* legamus, non mirum est.

Metri necessitate postulatur Latina forma in Iuvenalis versu VII 11: *tripodes armaria cistas*, cum verbum insequens a vocali incipiat. Omnibus ceteris locis apud Lucanum Statium Silium Italicum Graecam formam invenimus *tripodas*.

Cycladis nominis Statius (Theb. V 288 Ach. I 205, 390, 530, 676) et Silius Italicus (I 472) primam syllabam productam habuerunt, qua re in hexametro Graeca forma *Cycladas* uti cogebantur. Manilius autem eandem syllabam corripuit, quam ob rem ante vocalem nulla nisi Latina forma ad hexametrum pangendum apta erat. Sed ante consonantem quoque eam adhibuit in versu IV 637

Litora, inaequalis Cyclades, Delonque Rhodonque.

Idem poeta Latinum accusativum *gigantes* praetulit in fine versus I 421, cuius nominis Martialis Lucanus Silius Italicus semper Graecam formam *gigantas* adhibuerunt, etiamsi eundem versus locum explebat.

Nomina, quae semper accusativum pluralem Latine terminaverunt, haec 4 sunt: *Tritones dracones chlamydes parapsides*. Haec forma *parapsides* non solum in prosaico contextu Petroni 50, 6, 1 invenitur, sed etiam in Martialis versu XI 31, 18:

sic implet gabatas parapsidesque,

quo loco poeta fortasse duo deinceps nomina terminatione vari-

are voluit. Ceterum horum nominum Graecae flexionis mutatae causae inveniri non possunt, nisi ea iam in frequentiorem apud Romanos usum venisse putamus.

Accusativi restant *Syrtes* vel *Syrtis*, *metamorphosis*, *tigres* vel *tigris*, qui minime sunt miri, cum Graecae formae exeant in -εις. Horum nominum terminatio *-is* nonnunquam adhibita non solum Romanorum usu satis comprobatur, sed etiam Graecae -εις simillima est.

4. Graeca terminatio -ευς [1]) Latinis erat ignota, sed facile fieri potuit, ut eam in duas syllabas dirimerent et ea re nomina huius generis Latinae alteri declinationi adaptarent. Poetas autem semper terminationem *-eus* Graecorum more per dipthongum enuntiandam servavisse supra satis explanavimus. Iam summatim brevi demonstrabimus semper fere hunc usum metro postulatum esse. Nomina enim huius generis talia sunt, ut aut duae breves syllabae aut longa syllaba terminationi *-eus* antecedat. Illorum terminatio, ut una longa syllaba sit, metrum dactylicum semper postulat. Horum autem terminationem saepissime consonans sequitur, qua re eadem necessitas pronuntiandi efficitur. Undecies tantum vocalis sequitur, quibus locis Latinae pronuntiationi analogia ceterorum plurimorum impedimento est.

Genetivi horum nominum forma semper fere metri necessitate variatur [2]). Ea enim nomina, quorum syllaba antepaenultima longa est, Graeca terminatione *-eos* afficienda sunt, cum Latina *-eï* adhibita creticus a dactylico metro alienus efficiatur. Neque haec ratio quicquam adiumenti tulisset, nisi Graecae terminationis -εως ο vocalis per analogiam ceterorum nominum genetivi in -ος desinentis correpta esset. Sin autem genetivus huius generis nominis in fine versus positus est, Latina terminatio *-ei* in dipthongum contracta sola ad usum accommodata est. Huius rei invenimus exemplum:

Val. Flacc. IV 425: *litora fatidici poenis horrentia Phinĕi.*

Eodem modo flectendus est genetivus nominis *Idomeneus* propter duas syllabas breves, quae antecedunt:

Il. Lat. 774: *dextraque Ídomenĕi cadit Asius* . . .

[1]) Sniehotta l. c. p. 50 sqq.
[2]) Sniehotta l. c. p. 51.

Sane quidem poetae hanc Latinam terminationem contractam post longam syllabam intra versum adhibere potuerant, sed ubique duas breves syllabas *-eos* praetulerunt. Latina autem terminatio *-ei* nisi in elisione posita in duas syllabas non dirempta est:

Manil. II 28: *Perseï et Andromedae* . . .

Contra fere res se habet in senario, ad quem versum pangendum creticus Latina terminatione *-ei* distracta post longam syllabam effectus commodissimus est [1]). Quapropter Seneca in tragoediarum senariis hanc rationem sexies secutus est et semel tantum contractio elisione efficitur:

Tro. 341: *Atrei et Thyestae nobilem novi domum.*

Praeterea Seneca duobus huius generis genetivis in hendecasyllabo et in anapaestico versu usus est, quorum illius ratio Latinam terminationem distractam:

Ag. 616: *quam non Peleï Thetidisque natus,*

huius Graecam poposcit:

Oed. 442: *iam post laceros Pentheos artus.*

Dativus horum nominum semper Latina terminatione *-eo* flectitur, quae metro postulatur solius versus senarii Phaedri

III prol. 57: *Linoque Apollo sit parens, Musa Orpheo.*

Eandem autem in hexametro quoque adhibitam esse eo magis mirum mihi videtur, quod semper in fine versus posita contrahenda est, quo loco Graeca *-ει* multo facilius collocari potuit. Fortasse autem poetae similitudinem genetivi terminationis *-ei* evitare voluerunt.

Omnium horum nominum, quorum accusativus [2]) invenitur, ultima stirpis syllaba longa est: *Thesea Promethea Orphea* etc., ut Latina terminatio versibus hexametris resultet.

5. Graecam terminationem -υς Romani non mutaverunt, quod eandem vel similem non habebant. Nomen *Rhadamanthus* „nihil aliud esse nisi formam satis antiquam et usitatam, cuius nominis vera origo formaque prorsus obsolevisset“ Sniehotta (p. 42) docuit.

Genetivus horum nominum semper Graece declinatus est: *Myos Tethyos* etc. propter similitudinem *y* et *i* vocalium.

[1]) Idem valet de nominativo *Phalereus* a Phaedro adhibito (supra p. 36).

[2]) Sniehotta l. c. p 51.

Cur ubique accusativi terminationem *-yn* tuendam esse putem, iam supra (p. 94) exposui. Ibidem causam attuli eam, quod in Romanorum lingua non erat syllaba Graecae *-υν* compar. Quod hae formae ante vocalem non elidebantur, poetis acceptum fuerit, sed eos hac re commotos esse, ut terminationem *-yn* servarent, non puto. Immo vero fortuito evenisse arbitror, ut decies sexies inter 61 locos nomen, cuius prima littera vocalis est, sequeretur.

Neutrius quoque generis nomina, quorum Graecus nominativus in *-ος*, stirps in *-ες* exit, cum nulla Latinae declinationis forma congruebant. Propterea etiam Phaedrus, qui ceteroqui Graeca nomina evitasse vel Latina terminatione vulgari suo scribendi generi adaptasse videtur, *melos* formam servavit [1]). Sed omnes poetae aetatis, de qua quaerimus, aeque ac priores dixerunt *pelagus* [2]), quod nomen iam antiquitus ita prorsus in Romanorum sermonem transierat, ut genere quidem neutro servato praeter pluralis formam *pelage* plane secundum alteram quae vocatur Latinam declinationem flecteretur. Quod hoc nomen eiusque casus tam saepe anteponebantur Latino nomini *maris*, fortasse inde fluxit, quod *pelagi* nominativus et accusativus singularis insequente consonanti, ceteri autem casus per se aptissimi erant metro dactylico. Similia fere dicenda puto de nomine *cetus* (Manil. I 433), quod item iam ab antiquis — genere quoque neutro in masculinum traducto — mutatum est. Nam hanc formam iam apud Plautum (Aul. 375 Capt. 851) legimus [3]).

Neque alia de causa atque nomina in *-υς* et *-ος* desinentia cetera quoque, quae supersunt, minus usitata terminationem suam Graecam *-ως* vel *-ους* vel *-ω* servaverunt. Quamquam *aegoceros* nominis Germanicus et Lucanus casus obliquos secundum Latinam alteram declinationem flexerunt (cf. supra p. 109), tamen *-ως* Graeci nominativi *o* vocalem productam servavisse comprobat Germanici versus fragm. III 16:

aegoceros alias parcit, sed frigora durat.

---

1) Cf. quod **Sniehotta** p. 42 de eodem nomine ab Ennio servato dixit.

2) **Neue** I³ p. 502 sqq. — **Sniehotta** l. c. p. 42.

3) **Saalfeld** l. c. p. 265.

Horum nominum accusativi terminatio *-on* omnibus locis, quibus invenitur, incerta est, cum aut in fine versus aut ante consonantem posita sit. Unus locus exceptus est Valeri Flacci versus I 664, quo *Athon* legimus *o* vocali correpta. Quae correptio, quam versus eius ratio postulavit, comprobatur eadem forma a Vergilio in simili georgicorum contextu I 332 adhibita, de qua Sniehotta l. c. p. 33 sqq. copiosius egit. Analogia accusativi Graecae secundae declinationis, de qua ille monuit, facile intellegi potest.

Nominativus *Gorgon* e genetivo retro deductus est, quem Graeci quoque *Γοργόνος* declinare non veriti sunt. Hoc nomen frequentatione imprimis mobile fuisse nominativus demonstrat a posterioribus formatus *Gorgona*. Nominum huius generis genetivum saepe declinatum invenimus *Didonis Gorgonis*, quae formae analogia factae sunt nominum Latinorum ut *sermo, sermonis*. Qua in re perspicienda non neglegendum est, quod Graeca nomina, quorum nominativus in *-os*, genetivus in *-otis* exit, non raro stirpis exitum dentalem cum *n* mutant, sicut Petronius et *Nicerotem* et *Niceronem* dixit[1]).

In accusativo flectendo poetae saepius praetulerunt Aeolicam terminationem *-on*, cuius similitudinem cum accusativi forma nominum, quorum nominativus in *-ως* exit, alicuius momenti fuisse puto.

Reliquum est, ut verba faciam de genetivo nominum, quorum nominativus in *-ης*, stirps in *-ες* exit. Statius genetivum fecit et *Eteoclis* et *Eteocleos*, prout haec vel illa forma aptior erat ad versum pangendum, id quod comprobatur versibus Thebaidis

XII 57: *Accipit et saevi manes Eteoclis iniquos*

et XII 91: *Regem te, regem tristes Eteocleos umbrae.*

De genetivo in *-us* exeuntis, quem invenimus in Martialis[2]) versu IV 39, 3:

solus Praxitelus manum Scopaeque

in excerptis ex Charisi arte grammatica (1, 542 K) legimus: „Si qua autem [nomina] flexo accentu reperiuntur, haec in suo

[1]) Cf. p. 99.

[2]) Friedlaender ed. p. I 354.

remanent statu et Graecam declinationem secuntur, velut *hic Eumenes huius Eumenus*, *Euprepes Euprepus:* quamquam quidam *Euprepes Euprepetis Eumenis Eumenetis* declinari voluerunt".

§ 8.

De Graecis formis, quarum originem poetae ipsi ostentaverunt, iisque quae maiorum exempla imitati receperunt[1]).

1. Nonnulli sunt loci, quibus poetae ipsi alicuius nominis Graecam originem ostentaverunt. Atque minime mirum est ibidem poetas Graecam etiam formam servavisse. Praecipue id fecerunt, si cuius personae vel rei Graecum nomen opposuerunt Latino.

Huius rei perbonum exemplum praebet Silius Italicus, qui in Punicorum libri IX versibus 70 et qui sequuntur Sulmonis Italiae oppidi Graecam originem narrat his verbis:

. . . fuerant Sulmone relicti
. . . et una
Nomine Rhoeteo Solimus; nam Dardana origo
Et Phrygio genus a proavo, qui, sceptra secutus
Aeneae, claram muris fundaverat urbem
Ex sese dictam Solimon; celebrata colonis
Mox Italis, paulatim attrito nomine, Sulmo.

Poeta igitur, quamquam conditoris nomen Latine terminavit, oppidi Graecam formam praetulit.

Neque alio modo Seneca Corsicae insulae vetus nomen Graecum composuit cum Latino in epigrammatis alterius versu secundo:

Corsica, quae privo nomine Cyrnos eras.

Eundem usum secutus est Germanicus in Phaenomenorum versu 25:

Axem Cretaeae dextra laevaque tuentur
sive arctoe seu Romani cognominis ursae,

quo loco Graecum nomen appellativum Latino vertit.

Sed non solum in contentione nominum et comparatione, sed etiam ceteris locis Graecam formam servatam videmus, quibus eam a Graecis adhibitam esse poetae ipsi dixerunt.

---

[1]) Sniehotta l. c. p. 43 sq.

Qua ratione comprobatur poli nominis Graecus accusativus in Germanici Phaenomenorum versu 22:

. . . extremum geminus determinat axem,
quem Grai dixere polon.

Eandem legem observavit Martialis, cum in IX libri epigrammate 11 Eiarini pueri venustatem carmine celebrare metri difficultate se prohiberi indignatus invideret Graecorum poetarum licentiae metricae et libertati, cuius in epigrammatis versibus 10 et qui sequuntur, legimus:

Nomen nobile, molle, delicatum
Versu dicere non rudi volebam:
Sed tu syllaba contumax repugnas.
Dicunt Eiarinon tamen poetae,
Sed Graeci, quibus est nihil negatum
Et quos Ἄρες Ἄρες decet sonare.

Item praetulit idem poeta Graecam formam, cum Graecorum Apollinem deum faceret dicentem:

„Ipse meum flevi" dixit Apollo „Linon" (IX 86, 4).

Ut hoc loco Graecam formam servaret, praecipue eum movisse videtur illud *αἶ Λίνον*, quod non solum in threnis in Lini mortem factis sed etiam aliis locis[1]) in universum pro voce flebili usurpatum saepissime invenitur.

Eandem viam ingressus est Lucanus, quamquam non Graecos ipsos appellavit, sed Graecam vetustatem. Dixit enim X 323:

Hinc, Abaton quam nostra vocat veneranda vetustas,
Petra patens primos sentit percussa tumultus.

Dubitatio quaedam, quamquam Graeca forma certa est, de Manili alterius libri versu 897 esse potest:

Daemonien memorant Graii, Romana per ora
quaeritur in versu titulus.

Hoc enim loco Iacobus *Daemonion* adnotavit sub littera A, qua editionem Antoni Molini Matisconensis[2]) reddit, de qua dicit[3]): „et rarissima est et saepe sui desiderium movit, quia

[1]) Cf. Aesch. Ag. 121 Soph. Ai. 627 Eur. Phoen. 1535 Orest. 1380 Mosch. 3, 1 Nonn. Dion. 19, 180.

[2]) Cf. Foerster, Quaestiones physiognomonicae. Kiliae 1890, p. 1 sqq.

[3]) Edit. p. IX.

ex antiquo codice fluxisse dicitur". Fortasse igitur, quamquam codices LMG *daemonien* praebent, haec forma recta est, praesertim cum in simili eiusdem libri versus 937 contextu nomen neutrius generis inveniatur:

Asperum erit templum; titulus, quem Graecia fecit,
Daemonium.

Hinc quidem magna difficultas oritur, cum contra usum ab omnibus poetis servatum omnes codices tradant Latinam formam, quam propter eorum omnium consensum corrigere non ausus sum.

2. Paulo crebriores ii loci sunt, quibus poetae cum Graecorum poetarum versibus niterentur, Graecas quoque formas receperunt[1]).

De uno loco huiusmodi rationis Sniehotta[2]) monuit, cum diceret: „neque errabimus Ciceronis illud quod est in Arateis (35/36): *Alcyone Meropeque Celaeno Taygeteque*
Electra Asteropeque simul sanctissima Maia

aeque atque versus Germanici (Arat. 262/63):

Electra Alcyoneque Celaenoque Meropeque
Asteropeque et Taygete et Maia parente

ex Arati phaen. v. 262 sq. verbotenus depromptum esse statuentes:

῾Αλκυόνη Μερόπη τε Κελαινώ τ᾽ ᾿Ηλέκτρη τε
καὶ Στερόπη καὶ Τηυγέτη καὶ πότνια Μαῖα."

Eadem causa commotus idem Germanicus poeta Graecum nominativum pluralem alterius declinationis servavisse videtur in phaenomenorum versu 63:

oceani tumidis ignotae fluctibus arctoe,

quem assimilatum esse apparet Arateo phaen. 48:

῎Αρκτοι κυανέου πεφυλαγμέναι ᾿Ωκεανοῖο.

Statium in Thebaide nonnumquam Homeri versus imitatum esse nonnulli loci comprobant, quos afferam. Versus enim IV 285:

. . . *agmina bello*
Rhipeque et Stratie ventosaque donat Enispe

admonet de Homeri Iliadis versu B 606:

---

[1]) Sniehotta l. c. p. 54—57.
[2]) Sniehotta l. c. p. 56.

. . . ἄνερες ἀγχιμαχηταί,
οἵ . . . ἐνέμοντο . . .
Ῥίπην τε Στρατίην τε καὶ ἠνεμόεσσαν Ἐνίσπην[1]).

Deinde conferas versus VII 259 et sequentes:

Iungunt se castris regisque in nomen adoptant
Ocalee Medeonque et confertissima lucis
Nisa Dionaeisque avibus circumsona Thisbe[2])

et Homeri Iliadis B 501 sq.:

Ὠκαλέην Μεδεῶνά τ', ἐυκτίμενον πτολίεθρον,
Κώπας Εὔτρησίν τε πολυτρήρωνά τε Θίσβην.

His scilicet duobus locis Statius casum quidem mutavit, sed Graecam declinationem servavit. In versibus autem VII 344 et sequentibus:

. . . qui Panopen, qui Daulida, qui Cyparisson,
Et valles, Lebadea, tuas et Hyampolin acri
Subnixam scopulo, vel qui Parnason utrumque
Aut Cirrham tauris Anemoriamque supinant
Coryciumque nemus propellentemque Lilaeam
Cephisi glaciale caput . . .

nomina eundem casum praebent, quem habent in Iliadis versibus B 517 sqq.:

. . . Σχεδίος καὶ Ἐπίστροφος . . .
οἳ Κυπάρισσον ἔχον Πυθῶνά τε πετρήεσσαν
Κρῖσάν τε ζαθέην καὶ Δαυλίδα καὶ Πανοπῆα,
οἵ τ' Ἀνεμώρειαν καὶ Ὑάμπολιν ἀμφενέμοντο,
οἵ τ' ἄρα πὰρ ποταμὸν Κηφισὸν δῖον ἔναιον,
οἵ τε Λίλαιαν ἔχον πηγῆς ἔπι Κηφισοῖο[3]).

Mirum quidem est, quod hoc loco non omnium nominum servavit Graecam terminationem, sed accusativum Latinae primae quae vocatur declinationis Latine flexit.

Neque a vero aberrabimus statuentes Martialem in primi libri epigrammate quinquagesimo pangendo:

Si tibi Mistyllos cocus, Aemiliane, vocatur,
Dicatur quare non Taratalla mihi?

---

[1]) Rud. Helm, De P. Papinii Statii Thebaide, Berolini 1892, p. 18.
[2]) Helm l. c. p. 15, 16.
[3]) Helm l. c. p. 17.

Homeri verba μίστυλλόν τ' ἄρα τἆλλα (A 465) in animo habuisse [1]).

Eandem viam ingressi sunt poetae imitati versus Latinos prioris aetatis. Eorum quoque Graecas formas in suum contextum recipere consueverunt.

Ita Martialis in decimi libri versu 68, 1:

Cum tibi non Ephesos nec sit Rhodos aut Mytilene

Graecam declinationem tutatus est, quam Horatius adhibuerat in carminum libri primi versu 7, 1:

. . . *claram Rhodon aut Mytilenen*

Aut Epheson . . .

Praeterea Valeri Flacci verba *nudusque Pyracmon*, quibus versum I 583 finivit, admonent de Vergili Aeneidis versu VIII 425: . . . *et nudus membra Pyracmon.*

Idem poeta, cum in verbis *nepotem Pleiones* Graecum genetivum adhiberet (I 737/8), Ovidi exemplum secutus esse videtur, apud quem bis legimus *Pleionesque nepos* (her. XVI 62 met. II 742).

Semper denique Graecam formam praebent verba *portitor Helles*, quae apud Lucanum IV 57 Columellam X 155 Martialem IX 71, 7 invenimus.

3. Sunt praeterea nonnulli loci, quibus vel Graecae terminationes servatae coacervantur, ut in Priapeorum carmine LXXV, vel Graeca terminatio talium invenitur nominum, quae aliis locis Latine declinari solent, ut in Lucani tertii libri versu 190, in quo solo *Absyrti* nominis Graecus nominativus exstat. Qui loci colorem quendam Graecum duxisse videntur, quem facilius sentire quam verbis complecti et efferre possumus, quamobrem paucos tantum tales locos exempli causa proponam. Graecae autem terminationes fortasse servatae sunt vel ideo, quod ii loci vel translati sunt e Graecis, quos non iam servatos habemus, vel libere imitando effícti sunt a poeta Graecorum quorundam versuum memoriam tenente, vel graecissandi ratio propterea in deliciis habetur, quod iis locis Graecorum mores, religiones, fabulae narrantur. Quo spectare videntur Lucani quinti libri versus 71 et sequentes, in quibus quomodo oraculum

[1]) Cf. **Friedlaenderi** adnotationem in editionis pagina 198.

Delphicum ortum sit explicatur. Idem valet de eiusdem poetae V libri versibus 130 et sequentibus, in quibus Phemonoe Pythia Apollinem ex oraculo suo cessisse Appio frustra persuadere conata in tripode considere cogitur et divino spiritu excitata vaticinatur. Facilius est intellectu ut Graecae terminationes serventur eos locos postulare, qui regionum descriptiones continent, cum poetas in nominibus geographicis et terminandis et declinandis Graecorum usum imprimis tutatos esse iam supra intellexerimus. Itaque plurimas Graecas formas invenimus in Priapeorum carmine LXXV, in quo Graecorum deorum dearumque loci sancti enumerantur. Aeque res se habet in Senecae Oedipodis versibus 276 sqq., in quibus tres illae viae describuntur, quae oriuntur ab illo trivio, in quo Laius trucidatus est. Dilucidissime vero Graecum stilum originemque sentimus Lucani tertii libri versuum 169—297. Quo loco poeta, cum manus Pompei partes secuturas undique convenientes enarret, verbose enumerat Graecas vel barbaras urbes, gentes, fluvios, montes, quorum omnium fere nominum Graecam formam servavit. Cuius loci praeterea Graecum exemplum, quod poeta etsi non verbis at consilio et dispositione imitatus est, cognoscere licet. Nam vix errabimus Lucano navium clarissimum illum catalogum Iliadis B 484—877 ante oculos versatum esse statuentes.

Ex iis, quae de causis, quibus commoti poetae Romani terminationem Graecam servaverint, diximus, iam satis apparet minime metri necessitatem solam causam fuisse, ut Koenius[1]) censuit. Quae res optime illustratur conspectu III, quem addidi. In hoc nomina appellativa propter eandem causam, quam supra exposui, non respexi.

Conspectus III.

quo quot Graecae et quot Latinae formae metri necessitate postulatae sint illustratur.

Apud Grattium

invenitur sing. nom. -ης 1, -η 2 -*a* 1, -ων 4, gen. -ης 1, acc. -ον 1 -*um* 1, -ην (nom. -ης) 2, -ιν 1, plur. acc. -ας 1 locis; metro postulatur sing. nom. -ης 1, -η 1 -*a* 1, -ων 0, gen.

---

[1]) Koene. Über die Sprache der römischen Epiker. Münster 1840.

-ης 1, acc. *-ον* 1 *-um* 0, *-ην* (nom. *-ης*) 0, *-ιν* 0, plur. acc. *-ας* 1 locis;

apud Manilium

invenitur sing. nom. *-ον* 2 *-um* 1, *-ας* 3, *-η* 14 *-a* 3, *-ων* 12, *-ευς* 14, gen. *-ης* 2 *-ae* 3, acc. *-ον* 14 *-um* 51, *-am* (nom. *-ας*) 1, *-αν* (nom. *-α*) 1 *-am* 13, *-ην* (nom. *-η*) 9 *-am* 4, *-ιν* 1 *-im* 2, *-ιδα* 4, *-α* 8 *-em* 2, plur. acc. *-ας* 5 *-es* 2 locis;

metro postulatur sing. nom. *-ον* 0 *-um* 0, *-ας* 3, *-η* 14 *-a* 3, *-ων* 6, *-ευς* 14, gen. *-ης* 0 *-ae* 0, acc. *-ον* 8 *-um* 8, *-am* (nom. *-ας*) 0, *-αν* (nom. *-α*) 0 *-am* 2, *-ην* (nom. *-η*) 5 *-am* 0, *-ιν* 1 *-im* 0, *-ιδα* 4, *-α* 7 *-em* 1, plur. acc. *-ας* 5 *-es* 0 locis;

in Priapeis

invenitur sing. nom. *-ας* 2, *-ης* 3, *-η* 4 *-a* 1, *-ευς* 2, gen. *-ης* 1, acc. *-ον* 2 *-um* 5, *-am* (nom. *-α*) 1, *-ην* (nom. *-η*) 2, *-ιδα* 1, *-em* 2, plur. acc. *-ας* 2 *-es* 1 locis;

metro postulatur sing. nom. *-ας* 2, *-ης* 3, *-η* 3 *-a* 1, *-ευς* 2, gen. *-ης* 0, acc. *-ον* 2 *-um* 0, *-am* (nom. *-α*) 0, *-ην* (nom. *-η*) 1, *-ιδα* 1, *-em* 2, plur. acc. *-ας* 1 *-es* 0 locis;

in Germanici phaenomenis

invenitur sing. nom. *-ον* 1, *-ης* 2, *-η* 13, *-ων* 12, *-ευς* 6, gen. *-ης* 3 *-ae* 6, acc. *-ον* 4 *-um* 2, *-ην* (nom. *-ης*) 1, *-αν* (nom. *-α*) 3 *-am* 2, *-ην* (nom. *-η*) 5 *-am* 2, *-ιδα* 5, *-α* 3, plur. acc. *-ας* 2 locis;

metro postulatur sing. nom. *-ον* 1, *-ης* 2, *-η* 13, *-ων* 6, *-ευς* 6, gen. *-ης* 0 *-ae* 0, acc. *-ον* 3 *-um* 0, *-ην* (nom. *-ης*) 0, *-αν* (nom. *-α*) 0 *-am* 0, *-ην* (nom. *-η*) 1 *-am* 0, *-ιδα* 5, *-α* 3, plur. acc. *-ας* 0 locis;

in Germanici fragmentis

invenitur sing. nom. *-η* 3, acc. *-ον* 1, *-α* 1 locis;

metro postulatur sing. nom. *-η* 2, acc. *-ον* 0, *-α* 1 locis;

in Germanici epigrammatis

invenitur sing. acc. *-am* (nom. *-α*) 1 loco;

metro postulatur sing. acc. *-am* (nom. *-α*) 1 loco;

apud Phaedrum

invenitur sing. nom. *-um* 1, *-a* (graec. *-ης*) 1, *-η* 1, *-ων* 3, *-ευς* 3, gen. *-ης* 1, acc. *-um* 2, *-idem* 1, *-em* 1 locis;

metro postulatur sing. nom. *-um* 0, *-a* (graec. *-ης*) 0, *-η* 1, *-ων* 0, *-ευς* 3, gen. *-ης* 0, acc. *-um* 0, *-idem* 0, *-em* 0 locis;

in Senecae tragoediis

invenitur sing. nom. *-ον* 7 *-um* 7, *-ας* 12 *-a* 3, *-ης* 44 *-a* 4, *-η* 55 *-a* 13, *-ων* 64 *-o* 10, *-ευς* 49, gen. *-ης* 12 *-ae* 10, acc. *-ον* 12 *-um* 45, *-αν* (nom. *-ας*) 8, *-ην* (nom. *-ης*) 28 *-am* 1, *-αν* (nom. *-α*) 2 *-am* 19, *-ην* (nom. *-η*) 27 *-am* 4, *-ιν* 7, *-ιδα* 5, *-a* 29 *-em* 12, plur. acc. *-ας* 19 locis;

metro postulatur sing. nom. *-ον* 4 *-um* 3, *-ας* 9 *-a* 3, *-ης* 40 *-a* 3, *-η* 37 *-a* 12, *-ων* 12 *-o* 3, *-ευς* 49, gen. *-ης* 2 *-ae* 0, acc. *-ον* 5 *-um* 7, *-αν* (nom. *-ας*) 2, *-ην* (nom. *-ης*) 2 *-am* 1, *-αν* (nom. *-α*) 2 *-am* 3, *-ην* (nom. *-η*) 4 *-am* 0, *-ιν* 5, *-ιδα* 5, *-a* 20 *-em* 7, plur. acc. *-ας* 4 locis;

in Senecae epigrammatis

invenitur sing. nom. *-η* 2 *-a* 2, *-ευς* 2, gen. *-ae* 2, acc. *-um* 3, *-ην* (nom. *-ης*) 1, *-am* (nom. *-α*) 2, *-am* (nom. *-η*) 2, *-a* 2, plur. acc. *-ας* 1 locis;

metro postulatur sing. nom. *-η* 2 *-a* 2, *-ευς* 2, gen. *-ae* 0, acc. *-um* 0, *-ην* (nom. *-ης*) 0, *-am* (nom. *-α*) 0, *-am* (nom. *-ης*) 0, *-a* 2, plur. acc. *-ας* 1 locis;

in Senecae apocolocyntosi

invenitur sing. acc. *-um* 1, *-ιδα* 1, plur. acc. *-ας* 1 locis;

metro postulatur sing. acc. *-um* 0, *-ιδα* 1, plur. acc. *-ας* 0 locis;

in Octavia

invenitur sing. nom. *-ης* 1, *-η* 1, *-ευς* 1, gen. *-ης* 1, acc. *-um* 2, *-ην* (nom. *-η*) 1, *-ιν* 1, *-a* 1 locis;

metro postulatur sing. nom. *-ης* 1, *-η* 1, *-ευς* 1, gen. *-ης* 1, acc. *-um* 0, *-ην* (nom. *-ης*) 0, *-ιν* 0, *-a* 0 locis;

apud Columellam

invenitur sing. nom. *-ας* 1, *-η* 3, *-ων* 2, gen. *-ης* 4, acc. *-um* 3, *-ην* (nom. *-η*) 2, *-ιδα* 1, *-em* 1, plur. acc. *-ας* 2 locis;

metro postulatur sing. nom. *-ας* 1, *-η* 3, *-ων* 0, gen. *-ης* 1, acc. *-um* 0, *-ην* (nom. *-η*) 1, *-ιδα* 1, *-em* 1, plur. acc. *-ας* 1 locis;

apud Persium

invenitur sing. nom. *-ας* 1, *-ης* 2 *-a* 1, *-a* (graec. *-η*) 1, gen. *-ης* 2, acc. *-ον* 1 *-um* 1, *-ην* (nom. *-η*) 2, *-idem* 1, plur. acc. *-ας* 3 locis;

metro postulatur sing. nom. *-ας* 1, *-ης* 0 *-a* 0, *-a* (graec. *-η*) 0, gen. *-ης* 2, acc. *-ον* 1 *-um* 0, *-ην* (nom. *-η*) 0, *-idem* 1, plur. acc. *-ας* 1 locis;

apud Lucanum

invenitur sing. nom. -ον 3 -um 1, -ας 12 -a 2, -ης 17 -a 3, -η 37 -a 12, -ων 27, -ευς 12, gen. -ης 12 -ae 13, acc. -ον 27 -um 42, -αν (nom. -ας) 1 -am 1, -ην (nom. -ης) 12, -αν (nom. -α) 1 -am 32, -ην (nom. -η) 24 -am 11, -ιν 3 -im 14, -ιδα 12, -α 20, plur. acc. -ας 11 locis;

metro postulatur sing. nom. -ον 3 -um 0, -ας 8 -a 2, -ης 15 -a 0, -η 27 -a 10, -ων 2, -ευς 12, gen. -ης 5 -ae 0, acc. -ον 14 -um 1, -αν (nom. -ας) 0 -am 0, -ην (nom. -ης) 2, -αν (nom. -α) 1 -am 0, -ην (nom. -η) 5 -am 0, -ιν 1 -im 0, -ιδα 12, -α 18, plur. acc. -ας 3 locis;

in Petroni satura

invenitur sing. nom. -ας 2, -ης 1, -η 8 -a 1, -ων 4, -ευς 2, gen. -ης 1 -ae 1, acc. -um 1, -am (nom. -α) 1, -ην (nom. -η) 3, plur. acc. -ας 3 locis;

metro postulatur sing. nom. -ας 2, -ης 1, -η 3 -a 1, -ων 0, -ευς 1, gen. -ης 0 -ae 0, acc. -um 0, -am (nom. -α) 0, -ην (nom. -η) 2, plur. acc. -ας 3 locis;

in Petroni fragmentis

invenitur sing. acc. -um 1, -am (nom. -ας) 1 locis;

metro postulatur sing. acc. -um 0, -am (nom. -ας) 0 locis;

apud Calpurnium

invenitur sing. nom. -ας 12, -η 2, -ων 19, acc. -ον 3 -um 3, -αν (nom. -ας) 2 -am 1, -ην (nom. -ης) 1, -ην (nom. -η) 7, -ιν 1, -ιδα 5, -α 1 locis;

metro postulatur sing. nom. -ας 3, -η 1, -ων 1, acc. -ον 2 -um 0, -αν (nom. -ας) 2 -am 0, -ην (nom. -ης) 0, -ην (nom. -η) 1, -ιν 0, -ιδα 5, -α 1 locis;

in Laude Pisonis

invenitur sing. acc. -um 1 loco;

metro postulatur sing. acc. -um 0 loco;

in Aetna

invenitur sing. nom. -ας 1, -η 1 -a 10, -ων 1, -ευς 1, gen. -ης 1 -ae 4, acc. -ον 5, -αν (nom. -α) 1 -am 1, -ην (nom. -η) 1 -am 3, -ιν 1, -ιδα 1, plur. acc. -ας 2 locis;

metro postulatur sing. nom. -ας 1, -η 1 -a 6, -ων 1, -ευς 1, gen. -ης 1 -ae 0, acc. -ον 3, -αν (nom. -α) 1 -am 0, -ην (nom. -η) 1 -am 0, -ιν 1, -ιδα 1, plur. acc. -ας 1 locis;

apud Valerium Flaccum

invenitur sing. nom. -ον 1, -ας 29 -*a* 1, -ης 112 -*a* 2, -η 34 -*a* 5, -ων 91, -ευς 30, gen. -ης 28 -*ae* 8, acc. -ον 17 -*um* 61, -αν (nom. -ας) 12 -*am* 1, -ην (nom. -ης) 65, -αν (nom. -α) 1 -*am* 21, -ην (nom. -η) 27 -*am* 4, -ιν 14 -*im* 5, -ιδα 12, -α 40, plur. acc. -ας 11 locis;

metro postulatur sing. nom. -ον 1, -ας 25 -*a* 1, -ης 95 -*a* 2, -η 26 -*a* 5, -ων 9, -ευς 30, gen. -ης 6 -*ae* 0, acc. -ον 5 -*um* 3, -αν (nom. -ας) 4 -*am* 0, -ην (nom. -ης) 12, -αν (nom. -α) 0 -*am* 1, -ην (nom. -η) 6 -*am* 0, -ιν 3 -*im* 0, -ιδα 11, -α 39, plur. acc. -ας 9 locis;

apud Silium Italicum

invenitur sing. nom. -ον 3 -*um* 5, -ας 21 -*a* 15, -ης 32 -*a* 1, -η 60 -*a* 4, -ων 58, -ευς 14, gen. -ης 28 -*ae* 39, acc. -ον 10 -*um* 65, -αν (nom. -ας) 7 -*am* 5, -ην (nom. -ης) 17, -*am* (nom. α) 21, -ην (nom. -η) 32 -*am* 13, -ιν 7 -*im* 21, -ιδα 5 -*idem* 1, -α 26 -*em* 7, plur. acc. -ας 11 locis;

metro postulatur sing. nom. -ον 2 -*um* 2, -ας 16 -*a* 15, -ης 19 -*a* 1, -η 35 -*a* 4, -ων 7, -ευς 12, gen. -ης 8 -*ae* 1, acc. -ον 6 -*um* 8, -αν (nom. -ας) 2 -*am* 1, -ην (nom. -ης) 4, -*am* (nom. -α) 5, -ην (nom. -η) 8 -*am* 2, -ιν 4 -*im* 4, -ιδα 4 -*idem* 0, -α 26 -*em* 6, plur. acc. -ας 4 locis;

in Iliade Latina

invenitur sing. nom. -ον 2, -ας 3, -ης 54, -η 6, -ων 8, -ευς 10, gen. -*ae* 1, acc. -ον 2 -*um* 22, -αν (nom. -ας) 2, -ην (nom. -ης) 9, -*am* (nom. -α) 2, -*am* (nom. -η) 3, -ιν 1 -*im* 1, -ιδα 3 -*idem* 1, -α 15 -*em* 2, plur. acc. -ας 4 locis;

metro postulatur sing. nom. -ον 2, -ας 3, -ης 43, -η 6, -ων 0, -ευς 10, gen. -*ae* 0, acc. -ον 2 -*um* 3, -αν (nom. -ας) 1, -ην (nom. -ης) 1, -*am* (nom. -α) 0, -*am* (nom. -η) 0, -ιν 0 -*im* 0, -ιδα 3 -*idem* 1, -α 14 -*em* 1, plur. acc. -ας 3 locis;

in Stati silvis

invenitur sing. nom. -ον 1, -ας 7 -*a* 1, -ης 11, -η 39 -*a* 3, -ων 15, -ευς 6, gen. -ης 22 -*ae* 5, acc. -ον 10 -*um* 15, -αν (nom. -ας) 3, -ην (nom. -ης) 16, -*am* (nom. -α) 4, -ην (nom. -η) 8 -*am* 1, -ιν 4 -*im* 4, -ιδα 9, -α 26, plur. acc. -ας 6 locis;

metro postulatur sing. nom. -ον 1, -ας 6 -*a* 1, -ης 10, -η 26 -*a* 3, -ων 3, -ευς 4, gen. -ης 3 -*ae* 0, acc. -ον 8 -*um* 0, -αν

(nom. -ας) 1, -ην (nom. -ης) 6, *-am* (nom. -α) 0, -ην (nom. -η) 1 *-am* 0, -ιν 2 *-im* 0, -ιδα 9, -α 24, plur. acc. -ας 5 locis;

in Stati Thebaide

invenitur sing. nom. -ον 5, -ας 28, -ης 41 *-a* 1, -η 78 *-a* 17, -ων 133, -ευς 114, gen. -ης 29 *-ae* 10, acc. -ον 48 *-um* 70, -αν (nom. -ας) 15 *-am* 1, -ην (nom. -ης) 41 *-am* 1, -αν (nom. -α) 6 *-am* 24, -ην (nom. -η) 52 *-am* 5, -ιν 19 *-im* 1, -ιδα 14, -α 112 *-em* 2, plur. acc. -ας 28 locis;

metro postulatur sing. nom. -ον 5, -ας 21, -ης 36 *-a* 1, -η 57 *-a* 17, -ων 27, -ευς 111, gen. -ης 4 *-ae* 0, acc. -ον 29 *-um* 12, -αν (nom. -ας) 6 *-am* 0, -ην (nom. -ης) 14 *-am* 1, -αν (nom. -α) 3 *-am* 3, -ην (nom. η) 15 *-am* 0, -ιν 12 *-im* 0, -ιδα 0, -α 101 *-em* 1, plur. acc. -ας 19 locis;

in Stati Achilleide

invenitur sing. nom. -ον 5, -ης 21, -η 8 *-a* 4, -ων 7 *-o* 1, -ευς 5, gen. -ης 1 *-ae* 4, acc. -ον 4 *-um* 6, -ην (nom. -ης) 7, -αν (nom. -α) 1 *-am* 3, -ην (nom. -η) 3 *-am* 3, -ιν 4, -ιδα 2, -α 7, plur. acc. -ας 8 locis;

metro postulatur sing. nom. -ον 5, -ης 18, -η 4 *-a* 4, -ων 0 *-o* 0, -ευς 5, gen. -ης 0 *-ae* 0, acc. -ον 4 *-um* 0, -ην (nom. -ης) 1, -αν (nom. -α) 1 *-am* 0, -ην (nom. -η) 1 *-am* 0, -ιν 1, -ιδα 2, -α 7, plur. acc. -ας 6 locis;

apud Martialem

invenitur sing. nom. -ον 4, -ας 24 *-a* 2, -ης 35 *-a* 1, -η 44 *-a* 5, -ων 30 *-o* 13, -ευς 7, gen. -ης 25 *-ae* 6, acc. -ον 15 *-um* 38, -αν (nom. -ας) 10 *-am* 2, -ην (nom. -ης) 19, -αν (nom. -α) 4 *-am* 6, -ην (nom. -η) 20 *-am* 4, -ιν 11 *-im* 2, -ιδα 14, -α 24 *-em* 3, plur. acc. -ας 17 locis;

metro postulatur sing. nom. -ον 3, -ας 19 *-a* 2, -ης 27 *-a* 0, -η 24 *-a* 5, -ων 6 *-o* 12, -ευς 7, gen. -ης 4 *-ae* 0, acc. -ον 8 *-um* 1, -αν (nom. -ας) 2 *-am* 0, -ην (nom. -ης) 3, -αν (nom. -α) 2 *-am* 0, -ην (nom. -η) 3 *-am* 0, -ιν 6 *-im* 0, -ιδα 14, -α 24 *-em* 3, plur. acc. -ας 8 locis;

apud Iuvenalem

invenitur sing. nom. *-um* 1, -ας 5 *-a* 1, -ης 22 *-a* 1, -η 9 *-a* 1, -ων 15, -ευς 5, gen. -ης 11 *-ae* 2, acc. -ον 5 *-um* 18, -αν (nom. -ας) 2, -ην (nom. -ης) 7, *-am* (nom. -α) 4, -ην (nom. -η) 6 *-am* 1, *-im* 2, ιδα 3 *-idem* 1, -α 12 *-em* 4, plur. acc. -ας 3 locis;

metro postulatur sing. nom. *-um* 0, *-ας* 3 *-a* 1, *-ης* 15 *-a* 0, *-η* 8 *-a* 1, *-ων* 1, *-ευς* 5, gen. *-ης* 4 *-ae* 0, acc. *-ον* 2 *-um* 0, *-αν* (nom. *-ας*) 0, *-ην* (nom. *-ης*) 1, *-am* (nom. *-α*) 0, *-ην* (nom. *-η*) 2 *-am* 0, *-im* 1, *-ιδα* 3 *-idem* 1, *-α* 12 *-em* 1, plur. acc. *-ας* 2 locis;

apud omnes poetas omnino

invenitur sing. nom. *-ον* 34 *-um* 16, *-ας* 163 *-a* 25, *-ης* 399 *-a* 15, *-η* 424 *-a* 83, *-ων* 505 *-o* 24, *-ευς* 284, gen. *-ης* 185 *-ae* 114, acc. *-ον* 181 *-um* 459, *-αν* (nom. *-ας*) 62 *-am* 13, *-ην* (nom. *-ης*) 226 *-am* 2, *-αν* (nom. *-α*) 20 *-am* 157, *-ην* (nom. *-η*) 231 *-am* 60, *-ιν* 75 *-im* 52, *ιδα* 97 *-idem* 5, *-α* 327 *-em* 36, plur. acc. *-ας* 142 *-es* 3 locis;

metro postulatur sing. nom. *-ον* 27 *-um* 5, *-ας* 123 *-a* 25, *-ης* 327 *-a* 7, *-η* 295 *-a* 76, *-ων* 82 *-o* 16, *-ευς* 275, gen. *-ης* 42 *-ae* 1, acc. *-ον* 103 *-um* 43, *-αν* (nom. *-ας*) 20 *-am* 1, *-ην* (nom. *-ης*) 46 *-am* 2, *-αν* (nom. *-α*) 10 *-am* 15, *-ην* (nom. *-η*) 57 *-am* 2, *-ιν* 36 *-im* 5, *-ιδα* 95 *-idem* 3, *-α* 299 *-em* 23, plur. acc. *-ας* 77 *-es* 0 locis.

In summa in

Gratti cynegeticis		inveniuntur	13	Graec.	2	Lat.	formae
		metro postulantur	6	"	1	"	"
Manili astronomicis		inveniuntur	89	"	82	"	"
		metro postulantur	67	"	14	"	"
Priapeis		inveniuntur	19	"	10	"	"
		metro postulantur	15	"	3	"	"
Germanici	phaenomenis	inveniuntur	60	"	12	"	"
		metro postulantur	40	"	12	"	"
	fragmentis	inveniuntur	5	"	—	"	"
		metro postulantur	3	"	—	"	"
	epigrammatis	inveniuntur	1	"	1	"	"
		metro postulantur	—	"	1	"	"
Phaedri fabulis		inveniuntur	8	"	6	"	"
		metro postulantur	4	"	—	"	"
Senecae	tragoediis	inveniuntur	380	"	128	"	"
		metro postulantur	202	"	42	"	"
	epigrammatis	inveniuntur	8	"	11	"	"
		metro postulantur	7	"	2	"	"
	apocolocyntosi	inveniuntur	2	"	1	"	"
		metro postulantur	1	"	—	"	"
Octavia		inveniuntur	7	"	2	"	"
		metro postulantur	4	"	—	"	"

Columellae libro X . .	inveniuntur	15	Graec.	4	Lat.	formae
	metro postulantur	8	„	1	„	„
Persi saturis	inveniuntur	11	„	4	„	„
	metro postulantur	5	„	2	„	„
Lucani Pharsalia . .	inveniuntur	231	„	131	„	„
	metro postulantur	128	„	13	„	„
Petroni { satura . . .	inveniuntur	24	„	4	„	„
	metro postulantur	12	„	1	„	„
fragmentis .	inveniuntur	—	„	2	„	„
	metro postulantur	—	„	—	„	„
Calpurni eclogis . . .	inveniuntur	53	„	4	„	„
	metro postulantur	16	„	—	„	„
Laude Pisonis . . .	inveniuntur	—	„	1	„	„
	metro postulantur	—	„	—	„	„
Aetna	inveniuntur	16	„	18	„	„
	metro postulantur	13	„	6	„	„
Valeri Flacci Argonauticis	inveniuntur	524	„	108	„	„
	metro postulantur	281	„	12	„	„
Sili Italici Punicis . .	inveniuntur	331	„	194	„	„
	metro postulantur	157	„	49	„	„
Iliade Latina	inveniuntur	119	„	33	„	„
	metro postulantur	88	„	5	„	„
Stati { silvis	inveniuntur	183	„	33	„	„
	metro postulantur	109	„	4	„	„
Thebaide . . .	inveniuntur	764	„	132	„	„
	metro postulantur	474	„	35	„	„
Achilleide . .	inveniuntur	83	„	21	„	„
	metro postulantur	55	„	5	„	„
Martialis epigrammatis	inveniuntur	303	„	82	„	„
	metro postulantur	160	„	23	„	„
Iuvenalis saturis . .	inveniuntur	105	„	36	„	„
	metro postulantur	58	„	5	„	„
omnium poetarum operibus	inveniuntur	3354	„	1062	„	„
	metro postulantur	1912	„	224	„	„ .

E centenis igitur nominibus metri causa declinata sunt in

Gratti cynegeticis	46, 1	Graece	50	Latine
Manili astronomicis	75, 3	„	17, 1	„

Priapeis		78, 9	Graece	30	Latine
Germanici	phaenomenis	66, 7	„	—	„
	fragmentis	60	„	—	„
	epigrammatis	—	„	100	„
Phaedri fabulis		50	„	—	„
Senecae	tragoediis	53, 2	„	32, 8	„
	epigrammatis	87, 5	„	18, 2	„
	apocolocyntosi	50	„	—	„
Octavia		57, 1	„	—	„
Columellae libro X		53, 3	„	25	„
Persi saturis		45, 5	„	50	„
Lucani Pharsalia		55, 4	„	9, 9	„
Petroni	satura	50	„	25	„
	fragmentis	—	„	—	„
Calpurni eclogis		30, 2	„	—	„
Laude Pisonis		—	„	—	„
Aetna		81, 3	„	33, 3	„
Valeri Flacci Argonauticis		53, 6	„	11, 1	„
Sili Italici Punicis		47, 4	„	25, 3	„
Iliade Latina		73, 9	„	15, 2	„
Stati	silvis	59, 6	„	12, 1	„
	Thebaide	62	„	26, 5	„
	Achilleide	66, 3	„	23, 8	„
Martialis epigrammatis		52, 5	„	28	„
Iuvenalis saturis		55, 2	„	13, 9	„
omnino		57	„	21,1	„ .

Quamquam omnium locorum summa demonstrat duas fere partes Graecarum formarum metro postulatas esse, cum Latinarum quattuor fere partes locis exstent, quibus metrum nihil valet, tamen plus mille Graecae formae supersunt, ad quas servandas metrum nihil contulit, quibus etiam totidem addendae sunt eorum casuum, quorum Graecae et Latinae terminationes metro sunt pares, quas propterea hac in tabula non comparavi. Non magis ideo quam Sniehotta Koenio assentiri possum arbitrato numquam nisi summa metri necessitate coactos Graecas formas servavisse poetas Latinos. Plane vero perversum puto, quod dicit in pagina 45: „Darum ist's . . . auch höchst un-

wahrscheinlich, dass man am Ende des Hexameters geschrieben habe: *Midan Oete Ide Aetne Dircen* u. a. statt *Midam* u. s. w." Multa exempla locorum, de quibus nulla dubitatio est, contrarium probant.

Ut denique cognoscamus, quae Graecae terminationes gratissimae poetis fuerint, ita ut eas saepissime iis quoque locis servarent, quibus metri necessitas non exstabat, sequatur tabella, quae terminationes continet numero indicante, quot e centenis locis terminatio metro postulata sit.

Terminationes

Graecae:			Latinae:		
16	ων	nom.	0, 0	*es*	acc. pl.
20, 4	ην	acc. (nom. ας)	0, 9	*ae*	gen.
22, 7	ης	gen.	9, 1	*am*	acc. (nom. ας)
24, 7	ην	acc. (nom. η)	9, 4	*um*	acc.
32, 3	αν	acc. (nom. ας)	9, 6	*am*	acc. (nom. α)
48	ιν	acc.	9, 6	*im*	acc.
50	αν	acc. (nom. α)	31, 3	*um*	nom.
54, 2	ας	acc. pl.	33, 3	*am*	acc. (nom. η)
56, 9	ον	acc.	46, 7	*a*	nom. (ης)
69, 6	η	nom.	60, 0	*idem*	acc.
75, 5	ας	nom.	63, 9	*em*	acc.
79, 4	ον	nom.	66, 6	*o*	nom.
81, 9	ης	nom.	91, 6	*a*	nom. (η)
91, 4	α	acc.	100	*a*	nom. (ας)
96, 8	ευς	nom.	100	*am*	acc. (ης).
97, 9	ιδα	acc.			

Caput III.

Num quid metri diversitas vel genus scribendi vel usus poetarum ad Graecas formas servandas valuerit.

§ 9.

De metri diversitate.

1. In extrema dissertationis parte paucis verbis quaeram, num quid metri diversitas vel genus scribendi vel usus poetarum ad Graecas formas servandas valuerit. Ac primum

quidem inquiram, quo in metro saepissime Graecae formae servatae sint. Quem ad finem conferas, quae in conspectu IV comprehendi, in quo numeris conspectus II usus sum.

Conspectus IV.

quo quot Graecae formae servatae et quot mutatae in versibus dactylicis senariis lyricis inveniantur demonstratur.

Exstat in versibus

dactylicis sing. nom. -ος 231 *-us* 964, -ον 25 *-um* 17, -ας 144 *-a* 21, -ης 369 *-a* 10, -η 351 *-a* 66, -ων 427 *-o* 15, voc. -η (nom. -η) 36 *-a* 2, gen. -ης 166 *-ae* 104, -ος 96 *-is* 230, -εως 56 *-ei* 9, abl. -η (nom. -η) 19 *-a* 30, -η (nom. -ης) 6 *-a* 7, acc. -ον 161 *-um* 400, -αν (nom. -ας) 56 *-am* 12, -ην (nom. -ης) 194 *-am* vel *-em* 10, -αν (nom. -α) 17 *-am* 135, -ην (nom. -η) 202 *-am* vel *-em* 55, -ιν 61 *-im* 49, -ιδα 88 *-idem* 4, -υν 31 *-ym* 0, -α 292 *-em* 19, -εα 126 *-eum* 0, plur. nom. -ες 84 *-ēs* 1, acc. -ας 118 *-es* 3 locis;

senariis sing. nom. -ος 26 *-us* 164, -ον 3 *-um* 7, -ας 5 *-a* 3, -ης 20 *-a* 3, -η 41 *-a* 15, -ων 56 *-o* 11, voc. -η (nom. -η) 7 *-a* 3, gen. -ης 8 *-ae* 7, -ος 2 *-is* 51, -εως 0 *-ei* 6, abl. -η (nom. -η) 0 *-a* 4, -η (nom. -ης) 8 *-a* 2, acc. -ον 6 *-um* 35, -αν (nom. -ας) 5 *-am* 1, -ην (nom. -ης) 20 *-am* 1, -αν (nom. -α) 1 *-am* 18, -ην (nom. -η) 14 *-am* vel *-em* 4, -ιν 5 *-im* 0, -ιδα 3 *-idem* 1, -υν 2 *-ym* 0, -α 17 *-em* 13, -εα 2 *-eum* 0, plur. nom. -ες 5 *-ēs* 0, acc. -ας 15 -ες 1 locis;

lyricis sing. nom. -ος 25 *-us* 79, -ον 6 *-um* 1, -ας 14 *-a* 1, -ης 11 *-a* 2, -η 32 *-a* 3, -ων 22 *-o* 0, voc. -η (nom. -η) 8 *-a* 1, gen. -ης 11 *-ae* 3, -ος 10 *-is* 21, -εως 3 *-ei* 2, abl. -η (nom. -η) 1 *-a* 4, -η (nom. -ης) 1 *-a* 0, acc. -ον 13 *-um* 24, -αν (nom. -ας) 3 *-am* 0, -ην (nom. -ης) 14 *-am* 0, -αν (nom. -α) 2 *-am* 4, -ην (nom. -η) 16 *-am* 3, -ιν 9 *-im* 3, -ιδα 6 *-idem* 0, -υν 2 *-ym* 0, -α 18 *-em* 4, -εα 1 *-eum* 0, plur. nom. -ες 3 *-ēs* 0, acc. -ας 9 *-es* 0 locis.

Inveniuntur igitur omnino in versibus

dactylicis	3349	Graecae,	2159	Latinae	formae
senariis	271	„	350	„	„
lyricis	240	„	155	„	„ .

Centenorum vero nominum Graecorum servaverunt Graecam formam in versibus dactylicis 61, senariis 43, 6, lyricis 60, 8 nomina.

Huius conspectus summa probat saepissime Graecas formas servatas esse in versibus dactylicis, ad quos pangendos quasdam terminationes Graecas solas aptissimas fuisse supra saepius vidimus. Neque fere minor numerus Graecarum formarum invenitur in centenis eorum nominum, quae in versibus anapaesticis, hendecasyllabis, asclepiadeis ceterisque, quos lyricos nominavi, exstant. Poetae his versibus usi graecissandi rationi imprimis favisse videntur. Nam Horatium quoque C Graecorum nominum in versibus dactylicis 41, 3 tantum, in carminibus lyricis autem 56, 6 Graecas formas servavisse e Sniehottae tabula II elucet. Praeterea Romanos horum metri generum Graecam originem memoria tenuisse et ob eam rem etiam in nominibus declinandis Graecorum exempla secutos esse puto. Aliquanto minor est numerus Graecarum formarum, quas poetae in versibus senariis servaverunt, cuius rei metricae quaedam causae non neglegendae sunt, cum permultorum nominum, quibus nisi Graece terminatis in hexametro locus non erat, ad senarium pangendum Latina forma aptissima fuerit. Sed etiam in senariis ipsis diversus usus Graecorum nominum conspicitur, ut in Phaedri 1937 senariis 17 tantum Graecas formas, in 100 igitur 0, 9, in Senecae autem 7793 versibus senariis 261 Graecas formas, in 100 igitur 3, 3 invenimus. Quomodo haec res pendeat ex structura versus ab utroque poeta aliis legibus compositi, infra paucis disseremus [1]).

2. Idem fere, quod supra intelleximus, elucet e ratione, qua Graecae terminationes in Senecae tragoediis et in Octavia inter deverbia senariis composita et cantica lyrica distributae inveniuntur.

Itaque numeris formarum, quas in altero conspectu collegi, suppositis in novo conspectu IV A explicavi, quot Graecae formae et quot Latinae et in deverbiis et in canticis inveniantur et quot nomina Graeca e centenis in utraque parte priscam terminationem servaverint.

---

[1]) Cf. p. 202.

Conspectus IV A.

quo nomina in Senecae tragoediarum et Octaviae et deverbiis et canticis lyricis mutata et non mutata comparantur.

Exstat

in Herculis furentis

deverbiis sing. nom. -ος 4 *-us* 23, -ον 1 *-um* 0, -ης 4 *-a* 0, -η 4 *-a* 0, -ων 9 *-o* 0, gen. -ης 0 *-ae* 1, -ος 0 *-is* 5, -εως 0 *-ei* 1, abl. -η (nom. -η) 0 *-a* 1, -η (nom. -ης) 2 *-a* 0, acc. -ον 0 *-um* 1, acc. -ην (nom. -ης) 1 *-am* 0, -αν (nom. -α) 0 *-am* 2, -ην (nom. -η) 3 *-am* 0, -ιν 1 *-im* 0, -α 3 *-em* 0, plur. nom. -ες 1 *-ēs* 0, acc. -ας 3 *-es* 0 locis;

canticis sing. nom. -ος 1 *-us* 1, -ης 1 *-a* 0, -η 0 *-a* 1, -ων 1 *-o* 0, gen. -ος 1 *-is* 1, abl. -η (nom. -η) 0 *-a* 1, acc. -ον 1 *-um* 0, -ην (nom. -η) 3 *-am* 0 locis;

in Troadum

deverbiis sing. nom. -ος 4 *-us* 20, -ον 1 *-um* 5, -ης 0 *-a* 2, -η 4 *-a* 6, -ων 5 *-o* 0, gen. -ης 0 *-ae* 1, -ος 0 *-is* 15, -εως 0 *-ei* 1, acc. -ον 0 *-um* 7, -ην (nom. -ης) 1 *-am* 0, -αν (nom. -α) 0 *-am* 5, -ην (nom. -η) 1 *-am* 1, -ιν 2 *-im* 0, -α 0 *-em* 5, plur. nom. -ες 1 *-ēs* 0, acc. -ας 3 *-es* 0 locis;

canticis sing. nom. -ος 6 *-us* 6, -ον 1 *-um* 0, -η 11 *-a* 0, -ων 2 *-o* 0, gen. -ης 0 *-ae* 1, -ος 0 *-is* 2, acc. -ον 1 *-um* 0, -αν (nom. -α) 1 *-am* 0, -ην (nom. -η) 2 *-am* 0, -ιν 1 *-im* 0, -ιδα 1 *-idem* 0, -α 5 *-em* 0, plur. nom. -ες 1 *-ēs* 0 locis;

in Phoenissarum

deverbiis sing. nom. -ος 4 *-us* 7, -η 2 *-a* 0, -ων 4 *-o* 0, gen. -ος 0 *-is* 2, acc. -ον 1 *-um* 1, -αν (nom. -ας) 1 *-am* 0, -αν (nom. -α) 0 *-am* 2, -ιν 1 *-im* 0 locis;

(cantica non exstant);

in Medeae

deverbiis sing. nom. -ος 2 *-us* 13, -ας 0 *-a* 2, -η 1 *-a* 1, -ων 12 *-o* 6, gen. -ος 1 *-is* 1, -εως 0 *-ei* 1, acc. -ον 1 *-um* 2, -ην (nom. -ης) 1 *-am* 0, -ιν 1 *-im* 0, -υν 1 *-ym* 0, -α 1 *-em* 1, plur. acc. -ας 1 *-es* 0 locis;

canticis sing. nom. -ος 1 *-us* 13, -ας 2 *-a* 0, -ης 1 *-a* 0, -η 3 *-a* 0, -ων 2 *-o* 0, gen. -ος 1 *-is* 1, abl. -η (nom. -η) 0 *-a* 1,

acc. -ον 1 -*um* 3, -ην (nom. -ης) 2 -*am* 0, -α 2 -*em* 1, plur. acc. -ας 3 -*es* 0 locis;

in Phaedrae

deverbiis sing. nom. -ος 1 -*us* 13, -ης 4 -*a* 0, -η 2 -*a* 1, -ων 1 -*o* 0, gen. -ης 1 -*ae* 1, -ος 0 -*is* 3, -εως 5 -*ei* 3, acc. -ον 0 -*um* 1, -ην (nom. -ης) 1 -*am* 0, -αν (nom. -α) 0 -*am* 1, -ην (nom. -η) 1 -*am* 0, -α 4 -*em* 0, -εα 1 -*eum* 0 locis;

canticis sing. nom. -ος 0 -*us* 5, -ον 1 -*um* 0, -ης 0 -*a* 1, -η 1 -*a* 0, -ων 1 -*o* 0, gen. -ης 3 -*ae* 0, abl. -η (nom. -η) 0 -*a* 1, acc. -ον 1 -*um* 0, -ην (nom. -ης) 1 -*am* 0, plur. nom. -ες 2 -*ēs* 0 locis;

in Oedipodis

deverbiis sing. nom. -ος 2 -*us* 10, -ας 0 -*a* 1, -η 5 -*a* 1, -ων 4 -*o* 3, gen. -ης 1 -*ae* 0, -ος 1 -*is* 6, abl. -η (nom. -ης) 0 -*a* 1, acc. -ον 0 -*um* 5, -ην (nom. ης) 2 -*am* 1, -ην (nom. -η) 1 -*am* 0, -υν 1 -*ym* 0, -α 1 -*em* 0, plur. acc. -ας 1 -*es* 0 locis;

canticis sing. nom. -ος 3 -*us* 6, -ας 1 -*a* 0, -ης 1 -*a* 0, -η 1 -*a* 0, -ων 4 -*o* 0, gen. -ος 0 -*is* 1, -εως 1 -*ei* 0, acc. -ον 0 -*um* 1, -ην (nom. -η) 2 -*am* 0, -ιδα 1 -*idem* 0, -α 1 -*em* 0, -εα 1 -*eum* 0, plur. acc. -ας 1 -*es* 0 locis;

in Agamemnonis

deverbiis sing. nom. -ος 0 -*us* 9, -ον 0 -*um* 1, -ης 4 -*a* 0, -η 0 -*a* 2, -ων 6 -*o* 1, gen. -ης 0 -*ae* 2, -ος 0 -*is* 9, abl. -η (nom. -ης) 1 -*a* 1, acc. -ον 2 -*um* 5, -αν (nom. -ας) 1 -*am* 0, -ην (nom. -ης) 2 -*am* 0, -αν (nom. -α) 0 -*am* 6, -ην (nom. -η) 0 -*am* 2, -ιν 2 -*im* 0, -ιδα 2 -*idem* 0, -α 1 -*em* 5, plur. nom. -ες 3 -*ēs* 0, acc. -ας 2 -*es* 0 locis;

canticis sing. nom. -ος 0 -*us* 4, -ον 1 -*um* 1, -ης 3 -*a* 0, -η 1 -*a* 1, -ων 1 -*o* 0, gen. -ος 1 -*is* 2, -εως 0 -*ei* 1, acc. -ον 2 -*um* 4, -αν (nom. -ας) 1 -*am* 0, -υν 1 -*ym* 0, -α 3 -*em* 0, plur. acc. -ας 2 -*es* 0 locis;

in Thyestae

deverbiis sing. nom. -ος 4 -*us* 5, -ης 3 -*a* 0, -η 1 -*a* 1, -ων 4 -*o* 0, gen. -ος 0 -*is* 5, abl. -η (nom. -ης) 3 -*a* 0, acc. -ον 0 -*um* 3, -ην (nom. -ης) 1 -*am* 0, -α 0 -*em* 1, -εα 1 -*eum* 0, plur. nom. -ες 1 -*ēs* 0 locis;

canticis sing. nom. -ος 1 -*us* 7, -ον 1 -*um* 0, -ας 1 -*a* 0, -ης 1 -*a* 0, -ων 1 -*o* 0, gen. -ης 0 -*ae* 1, abl. -η (nom. -η) 0 -*a* 2,

acc. -ον 1 *-um* 0, -ην (nom. -ης) 1 *-am* 0, -ην (nom. -η) 1 *-am* 0, -α 1 *-em* 0, plur. acc. -ας 1 *-es* 0 locis;

in Herculis Oetaei

deverbiis sing. nom. -ος 4 *-us* 29, -ας 6 *-a* 0, -ης 17 *-a* 0, -η 15 *-a* 3, -ων 6 *-o* 0, gen. -ης 4 *-ae* 2, -ος 0 *-is* 3, abl. -η (nom. -η) 0 *-a* 2, -η (nom. -ης) 2 *-a* 0, acc. -ον 2 *-um* 10, -αν (nom. -ας) 3 *-am* 0, -ην (nom. -ης) 12 *-am* 0, -αν (nom. -α) 1 *-am* 2, -ην (nom. -η) 9 *-am* 0, -α 6 *-em* 0, plur. nom. -ες 1 *-ēs* 0, acc. -ας 2 *-es* 0 locis;

canticis sing. nom. -ος 1 *-us* 10, -ον 1 *-um* 0, -ας 2 *-a* 0, -ης 3 *-a* 1, -η 4 *-a* 0, -ων 1 *-o* 0, gen. -ης 3 *-ae* 1, abl. -η (nom. -η) 1 *-a* 1, -η (nom. -ης) 1 *-a* 0, acc. -ον 0 *-um* 2, -αν (nom. -ας) 1 *-am* 0, -ην (nom. -ης) 4 *-am* 0, -αν (nom. -α) 0 *-am* 1, -ην (nom. -η) 4 *-am* 1, -α 3 *-em* 0, plur. nom. -ες 1 *-ēs* 0 locis;

in omnium Senecae tragoediarum

deverbiis sing. nom. -ος 25 *-us* 129, -ον 2 *-um* 6, -ας 6 *-a* 3, -ης 32 *-a* 2, -η 34 *-a* 15, -ων 51 *-o* 10, gen. -ης 6 *-ae* 7, -ος 2 *-is* 49, -εως 0 *-ei* 6, abl. -η (nom. -η) 0 *-a* 3, -η (nom. -ης) 8 *-a* 2, acc. -ον 6 *-um* 35, -αν (nom. -ας) 5 *-am* 0, -ην (nom. -ης) 21 *-am* 1, -αν (nom. -α) 1 *-am* 18, -ην (nom. -η) 15 *-am* 3, -ιν 7 *-im* 0, -ιδα 2 *-idem* 0, -υν 2 *-ym* 0, -α 16 *-em* 12, -εα 2 *-eum* 0, plur. nom. -ες 7 *-ēs* 0, acc. -ας 12 *-es* 0 locis;

canticis sing. nom. -ος 13 *-us* 52, -ον 5 *-um* 1, -ας 6 *-a* 0, -ης 10 *-a* 2, -η 21 *-a* 2, -ων 13 *-o* 0, gen. -ης 6 *-ae* 3, -ος 3 *-is* 7, -εως 1 *-ei* 1, abl. -η (nom. -η) 1 *-a* 6, -η (nom. -ης) 1 *-a* 0, acc. -ον 7 *-um* 10, -αν (nom. -ας) 2 *-am* 0, -ην (nom. -ης) 8 *-am* 0, -αν (nom. -α) 1 *-am* 1, -ην (nom. -η) 12 *-am* 1, -ιν 1 *-im* 0, -ιδα 2 *-idem* 0, -υν 1 *-ym* 0, -α 15 *-em* 1, -εα 1 *-eum* 0, plur. nom. -ες 4 *-ēs* 0, acc. -ας 7 *-es* 0 locis;

in Octaviae tragoediae

deverbiis sing. nom. -ος 0 *-us* 2, gen. -ης 1 *-ae* 0, -ος 0 *-is* 1, acc. -ον 0 *-um* 1, -ιν 1 *-im* 0, -α 1 *-em* 0 locis;

canticis sing. nom. -ος 0 *-us* 1, -η 1 *-a* 0, acc. -ον 0 *-um* 1, -αν (nom. -α) 0 *-am* 1, -ην (nom. -η) 2 *-am* 0, plur. acc. -ας 1 *-es* 0 locis.

Omnino igitur exstant in

Herculis furentis .	deverbiis	36	Graecae	34	Latinae	formae
	canticis	8	„	4	„	„

Troadum . . .	deverbiis	22	Graecae	68	Latinae	formae
	canticis	32	„	9	„	„
Phoenissarum . .	deverbiis	13	„	12	„	„
Medeae	deverbiis	22	„	27	„	„
	canticis	18	„	19	„	„
Phaedrae . . .	deverbiis	16	„	23	„	„
	canticis	9	„	8	„	„
Oedipodis . . .	deverbiis	19	„	28	„	„
	canticis	17	„	8	„	„
Agamemnonis . .	deverbiis	25	„	43	„	„
	canticis	16	„	13	„	„
Thyestae . . .	deverbiis	18	„	15	„	„
	canticis	10	„	10	„	„
Herculis Oetaei .	deverbiis	90	„	51	„	„
	canticis	30	„	17	„	„
omnium Senecae trag.	deverbiis	261	„	301	„	„
	canticis	140	„	88	„	„
Octaviae	deverbiis	3	„	4	„	„
	canticis	5	„	5	„	„ .

Centenorum vero Graecorum nominum servaverunt Graecam terminationem in

Herculis furentis . .	deverbiis	51, 4	canticis	66, 6
Troadum	„	24, 4	„	78
Phoenissarum . . .	„	52	„	0
Medeae	„	44, 9	„	48, 6
Phaedrae	„	41	„	52, 9
Oedipodis	„	40, 4	„	68
Agamemnonis . . .	„	36, 8	„	55, 2
Thyestae	„	54, 4	„	50
Herculis Oetaei . . .	„	63, 6	„	63, 8
omnium Senecae trag.	„	46, 4	„	61, 4
Octaviae	„	42, 9	„	62, 5.

Summa igitur collationis cognosces et Senecam et Octaviae auctorem in canticis propensiorem fuisse ad Graecorum usum servandum quam in deverbiis. In his enim e centenis nominibus 46, 4, in illis autem 61, 4 Graecum exitum servaverunt. Idem confirmatur summa conspectus IV B.

Conspectus IV B.

quo quot Graecas formas Seneca et Octaviae auctor centenis deverbiorum et canticorum versibus inseruerint demonstratur..

Exstant in

Herculis furentis .	deverbiis	1047	versibus	36	Graecae	formae
	canticis	296	„	8	„	„
Troadum . . .	deverbiis	918	„	22	„	„
	canticis	260	„	32	„	„
Phoenissarum . .	deverbiis	664	„	13	„	„
Medeae	deverbiis	624	„	22	„	„
	canticis	403	„	18	„	„
Phaedrae . . .	deverbiis	951	„	16	„	„
	canticis	329	„	9	„	„
Oedipodis . . .	deverbiis	750	„	19	„	„
	canticis	311	„	17	„	„
Agamemnonis . .	deverbiis	689	„	25	„	„
	canticis	323	„	16	„	„
Thyestae	deverbiis	757	„	18	„	„
	canticis	355	„	10	„	„
Herculis Oetaei .	deverbiis	1393	„	90	„	„
	canticis	603	„	30	„	„
omnium Senecae trag.	deverbiis	7793	„	261	„	„
	canticis	2880	„	140	„	„
Octaviae	deverbiis	599	„	3	„	„
	canticis	384	„	5	„	„ .

Inveniuntur igitur Graeca nomina in centenis versibus

Herculis furentis	deverbiis	3, 4	canticis	2, 7
Troadum	„	2, 4	„	12, 3
Phoenissarum	„	2		
Medeae	„	3, 5	„	4, 5
Phaedrae	„	1, 7	„	2, 7
Oedipodis	„	2, 5	„	5, 5
Agamemnonis	„	3, 6	„	5
Thyestae	„	2, 4	„	2, 8
Herculis Oetaei	„	6, 5	„	5

omnium Senecae tragoediarum	deverbiis	3, 3	canticis	4, 8
Octaviae	„	0, 5 [1])	„	1, 3 [1]).

Ex hoc conspectu apparet in centenis versibus deverbiorum senariis 3, 3, in centenis versibus canticorum lyricis 4, 8 nomina Graece flexa inveniri. Quin iisdem causis, quae supra concedendae erant, effectum sit, ut copia Graecarum formarum illae duae tragoediarum partes ita distent, nemo dubitabit. Praeterea id non nihil valuisse puto, quod Seneca deverbiorum senariis Graeca quidem argumenta ratione Romanorum mentibus commoda retractavit, sed praecepta artis rhetoricae, quam Romani amplectebantur, quam diligentissime observavit eaque in re modum paene excessit, in canticis autem, quibus di deaeque plerumque Graecorum invocantur, pangendis non solum versus lyricos nuper maxime ab Horatio in Romanorum litteras inductos adhibuit, sed etiam in Graecis formis servandis illius carminum usum ac rationem secutus est.

§ 10.
De genere scribendi.

Ut cognoscamus, quid varia carminum genera ad Graecorum formas servandas valuerint, conspectum quintum composui, in quo alterius conspectus formas Graecas servatas et mutatas contraxi omnium poetarum, qui idem genus carminum coluerunt. Et distinxi carmina heroica: Lucani Pharsaliam, Valeri Flacci Argonautica, Sili Italici Punica, Iliadem Latinam, Stati Thebaidem et Achilleidem; carmina didactica: Gratti cynegetica, Manili astronomica, Germanici phaenomena et prognosticorum fragmenta, Columellae librum X de re rustica, Aetnae poema; tragoedias Senecae et Octaviam praetextam; epigrammata Priapea, quae supersunt Germanici Senecae Petroni, Martialis libros XIV; saturas Persi Petroni Iuvenalis, Senecae apocolocyntosin.

[1]) Quod in Octavia tragoedia pro rata parte multo pauciores Graecae formae inveniuntur, materia explicatur, quae in illa totidem Latina nomina praebet, quot Graeca apud Senecam.

Conspectus V.

quo Graecae formae servatae et mutatae in varia carminum genera sunt discriptae.

Inveniuntur in carminibus

heroicis sing. nom. -ος 150 -*us* 655, -ον 19 -*um* 6, -ας 93 -*a* 18, -ης 278 -*a* 7, -η 223 -*a* 42, -ων 324 -*o* 1, voc. -η (nom. -η) 18 -*a* 2, gen. -ης 98 -*ae* 75, -ος 65 -*is* 158, -εως 46 -*ei* 7, dat. -ει 0 -*eo* 3, abl. -η (nom. -η) 8 -*a* 18, -η (nom. -ης) 5 -*a* 3, acc. -ον 108 -*um* 266, -αν (nom. -ας) 37 -*am* 8, -ην (nom. -ης) 152 -*am* 5, -αν (nom. -α) 9 -*am* 103, -ην (nom. -η) 138 -*am* 38, -ιν 48 -*im* 42, -ιδα 48 -*idem* 2, -υν 16 -*ym* 0, -α 220 -*em* 11, -εα 102 -*eum* 0, plur. nom. -ες 55 -*ēs* 1, acc. -ας 74 -*es* 1 locis;

didacticis sing. nom. -ος 34 -*us* 116, -ον 3 -*um* 1, -ας 5 -*a* 0, -ης 3 -*a* 0, -η 36 -*a* 14, -ων 31 -*o* 0, voc. -η (nom. -η) 1 -*a* 0, gen. -ης 11 -*ae* 13, -ος 9 -*is* 23, -εως 4 -*ei* 2, abl. -η (nom. -η) 1 -*a* 4, acc. -ον 25 -*um* 57, -αν (nom. -ας) 1 -*am* 1, -ην (nom. -ης) 3 -*am* 1, -αν (nom. -α) 5 -*am* 16, -ην (nom. -η) 12 -*am* 10, -ιν 3 -*im* 2, -ιδα 11 -*idem* 0, -υν 10 -*ym* 0, -α 12 -*em* 3, -εα 3 -*eum* 0, plur. nom. -ες 5 -*ēs* 0, acc. -ας 13 -*es* 2 locis;

tragoediis sing. nom. -ος 38 -*us* 138, -ον 7 -*um* 7, -ας 12 -*a* 3, -ης 45 -*a* 1, -η 56 -*a* 13, -ων 64 -*o* 10, voc. -η (nom. -η) 12 -*a* 4, gen. -ης 13 -*ae* 10, -ος 5 -*is* 49, -εως 1 -*ei* 8, abl. -η (nom. -η) 1 -*a* 8, -η (nom. -ης) 9 -*a* 2, acc. -ον 12 -*um* 47, -αν (nom. -ας) 8 -*am* 0, -ην (nom. -ης) 28 -*am* 2, -αν (nom. -α) 2 -*am* 19, -ην (nom. -η) 28 -*am* 4, -ιν 8 -*im* 0, -ιδα 5 -*idem* 0, -υν 3 -*ym* 0, -α 30 -*em* 12, -εα 3 -*eum* 0, plur. nom. -ες 8 -*ēs* 0, acc. -ας 19 -*es* 0 locis;

epigrammatis sing. nom. -ος 35 -*us* 155, -ον 4 -*um* 0, -ας 26 -*a* 2, -ης 38 -*a* 1, -η 50 -*a* 9, -ων 30 -*o* 13, voc. -η (nom. -η) 10 -*a* 0, gen. -ης 96 -*ae* 8, -ος 19 -*is* 30, -εως 3 -*ei* 0, abl. -η (nom. -η) 3 -*a* 4, -η (nom. -ης) 0 -*a* 3, acc. -ον 17 -*um* 47, -αν (nom. -ας) 10 -*am* 3, -ην (nom. -ης) 20 -*am* 1, -αν (nom. -α) 4 -*am* 10, -ην (nom. -η) 22 -*am* 6, -ιν 11 -*im* 2, -ιδα 15 -*idem* 0, -υν 6 -*ym* 0, -α 25 -*em* 5, -εα 7 -*eum* 0, plur. nom. -ες 6 -*ēs* 0, acc. -ας 21 -ες 1 locis;

saturis sing. nom. -ος 9 -*us* 47, -ον 0 -*um* 1, -ας 8 -*a* 1, -ης 25 -*a* 2, -η 17 -*a* 3, -ων 19 -*o* 1, voc. -η (nom. -η) 3 -*a* 0,

gen. -ῃς 13 *-ae* 2, -ος 4 *-is* 21, abl. -ῃ (nom. -ῃ) 6 -α 1, -ῃ (nom. -ῃς) 0 -α 1, acc. -ον 4 *-um* 23, -αν (nom. -ας) 2 *-am* 0, -ην (nom. -ης) 8 *-am* 0, -αν (nom. -α) 0 *-am* 5, -ην (nom. -η) 12 *-am* 1, -ιν 0 *-im* 2, -ιδα 4 *-idem* 2, -α 12 *-em* 4, -εα 4 *-eum* 0, plur. nom. -ες 5 *-ēs* 0, acc. -ας 10 *-es* 0 locis.

Omnino vero inveniuntur in carminibus

heroicis	2334	Graecae,	1473	Latinae	formae
didacticis	243	„	265	„	„
tragoediis	414	„	340	„	„
epigrammatis	408	„	300	„	„
saturis	164	„	117	„	„ .

Centenorum igitur Graecorum nominum Graece sunt terminata in carminibus heroicis 61, 3, didacticis 47, 8, tragoediis 54, 9, epigrammatis 57, 6, saturis 58, 4.

Apparuit centenorum nominum Graecorum plerasque formas primitivas servatas esse in carminibus heroicis, paucissimas in didacticis. Cetera eundem fere usum praebent. Sed ne illorum quidem differentia tanta est, ut ratiocinatio quaedam certa sit, praesertim cum utriusque generis metrum sit dactylicum.

Eundem fere usum poetarum cognoscimus, si inquirimus, quot Graecae formae in centenis versibus servatae sint.

Conspectus V A.

quo exquiritur, quot nomina in centenis versibus variorum carminum generum inveniantur.

Exstant enim in carminum

heroicorum	37 763	versibus	3121	Graecae	formae
didacticorum	6 774	„	390	„	„
tragoediarum	11 058	„	576	„	„
epigrammatorum	11 066	„	558	„	„
saturarum	5 182	„	228	„	„ .

Inveniuntur igitur in centenis versibus heroicis 8, 3, didacticis 5, 8, tragoediis 5, 2, epigrammatis 5, saturis 4, 4 Graecae formae.

Qui conspectus demonstrat auctores didacticorum tragoediarum epigrammatum eundem fere numerum Graecarum for-

marum centenis versibus inseruisse. Conspicua autem differentia est rationis poetarum heroicorum et satiricorum, quamquam iis metrum dactylicum commune est. Illi enim dimidio fere plures Graecas formas in centenis versibus adhibuerunt quam hi. Sed vix mirum est Graecorum nominum declinationem in saturis saepissime Latinorum ori adaptatam esse, cum saturam genus poeseos Romanorum proprium esse iam testetur Quintilianus[1]), qui dicit: „satira quidem tota nostra est".

§ 11.

De poetarum usu.

Ex iis, quae adhuc diximus, satis apparet singulos poetas vario modo Graecis nominibus usos alios multas alios paucas Graecas formas adhibuisse. Quae res illuminatur conspectu VI, in quo conspectu primo nisus sum.

Conspectus VI.

quo quot Graecas formas unusquisque poeta centenis versibus inseruerit demonstratur.

Exstant Graecae formae in

Gratti cynegeticis . . .		22	in	541	versibus
Manili astronomicis . .		178	„	4208	„
Priapeis		31	„	679	„
Germanici	phaenomenis	116	„	725	„
	fragmentis .	20	„	218	„
	epigrammatis	3	„	16	„
Phaedri fabulis		17	„	1937	„
Senecae	tragoediis . .	566	„	10673	„
	epigrammatis .	17	„	614	„
	apocolocyntosi .	2	„	95	„
Octavia		10	„	983	„
Columellae libro X . .		31	„	436	„
Persi saturis		19	„	650	„
Lucani Pharsalia . . .		453	„	8060	„
Petroni	satura . . .	41	„	600	„
	fragmentis . .	3	„	169	„

[1]) Inst. or. X 1, 93.

Calpurni eclogis . . .	67	in	758	versibus
Laude Pisonis	4	„	261	„
Aetna	23	„	646	„
Valeri Flacci Argonauticis	698	„	5592	„
Sili Italici Punicis . .	517	„	12202	„
Iliade Latina	157	„	1070	„
Stati silvis	299	„	3892	„
Stati Thebaide . . .	1136	„	9712	„
Stati Achilleide . . .	160	„	1127	„
Martialis epigrammatis .	504	„	9588	„
Iuvenalis saturis . . .	166	„	3837	„
omnino	5140	„	79289	„ .

In centenis igitur versibus inveniuntur apud Grattium 3, 9, Manilium 4, 1, in Priapeis 4, 6, in Germanici phaenomenis 16, fragmentis 9, 2, epigrammatis 18, 8, apud Phaedrum 0, 9, in Senecae tragoediis 5, 3, epigrammatis 2, 8, apocolocyntosi 2, 1, in Octavia 1, apud Columellam 7, 1, Persium 2, 9, Lucanum 5, 6, in Petroni satura 6, 8, fragmentis 1, 8, apud Calpurnium 9, in Laude Pisonis 1, 5, Aetna 3, 6, apud Valerium Flaccum 12, 5, apud Silium Italicum 4, 2, in Iliade Latina 14, 7, in Stati silvis 7, 7, Thebaide 11, 7, Achilleide 14, 2, apud Martialem 5, 3, Iuvenalem 4, 3, omnino 6, 5 Graecae formae.

Numero, qui efficitur, singula opera rediguntur hunc in ordinem:

0, 9	Phaedrus	5, 6	Senecae tragoediae
1	Octavia	5, 6	Lucanus
1, 5	Laus Pisonis	6, 8	Petroni satura
1, 8	Petroni fragmenta	7, 1	Columella
2, 1	Senecae apocolocyntosis	7, 7	Stati silvae
2, 8	Senecae epigrammata	9	Calpurnius
2, 9	Persius	9, 2	Germanici fragmenta
3, 6	Aetna	11, 7	Stati Thebais
3, 9	Grattius	12, 5	Valerius Flaccus
4, 1	Manilius	14, 2	Stati Achilleis
4, 2	Silius Italicus	14, 7	Ilias Latina
4, 3	Iuvenalis	16	Germanici phaenomena
4, 6	Priapea	16, 8	Germanici epigrammata.
5, 3	Martialis		

Phaedrus igitur graecissandi rationem maxime sprevit. Tamen nemo negabit eum litteris Graecis satis eruditum fuisse, quippe qui testetur[1]) se in ipsa paene natum schola litteratae esse propiorem Graeciae quam Phrygem Aesopum et Anacharsin Scytham. Sed consilio quantum potuit Graeca vitavit, ut cotidiani sermonis usum imitatus quam maxime ad communem sensum popularemque intellegentiam se accommodaret. Quo in proposito assequendo ei non parvo adiumento erat, quod in senariis efficiendis se non iisdem severis legibus metricis astringebat, quas quidem Seneca observabat, sed spondeis in altero et quarto pede admittendis cum poetis antiquioribus consentiebat[2]). Itaque in versu III 14, 2:

Aesopum nucibus cum vidisset, restitit

accusativum Latinum adhibere potuit, in quo Senecae terminatione Graeca vocali insequente opus erat. Hic enim poeta in versuum structura diligentissime optima exempla aevi Augustei secutus in alterius et quarti pedis thesi nisi syllabas correptas non admisit[3]). Quamobrem Graecam formam postulavit metrum in Phoenissarum versu 129:

quique Elin et Parnason et Boeotios[4]).

Neque aliam fere viam atque Phaedrus ingressi sunt Persius[5]) et Iuvenalis saturarum poetae, quae ratio eiusdem

---

[1]) Cf. III prol. v. 20 et 52 sqq. — Ed. Wölfflin, Die Epoden des Archilochos, Mus. Rhen. 39 p. 157. — L. Schwabe, Phaedrus doch in Pierien geboren, ibid. p. 476 sq. — Guil. Hartel, Analecta. Studia Vindobonensia 7 (1885/6) p. 151 sq.

[2]) L. Müller, De re metrica, ed. 2, p. 524 sqq. — Id., Phaedrus, praef. p. IX ed. mai. 1877. — Id., Mus. Rhen. 30 p. 618. — P. Langen, Mus. Rhen. 13 p. 197.

[3]) F. A. Lange, Quaestiones metricae, Bonn 1851, p. 23. — B. Schmidt, De Senecae tragoediarum rationibus prosodicis et metricis, Berolini 1860. — M. Hoche, Die Metra der Tragödien des Seneca, Halle 1862. — L. Müller, De re metrica, ed. 2, p. 125. — Id., Neue Jahrbücher f. Phil. u. Pädag. 89 p. 473. — Id., Mus. Rhen. 19 p. 360, 521. — R. Peiper, Berliner Zeitschrift für d. Gymnasialwesen 18 p. 694.

[4]) Cf. p. 191.

[5]) In paucis 19 Graecis formis, quas Persius in 650 suis versibus adhibuit, tres inesse, quae in versibus ab aliis poetis depromptis exstent, supra p. 25, 74, 98 vidimus.

carminum generis Latina origine satis explicatur. Item facile est intellectu Germanicum plerumque servavisse Graecorum morem, cum Arati disciplinam astrologicam a Romanis satis alienam in Latinam linguam converteret. Eo magis mirum videtur, quod **Manilius**, cuius operi simile subest argumentum, quater tantum in centenis versibus Graecis formis usus est et centenorum Graecorum nominum 37 tantum Graece declinavit, quarum prae aliis paucarum Graecarum formarum plus tres partes metri necessitate postulatae sunt. Pauciores etiam Graecae formae in carmine insunt, quod inscribitur Aetna, quae res Latinam eius originem confirmare videtur, de qua Sudhaus dixit: „Wir kennen weder in Poesie noch in Prosa ein Werk, das wir als Quelle oder als Vorbild bezeichnen könnten, auch nicht dem Namen nach". Poetas denique heroicos Graecis formis servandis praecipue studuisse iam supra vidimus. Conspectus autem sextus docet ex hac lege Lucani Pharsaliam et Sili Italici Punica excepta esse. In his enim operibus numerus Graecarum formarum tribus fere partibus minor est quam in ceteris[1]). Sed huius rei eam causam sufficere puto, quod Silius Italicus in Punicis et Lucanus in Pharsalia Romanorum ipsorum res gestas tractaverunt.

Non ignoro in argumento, quod disserendum mihi proposui, multa superesse digna, quae copiosius exquirantur. Illud vero docuisse mihi videor poetas primi p. Chr. n. saeculi eundem Graecorum nominum usum, quem Vergilius Horatius Ovidius incohaverant, tenuisse atque excoluisse.

[1]) Punica Sili Italici in centenis versibus 4, 2 tantum Graecas formas praebent, Ilias vero Latina 14, 7.

Index nominum.

D

M

N

T

Addenda et corrigenda.

Pag. 14	l. 22	ante	*Therinos*	adde	*Tarentos* I 69, 2, IV 1, 8
„ 15	„ 3	„	*Coresus*	„	*Chius Cinnamus*
	„ 5	„	*Homerus*	„	*Hilarus*
	„ 7	„	*Menelaus*	„	*Maurus*
	„ 11	„	*Sirius*	„	*Scorpus*
	„ 12	„	*Symmachus*	„	*Surus*
	„ 14	„	*cnthus*	„	*caballus cadus*
	„ 16	„	*echinus*	„	*draucus*
		„	*mitulus*	„	*macellus*
	„ 20	post	*parazonium*	„	*stadium*
„ 16	„ 2	„	*Aeacus*	„	*Ambrosius*
		„	*Antiochus*	„	*Atticus*
	„ 5	„	*Pactolus*	„	*Pegasus Peribomius*
	„ 7	„	*phoenicopterus*	adde	*psellus*
	„ 15 sq.	dele	*Charmenion* et quae de hac forma dixi		
„ 17	„ 21	post	*Melicerta* V 103	adde	*Dama* V 79 *sanna* V 91
„ 20	„ 37	ante	*charta*	adde	*analecta* VII 20, 17, XIV 82, 2
„ 21	„ 10	„	*Pythagoras*	adde	*Patrobas* II 32, 3
	„ 26	dele	*Hedymeles* VI 383		
		ante	*Thyestes*	adde	VII 24, 3, X 11, 7
		„	*ascaules*	„	X 56, 7
	„ 36	„	*aliptes*	„	XI 31
		„	*schoenobates*	„	VI 422
„ 22	„ 19	post	*Thyesta* IV 49, 4	adde	*Dalmata* X 78, 8
„ 29	„ 4	ante	*Calliope*	adde	XII 55, 13
	„ 9	post	II 66, 3	dele	5
	„ 17	ante	*Telesina*	adde	*Hybla* II 46, 1, VII 88, 8, X 74, 9 *Ida* I 71, 2, IV 1, 2
	„ 18	post	*cordyla*	adde	*creta*
	„ 19	ante	*stropha*	„	*schola*
	„ 24	post	*Polyxena* X 262	adde	*colocyntha* VI cod. Bodl. 6
	„ 27	ante	*Antigone*	dele	XII 55, 13
	„ 34	„	*Lethe*	adde	*Lalage* II 66, 5
„ 49	„ 11	„	*Sidon*	„	*Pyracmon* I 583
„ 51	„ 21	„	*Chiron*	„	*Charmenion* (Mart. X 65, 2; 15)
„ 56	„ 25	„	*Hermogenes*	„	*Hedymeles* (Iuv. VI 383)
„ 62	„ 4	„	*Pyrenes*	„	*Europes* I 200
	„ 38	post	*Libyae* IX 16	adde	*Thracae* V 435

pag. 67 „ 16 post *Idomenĕī* dele et 789: *Penelĕī*
„ 77 „ 30 ante *Tenedon* adde *Tantalon* VIII 51
„ 78 „ 30 contra Leimeisterum, qui p. 16 defendit *Alcithoen*, cum codice P *Alcitheon* (Iuv. VII 12) scribendum esse contendo.

His addendis et corrigendis conspectuum numeri ita mutantur, ut legendum sit

p. 121 l. 8: -*ων* 92, l. 16: -*ης* 30, l. 38: -*ον* 51;
„ 122 l. 10: -*ος* 34, -*ας* 24, l. 10/11: -*ης* 39, l. 11: -*ων* 36, l. 19: -*ης* (III. decl.) 3, l. 31: apud Valerium Flaccum 699, Silium Italicum 518, l. 33: in Thebaide 1137, apud Martialem 512, l. 33/34: Iuvenalem 167, l. 34: omnino 5152;
„ 123 l. 4: 520 *ων* nom., l. 6: 408 *ης* nom., l. 7: 332 *ος* nom. II. decl., l. 9: 26 *ης* nom. III. decl., l. 10: 232 *ον* acc., l. 13: 187 *ης* gen., l. 15: 165 *ας* nom.;
„ 125 l. 10: -*ας* 1 -*a* 1;
„ 126 l. 2: -*ων* 93, l. 10: -*ης* 29, l. 18: -*ei* 1, l. 33: -*ae* 11, l. 34/35: -*ον* 49;
„ 127 l. 7: -*ος* 26 -*us* 141, l. 7/8: -*ας* 25, l. 8: -*ης* 38, -*η* 44 -*a* 10, -*ων* 32, l. 14: -*us* 33, l. 34: 8 Latinas;
„ 128 l. 4: 565 Graecas, l. 5: 371 Graecas, l. 6: 124 Latinas, l. 8: 860 Graecas 380 Latinas, l. 10: 376 Graecas 253 Latinas, l. 11: 125 Graecas 87 Latinas, l. 12: 3873 Graecas 2671 Latinas;
„ 182 l. 34: -*ας* 1 -*a* 1, l. 36: -*ας* 1 -*a* 1;
„ 184 l. 3: -*ων* 92, l. 14: -*ης* 29;
„ 185 l. 5: -*ae* 11, -*ον* 49, l. 10: -*ον* 30, l. 24: -*ας* 25, -*ης* 38, l. 25: -*a* 10, -*ων* 32, l. 29: -*ας* 20, l. 30: -*η* 24 -*a* 10;
„ 186 l. 6: -*ας* 164 -*a* 26, -*ης* 402, l. 7: -*η* 424 -*a* 88, -*ων* 508, -*ης* 186 -*ae* 115, l. 8: -*ον* 182, l. 11: -*ας* 124 -*a* 26, l. 12: -*η* 295 -*a* 81, l. 13: -*ον* 104;
„ 187 l. 3: 5 Lat., l. 4: 3 Lat., l. 17: 525 Graec, l. 19: 332 Graec., l. 25: 765 Graec. 133 Lat., l. 26: 475 Graec., l. 29: 309 Graec. 87 Lat., l. 30: 161 Graec. 28 Lat., l. 33: 3363 Graec. 1069 Lat., l. 34: 1914 Graec. 230 Lat. formae;
„ 190 l. 9: -*ος* 232 -*us* 974, l. 9/10: -*ας* 145 -*a* 22, l. 10: -*ης* 372, -*η* 351 -*a* 70, -*ων* 428, l. 11: -*ης* 167 -*ae* 105, l. 12: -*ον* 162, l. 18: -*us* 166, l. 19: -*η* 41 -*a* 16, l. 26: -*ος* 26, l. 27: -*ων* 24, l. 34: 3357 Graecae, 2175 Latinae, l. 35: 271 Graecae, 353 Latinae, l. 36: 243 Graecae, 155 Latinae formae;
„ 198 l. 6: -*ων* 325, l. 7: -*ης* 99 -*ae* 76, l. 9: -*ον* 109, l. 28: -*ος* 37 -*us* 163, l. 28/29: -*ας* 27, l. 29: -*ης* 41, -*η* 50 -*a* 14, -*ων* 7, l. 36: -*us* 51, -*a* 2;
„ 199 l. 7: 2337 Graecae, 1474 Latinae, l. 10: 416 Graecae, 313 Latinae, l. 11: 122 Latinae formae, l. 26: 3123, l. 29: 566 Graecae formae:
„ 201 l. 4: 699, l. 5: 518, l. 8: 1137, l. 10: 510, l. 11: 167.

Typis Maretzke & Maertin Trebnicensium.